COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XXXVII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. EPHRÆM.

VI.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE, BELIN ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM.

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXIV.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM

CLASSIS III. — DE FIDE.
— IV. — DE MYSTERIIS.
— V. — DE SANCTIS.

S. P. N. EPHRÆM SYRI
OPERUM

CLASSIS III. — DE FIDE.

SERMO XCII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS I.

I. Quisquis ægrum sanare cupit pœnam exaggerat, nec ideo minus amat; torquet, nec odit, nunquam minus iratus quam cum sævit : secus medicus non est, si ex odio secat. Amat, ejusque amor honestus est atque gratissimus; esto infestum sit et horrendum ejus ferrum. Idem jucundissimus dum sanat, esto molestus fuerit quando curabat. Non sic invidus qui, dum furit, multiplicem hominibus infixit morsum. Scilicet cum ira furentem concitaverit, in obvios quosque truculentus irruit, furor occupat animum, linguam exagitat maledicentia; velut cum atro inficitur veneno profluentis caput, aut arboris radix. Sicubi blanditur, mentitur, et fallit, pomum offert, sed quale Sodoma proferre solent, ingenii nempe sui fœtum. Vitiorum genus omne illum exercet, supercilium attollit fastus, animum lacerant simultates : laqueos struit, et pulchram obtendit speciem, fallacem nubem imitatur, saluti consulere videtur, exitium parat, tranquillo cœlo grandinis procellam vehit, hanc scilicet pestem perpetuo aluit. Animus illi, ut obscurus, ita minime ingenuus; versuta vultus lætitia, et comitas simulata; hilaris et jucundus occurrit, scilicet meditatur furtum : in alloquio insidiosus, dum apertum

1.

et simplicem credis, machinatur dolos; gratiam fingit in odio, ut impense amari ab illo te putes; vix tamen ipso alius tibi capitalior inimicus; nam et odia inter concordantes instruere illi solemne est. Si blande tibi arrideat, cave ne capiat: suaviatur ut mordeat; cervicem mulcet, fauces elidere cogitat. Sic quæ cum malo tuo cœpit, persequitur et conficit. Quoties leo in saltu occurrentibus cessit, decessit e via, et anguis intra ædes receptus neminem læsit: lividus domesticos et externos promiscue infestat; quin et illa carnaria turris, bestia in locis Orienti subjectis frequens, sublime tergum homini sponte submittit, et sessorem non modo suavissime, etiam gloriose, more ovantium, circumvehit.

II. Colubrum si offenderis, nullus te perturbet metus; quin et si dæmonium occurrat, ceu umbram contemnito. Si autem invidum prospexeris tibi obviam venientem, te ipsum obsigna et circumspicito fugam; sique forte inopinum adoriatur, videsis ne cum illo moreris; citus alio qua licuit divertito, ubi, relegens historiam Job, imaginem tuam ejus tentatione delineatam agnosces. Lethifer illi halitus; sicubi te afflaverit, occidisti. Si fœmina te amaverit, cum Josepho communem habebis sortem; sin contra oderit, cum Elia exilium, et si fraternum odium declinare necesse sit, Jacobi alas tibi accommodabis: invidiam autem utrum possis fugere Abel tibi jam prælibavit; invidi naturam perspicies, si quæ ab invidis passus est Dominus relegeris: non est quo ultra pergas, summa assecutus. Lividus, nunquam vacuus a scelere, vibrat exertam assidue sicam, sanguinem petit quo sitim restinguat. Nudavit etiam chirurgus strinxitque amicum ferrum: amare nimirum est, resecando ulcera curasse; nec inde culpatur. Quin, postquam ægroti consanuerint, laudant durum medicum; si non fecisset, vehementer vituperarent; quia fecit, de resti-

tuta sanitate sibi illique gratulantur, fatenturque duro ejus regimine se fuisse servatos.

III. Quanta, putas, exarsit diabolus invidia in corpus Bardesanis, ut ipse suo ore sibi præcideret spem, dimidiumque sui infamaret! Linguam exeruit ut suam resurrectionem ejuraret. Marcionem impulit in rabiem et ad insaniam redegit, ut in suum Effectorem audacter insurgeret, atque maledictis Conditoris sui majestatem violaret. Manethi suum quodammodo accommodavit amiculum, ut illo velut proprio instrumento abuteretur, suaque per ipsum funderet oracula. Horreum lolio plenum Bardesani dedit, quo per agros disseminato et mox subolescente triticum lappis tribulisque suffocaret, ita ut demum cum sua segete ipsum satorem in fascem compingeret unum. Lupos Marcioni Apostolorum larva velatos sociavit, texitque vestibus quas agnis detraxit. Manethem pro sue habet, terram humore solutam et putrem ipsius opera assidue volutat. Bardesanis sermo palam in concione pudicus, in clandestinis congressibus modestiam in audaciam mutavit, jactavitque impias in Deum voces; fœminam imitatur furtivis assuetam stupris, in conclavi mœchatur. Marcion, scorto comparandus, quem omnes execramur adorat. Manes cum amaros avide hausisset succos, recrementa draconum sæpe vomitavit, natis alumnisque refudit venena felle et absynthio amariora. Pretiosis vestibus gemmisque ornavit Bardesanem. Marcioni accommodavit saccum, quo filios lucis infuscaret. Ut incautos falleret, pallore imbuit Manethem. Suis singulos vitiis instruxit, Marcionem maledicentia, versutia Bardesanem, sic ut in Manethem purgamenta fæcesque congereret et exhauriret.

IV. Cœpere novæ antiqui Serpentis soboles in orbem proserpere, delinitos verborum lenociniis simplices circumvenire, atque inter imperitum vulgus serere errores. Ge-

neris nempe sui auctorem referebant. Evam ille puram et ingenuam in Paradiso nactus, liberalibus blandisque verbis adortus est; credidit illa amicum; consilium suggessit; acquievit illa consulenti; deceptam se tandem agnovit, credulitatem suam damnavit, et percussa doluit. Solemne ipsis est corporum observare motus, temporum supputare momenta, tonitrua ex codice examinare, indeque arcanas significationes petere, plenilunia cum signo Zodiaci comparare. Scilicet cum oporteret versari et agere cum Ecclesia, ove nempe Sanctorum libros ruminante, libros pestilentissimos studiose revolvunt. Si quem corpore valere norunt, huic mentis sanitatem auferre conantur, ægrotum invisunt, ut mox convalescentem interimant; colligant confractum, ut inde suos in laqueos inducant. Puero infixit morsum veneficum reptile, magicum illi carmen confestim insusurrant; scorpius nempe miserum percussit extrorsum, introrsum fascinatio contudit, geminas inter pestes imprudens se ipse conjecit.

V. Jezabel Achabum vicit, victi annulus epistolam obsignavit, testis victoriæ fuit[1]. Hæresis Bardesanem accusavit ipsius sermo, velut appressum sigillum, convicit illum non falso crimine delatum. Marcion suam insuper operam contulit propriæ damnationis libros scribentibus. Manes ingenuitatem suam sodali suo vendidisse se scripsit. In specubus Bardesanis audies voces et carmina : animadvertens enim homines in primo ætatis flore musices suavitate capi, carminum concentu juvenum mores corrupit. Marcion, Serpenti similis, jejunavit; jejunantis aures serpens diabolus grandioribus verbis implevit. Idem Manethem liberalibus amplisque promissis captum raptavit. Bardesanis nil tale opinantis destruxere septum; in eo quippe legebat ille non veritatis alumnos Prophetas, sed libros de

[1] 4 Reg. XXI, 7, 8.

signis Zodiaci tractantes assidue volutabat. Mundus in Marcionem suo Conditori contumeliosum exarsit, propterea que vagus ac tremens circumpererrat orbem. Plus nimio efferbuit Manethis ferocitas et protervia; ideo vicini Orientis populi velut objectam sibi in itinere offensam illum sustulerunt.

SERMO XCIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS II.

I. Quis ille primus Bardesani à Desane ascivit nomen? congruit id certe magis Bardesani quam Desani fluvio; non enim hic carduos et lolium advexit. Marcionem diabolus studiose lavit, ut contaminaret; acuit, ut obtunderet. Amiculus fuit Manes, suas detrivit vestes. En Manichæi canes quoslibet invadunt; pro quotidiano pane obvios quosque sollicitant. Morbidi canes sunt, qui panem frangere cum nequeant, peccata et delicta condonant. Et in hoc quidem multa laborant insania, et acriter contundendi sunt, quia unus est qui peccantibus peccata dimittit. Frustra de verbo illius qui vera loquitur arbitria faciunt, illud ad suum sensum detorquentes. Ille siquidem Discipulis suis potestatem tradidit ut semel duntaxat per aquas humanæ naturæ noxas expiarent. Qui autem ipsis concessit ut absolverent et ligarent, simul præscripsit ut crimine obligatus ejus conspectui se sistere, qui omnia peccata dimittit et veniam flagitaret; neque enim sine dolore nostro nos expiat. Æquum namque est illum perturbari et mœrere qui, captus voluptate, deliquit. Si autem

qui omnia sanctificat per nostrum dolorem nos justos facit, nugas vendunt qui de panis frustulis justitiam nos sperare jubent [1]. Filius Buzi te appellat, dum impios accusat, assuetos divinationes pro fragmine panis licitari. Sic sublata pœnitentia, obsonatur ventri. Cave, puer, ne his hominibus credas, ne operam perdas. Quam jactant peccati remissionem calamum quassum puta; peccatum condonare dicitur, exaggerat. Hæc sacra dissolutis et inertibus mire placuerunt; impuris illorum moribus consentanea sunt; quæ si procederent, nullus in Gehennam descenderet. Ejusmodi religionem ipse quoque probarem, minime laboriosam.

II. Fœmina Sabbaticos sibi subdidit, caput manui ejus submittunt; illa interim in sublimi throno sedet, in illorum auribus insusurrat, barbis illudit. Siccine illam natura nec increpuit, nec pudore suffudit? Item Cuch Cuchitis mysterium præstitit nominis sui; Cuchas enim, *Amphoras*, inanes suis eos institutionibus effecit. Illud tamen mirare novum, quod cum sint pares, dispares tamen videantur. Diabolus illos reformavit, in tibias inflavit, et seditiones concitavit. Fides sunt quarum nervi discrepant, ut in unam nequeant conspirare vocem; illas scilicet execrandus ille mali artifex excogitavit. Cepere arcus, nullum tamen non dolosum. Vini unius recrementa biberunt, sensum illico abstulit temulentia. Fœces istas alter alteri miscuit, et ex ore suo in os alterius inflavit. Quod animadvertens Ecclesia illos appellavit; diabolus extimuit appellantem, quod viris modestis sanctisque florere sciret; personam callide occultavit, suorum zizaniorum mysteria disceptationibus interpolavit; veritus ne ad aures ecclesiasticorum Doctorum manarent. Interim emissarios suos fastu superbiaque inflatos, quasi metalla, refudit, obsigna-

[1] Ezech. XIII, 19.

vitque seditionis sigillo; discordiæ ipsis imaginem impressit, postquam mentem ademit. Ubi ergo viderunt se ab Ecclesia rejectos, congeminarunt dogmata; vera furati, falsis admiscuerunt. Hoc artificio capti cœcatique auditores, cum nullum adhiberent examen quo genuina in eo corpore membra ab afflictis secernerent, confuderunt. Scilicet cum diabolus sciret vix fieri posse ut manifesti errores fidem invenirent, novæ sectæ axiomata cum veræ religionis dogmatibus compegit. Hac via licuit aliquando frontem attollere, propriaque commenta proponere, eaque sustinere veritatis illigata decretis. Divinas Scripturas truncavit, ut, obstetricante emissariorum astutia, pariret confusionem, et velut per anfractus doctos et indoctos in suas foveas pertraheret. Hæresis, in propria specie fœdissima, despicatissima item fuisset; appresso veritatis sigillo, ejus turpitudinem dissimulavit, ut veram effigiem celaret, et falsa specie deciperet. Et quia aliquid de veritate surreptum est errorique admixtum, disciplinam, nec ex toto falsam, nec ex toto veram composuit. Propria illam furta satis superque revincunt, ut nullum defensioni locum relinquant. Quin et illud vitæ fermentum, quod hæreticus de nostro furatus est, suis admiscuit dogmatibus; quod nimirum timeret ne inde vitalis ejus vis animos auditorum afflaret. Vocabula surripuit et retinuit, sensum mutavit, ut alumnis suis qualecumque fundamentum præstrueret. Illorum scilicet labor error fuit, et mox casura turris.

III. Ecclesia ipsorum scripturas ex toto et usquequaque rejicit, quamlibet illi Scripturis apud ipsam depositis se credere testentur: et vero dum Moysen etiam extare fatentur, ipsi se crimine falsi arcessunt, quo, inter se discordes, alter alterius Scripturas adulteratas fuisse contendit. Sic nimirum (quod tamen minime advertunt) coronam

simplicibus texunt, qui Moysis libros simpliciter amplectuntur. Quid quod dum se putant grande aliquid invenisse, a veritate scite circumventi victi sunt. Suorum axiomatum judices appellavit, testes fecit ac vindices. Dumque ipsi se mutuo refellunt et damnant, veritas, Gedeoni similis, evasit; siquidem dum inter se dimicant, mutuoque vulnere cadunt, illam coronant. Veram Scripturam extare omnes Hæretici fatentur. Quod si ex falso credidissent talem nullam reperiri, reponeret quis forsan ipsis fuisse incognitam. Jam vero ejusmodi excusationem ipsi exarmarunt, ex quo ipsas mutilavere Scripturas. Sacros namque corrupere codices, et vocabula quorum una debuit esse explicatio, ad peregrinos sensus detorserunt. At vero si quis hoc ausit, suique corporis membrum recidit, reliqua requirunt ac repetunt resectum. Quin et locus unde recisum fuit clamat illud abesse. Cum autem verbum, quod ablatum est, vivum sit rerumque vita, mors idem surripienti fiet, quod suo loco fixum legenti vitam dedit. Hoc esse crede veræ doctrinæ corpus, quod Hæretici mutilarunt; cum ipsius sententias puta, ejus membra, truncarunt; sed quia suas adhuc retinet dimensiones, persequitur quæ resecuere membra quamlibet diminuta : certe diminuta sunt, et ideo illos, qui absciderunt, non implent.

IV. Ecclesia est quam perfecta veritas perficit. Ecclesia credentium magna est, ejusque sinus amplissimus duorum Testamentorum plenitudinem capit ; cisternæ quassatæ reprehensæ sunt, quod aquas continere non possent [1]. Utres veteres sua novitate vinum scidit, et novos sua acerbitate disrupit [2]. Viderant errantes gemina Testamenta pulchre coagmentata et compacta in unum coaluisse veræ doctrinæ corpus; periochas ex utroque de-

[1] Jerem., II, 13. — [2] Luc. V, 37.

cerpsere, descriptasque in unum compegere volumen, inde sunt natæ illorum scripturæ. Et quoniam textus sibi mutua connexione cohærentes distraxere, et resectos dissolutosque absurdis interpolationibus passim inquinarunt, quale, putas, inde prodiisse monstrum, quam deforme, quam fœdum? aut quantum fuisse illorum insaniam, qui ex ea membrorum laniena perfectum absolutumque corpus condere voluerunt? Volumen, quod legunt sacrum, principio caret, cedo, cujus formæ composuere corpus, cui truncavere caput et ambas manus, duo nempe Testamenta? Quis monstrum tam deforme vidit, corpus pedibus manibusque truncum? Ipsi scilicet qui finxere artifices cæci et contentiosi. Ubi locanda manus fuisset, obtrusere oculum inepti, levissimi nugatores; lævam manum audacter resectam abjecere, sinistrum substituerunt pedem. Ipsa scilicet membrorum coagmentatio testatur in quantum errorem prolapsi fuerint, et qualem confusionem induxerint, postquam clarum illud et purum divinorum oraculorum corpus violare ausi sunt, turbatisque confusisque textibus, novas scripturas condiderunt.

V. Salve, Ecclesia, quam veræ doctrinæ corpus lætificat, in quo mirabilem videre est membrorum constitutionem, dogmatum integritatem, promissionum fidem, triumphorum coronas! Format sublime caput veritas, exhibent gemina Testamenta munificas et liberales manus, Apostoli sensus componunt rerum nuntios, cætera implent viri sancti, justi et Prophetæ.

SERMO XCIV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS III.

I. Age, Fidei desertores ceu convictos fures redarguamus, quando et ipsæ, quas rapuere, opes adversus illos declamant; vocales enim sunt. Vera nomina invaserunt, quæ rebus fictis accommodarent; inde factum, ut sicut divinas compellationes honorata ab Ethnicis nomina proprias olim sibi fecerunt, sic sempiternæ quædam naturæ divinis insignitæ vocabulis divinum etiam sibi nomen et cultum invenirent. Nec enim isti nugatores a sempiterna natura nomina ejusmodi accersivere, sed naturæ per se non existenti sempiternam existentiam de suo affinxerunt. Quare in substantias æternas et in ævum duraturas sempiternam sciderunt naturam, et incommunicabile nomen pluribus commune fecerunt, sic ut illius præstantissimæ essentiæ excellentiam virtutibus præcipuis quinque participarent. Æquale, dicunt, illarum est nomen, nec dispar ætas aut vis, ut vel altera alteram tempore sequatur, aut altera alteram dignitate præcedat: quo enim nuncupatione pares sunt, pares potestate ac efficentia esse oportet. Omnes ergo æquali potentia præditæ sunt, sic ut vel omnes omnia efficere possint, vel nihil efficiant, quia videlicet nihil sunt. Eheu! miseros Fidei post susceptum Baptismum desertores!

II. Asseruit Bardesanes cum Marcione dualitatem deorum, etsi rejecisse videri velit. Et quidem duos deos esse impossibile est, cum Dei nomen indivisum sit et unum: et si Deus unus non est, nec Deus est; nec vero Deus, nec

unus est, si nec summus, nec super omnia est. Impossibile autem est illum omnibus super esse, cui jungitur æqualis. Jam si plures dii non sunt, nec sunt plures naturæ sempiternæ, cum divinæ naturæ, et naturæ sempiternæ unum sit nomen et communis dignitas. Notum namque et proprium Dei vocabulum est, substantia per se sempiterna initio carens, natura prima omniaque præcedens. Bardesanes itaque, qui contendit plures deos esse non posse, si docet plures nihilominus esse ἀιῶνας id est substantias per se sempiternas, jam admittit quod rejiciebat. Cum divinam ignorarent naturam errantes quidam, in plures illam dissecuere deos. Substantias quatuor easque sempiternas in quatuor mundi plagas distribuit Marcion, adjecitque duos deos; alterum infra terram compegit, alterum cœlo locavit. Duas item Manes excogitavit substantias. Ambo refelluntur, quod constat summam naturam nec habere parem nec secundam, ejusque proinde nuncupationem atque potestatem unam esse, perinde ut una est et singularis ejusdem divinitas et existentia sempiterna.

III. Jamque revixit in Bardesane vetus Græcorum error, docentium a pluribus agentibus sempiternis mundum conditum et constitutum fuisse : invasitque Manethem Indicus error, ut induceret duo contraria numina atque inter se pugnantia. Tertium adjecit Marcion. Sic multiplicavere deos, ut nullum haberent deum. Contestatum furtum est, perspectumque errorem ejusmodi inventores ab uno summo Deo clepsisse nomina, iisque res minime existentes induisse et incommunicabilia ejusdem nomina cum rebus factis participasse. Marcion et Bardesanes impie affirmant non unum esse rerum conditorem; summi scilicet Opificis opera rebus ab eo factis attribuerunt, sic ut Filium et Spiritum sanctum cum istis confunderent; adeo rerum omnium effectores nullos fuisse putant. Sed enim

vero istos, qui Filii obtrectant majestati, ipsi qui revixere mortui, suis egressi tumulis, refellunt. Quicumque vero Spiritum sanctum existere negant, horum audaciam divinæ Scripturæ infringunt, dum docent Spiritum extare et Spiritum sanctum esse, et Spiritum oris Domini esse Spiritum, et apud eumdem esse ipsius Spiritum. Et vero si nullum tempus sine Spiritu fluxit, si nullum locum Spiritus non implet, altercari jam absistant.

IV. Quid quod cum credere oporteret mundum a summo Patre per Filium conditum fuisse, commenti sunt divinum Opificem in partem sui laboris vocasse Achamut fœminam, eademque obstetricante, cœlum et mundum in lucem prodiisse. Sic impii sacrilegi tantæ molitionis gloriam a Filio, quem negabant, in Achamut derivant et peregrinam fœminam magni Opificis auxiliatricem ostentant. Jure factum aio, ut qui veritatem repulerant, decepti, mendaciis acquiescerent, atque ejusmodi strophis illuderentur.

V. Didici, Domine, et credidi unum esse te in tua substantia, et hanc cum illa substantia sempiterna habere communem. Audivi, tibique loquenti assensus sum, Patrem unum esse; mersus item sum ter in nomine Spiritus sancti tui, et singulorum rationes doctus sum. Domine, cujus thesaurus, quantaslibet profundat opes, nunquam exhauritur, quivis tibi laudem tribuet et gloriam, modo sentiat se esse hominem.

SERMO XCV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS IV.

I. Pii sanctique Dei homines visi sunt thesaurariorum personam induisse, postquam summæ ac supremæ illius Majestatis thesaurorum dispensatores designati fuere, delatamque potestatem exercere cœperunt. Inde siquidem, quasi domini rerum constituti, ubique locorum ac gentium supremam quamdam præfecturam gessere. Pelago jura dedit Moyses, sibique marinos fluctus vidit obsequentes; nec enim ad speciem illi Deus nomen incommunicabile commune fecit; quin sic participavit, ut vocabulo significata potestas maxima ad maxima gesta procederet. Talia in se expertus Moyses, falsos mortales arguit quod res factas pro diis haberent, ipsorum oculis scripto subjiciens amplissimum quod sibi divinitus delatum fuerat in easdem imperium, illudque frequenter inculcans: in ministerium nostrum condita fuisse astra quæ cœlum ornant, quæque terram gravidant semina, indeque provenientia germina plantarum ac stirpium, ut proinde puderet eos servire rebus quarum dominari debuerunt. Hinc porro deprehendes quantum aberraverint fatui Idololatræ, qui naturam rerum imperio natam ipsis rerum imaginibus submisere. Hunc igitur errorem ut corrigeret rerum Dominus, earumdem naturam sæpe mutavit, servorum suorum ministerio usus pro suo arbitratu. Ploravit Ezechias, Esaïas oravit, solique preces et lacrymas opposuere; coëgere præcipitantem in occasum retrocedere præter omnes na-

turæ leges, quo maximam pii fletus et orationis vim pœnitentes docerent. Potentiam mirata est Babylon suorum numinum domitricem, puramque Ezechielis fidem suis laudavit donis.

II. Justus alter, Jesus filius Nun oravit, sustulit manum contra cœlum, amboque diei noctisque luminaria continuit fixitque; disjectoque tenebrarum septo tempus in duos dispescente dies, lucem in biduum continuavit, plures in unum compegit dies. Præsignavit, quod Dominus per carnem suam postea præstitit, quando partes dissidentes conciliavit, fecitque utraque unum, « medium » parietem maceriæ solvens [1]. » Tellus succussa est, ivit circum clamor per loca, fusa per gentes superstitio nutavit, vociferavere Magorum collegia. Credibile est, cœcos cœlum versus surrexisse frontem; certè quisquis orbus non fuit, oculos sustulit, in pedes quisque constitit, mundus ipse labare visus est. Biduum concessum est; quo spatio considerare cuique licuit patefactam astrorum vanitatem, indeque discere spem omnem in omnium rerum Conditore esse locandam. Tu ergo unum crede Dominum, et plures ejura deos, cum videas unius hominis nutu fractas fuisse planetarum vires.

III. Quod si fatui reponant, et istud factum fato fuisse destinatum, cedo; quisnam sustinuit fatum, vel quis fatum interclusit interdixitque ne quid per quatuor mundi plagas interea temporis moveret? Profecto postquam solem et lunam homini profligare licuit, nullum superest astrum quod victoriam sibi promittat. Aiunt pollere solem potestate omnium maxima, minima lunam, novissimum sidus. Quisquis ille fuit, qui astrum omnium potentissimum cohibuit, idem profecto lunam illo tanto minorem cohibere potuit. Erubuere enimvero stellarum

[1] Ephes. II, 14.

cultores deos suos acie victos retrocessisse conspicati; nec tamen illarum simulacra abjecere, aut appulere animum quo intelligerent eos homini oranti parere coactos, proindeque nec sibi constare potuisse. At enimvero cujusnam periculo aderint, qui propriæ causæ defuerunt?

IV. Conticuere die eodem sidera, nec potuerunt horarum spatia indicare; suos nempe sole variante meatus, suos etiam illa mutarunt. Quid ergo? An non infantes per illam temporis capedinem nati horoscopum explodunt ceu vanum et futile commentum? Unus certe cunctis incidit horoscopus, qui proinde omnes aut reges aut servos præsagiret; contrarium autem accidisse mundus universus contestatus est. Hebrææ matres, per idem tempus uterum gerentes, nec ejusdem sortis fœtus enixæ sunt omnes, nec ulla regem; cum certum sit neminem, per id tempus natum, diademate postea fuisse redimitum; hoc enim Manassis capiti, qui tamen biennio post natus est, tandem accidit. Nec vero fatum divinæ promissionis mutare fidem potuit, sic ut non illud regia stirpe nati per continuam successionem alter in alterum transcriberent.

V. Chaldæum Persia Chaldæorum mater premit et revincit. Constat regum Persarum seriem diu imperturbatam mansisse, ut parentibus nati succederent. Si non hoc factum negant, negare fatum coguntur fati laudatores; ordinata nempe suorum regum successio, et constans sibi longa principum series ipsos fateri compellit fatum esse nomen inane, quod illum ordinem variare nequiverit. Aderat rata dies, et sol altissimus summa cœli tenebat, inieratque hora, quam Chaldæi faustissimam prædicant, et diadematum dispensatricem: urbe in una quot, putas, eo die peperere matres? Fieri autem nequivit ut omnes nati uno tempore unaque in urbe dominarentur; lucu-

lentum hujus rei testem habes Herodis invidiam nudum ferrum intentantem.

VI. Item si unus ille dies, qui horoscopum composuit, felix faustusque diluxit Hebræis, cur Hethæis extitit calamitosissimus? Fatum, arbitror, visa rerum in exitus adeo varios ac diversos conversione, erubuit. Profecto diademata non multiplicavit eo tempore quo Josue triginta reges regno vitaque spoliavit, ut aliquando fatum puderet sui. Et sane si horoscopus, ingenita conditionis suæ virtute, rerum naturas, per se diversas et inæquales, similes et pares facit, contra vero evenit ut res ipsæ ab invicem omnino discrepent; jam nec secum ipse convenit horoscopus, nec sibi constat ipsius influxus; nudum proinde nomen, et vocabulum sine re nobis obtruditur. Itane æqualem dices qui, sibi contrarius, civitates, alias excidit, alias servavit? Sola ducis oratio ligavit et solvit; quas subvertit urbes, et quas integras manere jussit.

VII. Natura scilicet generationem ad unum exegit modum; naturæ dominus pro arbitratu discrevit prolem matris in toro nobili parientis a verna in luto et sordibus nascente, nec valuit æqualis horoscopus amborum sortes exæquare aut removere positum a summo Moderatore discrimen, qui, nobis succurrens, quo nostras purgaret mentes, caminos accendit ubique luculentos. Nec sane fato licuit infantem fingere peccatorem, cum vitio naturæ rationis careret usu; nec eidem astra in cunabulis commeandi libertatem negarunt, aut dederunt adulto agitationem et motum; nec illa, sed ætas rationis usum expedivit. Vafri et nefarii homines Dei justitiam, optimorum morum magistram, reticuerunt, prædicarunt vitiorum altricem ἀταξίαν ordinis perturbationem; ista virtutis nervos accidit, illa roborat ac firmat. Spem omnem mundo peccatori visum est ademisse fatum, quo Deum orandi morem

antiquavit; et pœnitentiam dissuasit; quo docuit humanas voluntates astris famulari et obtemperare.

VIII. Quod autem Deus per bidui spatium planetas ab ordinario cursu continuit, visus est eosdem habere sibi testes voluisse, ad revincendam Fatidicorum petulantiam, garrientium se observasse horoscopos, cæteris mirantibus astra suos inhibuisse motus; nam et istud portentum oculis perspicuum fuit, solita planetis nitentibus luce; stellas porro fixas detinuit, ut mentes anxias haberet et miratrices, arcanaque sibi uni patere demonstraret. Duos autem discrevit dies, ut ore duorum contestata fides ad omnes manaret: unum esse rectorem universi, omniaque per dilectum ejusdem Filium gubernari; et hic quidem latet in sinu Patris in cœlo, quanquam et in terris ejusdem nomen Jesus manifestatum fuit. Ab eodem mundus et omnes mundi partes constituta sunt et administrantur, idemque est rector et dominus Angelorum.

IX. Interim mirari subit qui factum sit ut scelesti homines se aquis mergendos dederint, mox levissimum vulgus in eadem impactum vada suffocarint, utque ipsi decepti similis stultitiæ fœminis imposuerint; ignotum pertentarint iter, perque anfractus et salebras errantes, sortes inde confictas illarum natis allinerint et utrisque persuaserint; nec porro animadverterint Chaldæorum fautores, quod si illud temporis momentum, quo planetarum cursus inhibitus fuit, ipsis discernere non licuit, nedum prævidere aut designare punctum quo idem laxatus est, eo longe minus licere omnes stellarum numerum, meatus, erroresque deprehendere atque mente complecti.

SERMO XCVI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS V.

I. Atqui si Chaldæus præteritæ vitæ meæ gesta futuraque eventa mihi renuntiat, et si humanum arbitrium fato cogitur, profecto deberet, perinde ex præsumpta sibi scientia, retexere quæ a me dicta vel dicenda sunt; nec enim ista fatum, si quidem omnia moderatur, latere debent. At si contra voluntas humana suorum consiliorum arbitra est, fatique imperio ejus dicta nullatenus subjiciuntur, jam nec ejusdem potestate continetur quidquid eidem voluntati agere libuit, quemadmodum nec verba quæ dixit; alterum enim ex altero suadetur, adeo ut si quæ illa dicet, incomperta sunt, ea, quæ aget, perinde incerta et occulta sint. Scilicet humanæ voluntatis adyta nulla sibi subegit clavis.

II. Cæterum si ex dispositione fatorum plurimi nascuntur infantes luminibus orbi, cur non item et reges suis ornati insignibus? Præterea, si fato fit ut pes pedi similis sit, cur vultus et facies non item similes finguntur? Disce quod ille docet, qui hæc omnia molitur Deus, unum videlicet se esse, et ubi id naturæ utilius esse judicavit, similia conformasse; contra, ubi ea conformatio rerum ordini minus consentanea videbatur, res ipsas variasse, ut in eo nobis maxime consuleret. Dissimiles itaque finxit vultus, simul oculos coërcuit; tentationes assimilavit, simul mentes scrutatorum confudit; discrevit ut opificem agnosceremus; composuit ut suspiceremus; similes finxit, adjecitque dissimiles, ut nos sui suorumque operum admiratione

compleret : similes formavit idem qui et dissimiles, cum unus ipse esset hominis archetypus; discrevit et permiscuit, cum unus ipse repertor esset et cognitor rerum.

III. Sed enimvero si divinæ œconomiæ ratio admodum obscura est, ut alteri egestatem, divitias alteri temere dispensare videatur, attamen certum est hujusmodi confusionem a recta ratione minime exorbitare, perinde ut nec stellarum distributionem; nam etsi sine lege videantur errare, omnes tamen suos conservant motus constantes et ratos; tales videlicet esse jussit in usum nostrum, qui illas reperit et disposuit, non ut cogerent, sed ut officii nostri nos admonerent. Nec enim voluntati per se liberæ dominas præfecit stellas, imo velut ancillas subdidit, et quasi dominæ famulari jussit. Et serviunt utique vel cum viam in continenti ingredientibus funalium vicem supplent, vel cum maria tranantibus littora portusque designant. Jam istuc docti nautæ oculos perpetuo intentos habent ad Arcturum et Arcton; Hyadas et Pleiadas respectant, et observant Gigantem, Orionem. Non nos cætera sidera fallunt, dum testantur unum nostris interesse rebus, omniaque perspicere ac moderari. Quid quod etiam humanæ voluntati libertatem astruunt leges et constitutæ transgressoribus pœnæ : illæ indoctos illitteratosque docent, istæ audaces et impudentes coërcent. Judices itaque, dum in parricidas et sicarios, in mœchos et fures animadvertunt, cuilibet homini adesse vim arbitrii consulendi quid velit, admonent. Et sane si hanc potestatem tollis, ineptus es; si peccantem reprehendis, quo ergo nocentes reprehensione dignos putas, fatum negas. Tacebit fatum, modo reprehensores loquantur.

IV. Quot vides surdos una signatos nota? Jam nec deni occurrent una corporis figura, unaque membrorum atque lineamentorum conformatione præditi; sed nec vultus

quidem quinos fatum ad unum conformasse exemplar satis liquet. Veritas animadvertens errorem suis horoscopis unitatem arrogare, qualem natura in suis observat vitiis, hominum lineamenta variavit, quo horoscoporum vanitatem ostenderet. Memoria nostra quidam annos supra centum vixere decem, nec tamen tanto temporis intervallo infantes visi sunt sibi invicem prorsus assimiles indole animi, corporis habitudine, oris forma ductuve membrorum. Jam cum perspectum sit fatum nec integro quidem sæculo potuisse vel unius infantis geminare figuram, quis credat fato fieri ut cæci perpetuo similes nascantur? Porro Adamus Sethum ad imaginem et similitudinem suam ideo progenuit; quod cum summus ille Opifex hominis culpa suam imaginem oblitteratam vidisset, restituere ea ratione cogitavit; sui ergo vultus pulcherrimum simulacrum homini primitus insculptum, ejusdemque vitio mox detritum turpatumque iterum conflavit et recudit, elaboravit et erexit. Datus est parenti Sethus in speculum, spectavit Adamus se recusum in filio, suam perinde Sethus imaginem in parente agnovit. Quid? num vidit quisquam genitum et genitorem alterum alteri impressum, et alterum altero convestitum? Duo nimirum induerunt personas duas Domini nostri ejusque Genitoris.

V. Si mathematici quisquam violet uxorem, si marsupium vacuet, expiletve domum, mensam subvertat, disjectisque lagenis vinum effundat, siquidem ille suam uxorem suaque repetat, horoscopum sustulit, quem prædicabat rerum dominum, cujus proinde vi imperioque ducantur isthæc omnia in quibus homines peccant, et ordinem perturbant. Si quando occurrat Chaldæus tibique tua fata suis e schedulis recitare occipiat, involа tu in scriptum, ablatumque scindito et lacerato; ineptum ma-

thematicum et lapidem appella, ipsique de sua secta reponito istuc fatorum item necessitate fieri. Et si quidem urgeat acceptamque injuriam tecum expostulet, tu vicissim illum urgeto : quonam jure sibi fas esse putet sua exigere, ne egeat, nec putet esse nefas fallere, ut ex alieno ditescat? Vides-ne ut arbitrii nostri potestas factam sibi injuriam expostulet, seu cum ablatam pecuniam repetit, seu cum suo se immeritam gradu dejectam conqueritur? Sic in æstu contentionum fatum sustulerunt iidem qui laudant; damnant nimirum, dum sibi debita jure reposcunt, et seditiosam Mathematicorum sectam suis fabulis omnia permiscentem convellunt. Babylonii turbulenta in urbe nati aures nostras perturbarunt; intra ejusdem pomœrium, sub orbis conditi primordia confusæ fuere linguæ; ibidem maleficas artes et scientiam Auguriorum ac divinationum inquietæ quorumdam mentes repererunt; Babylonem, confusionum matrem, sui ipsius cives confuderunt. Quisquis talibus se credit, aut aures præbet, sua ipse sentiet in viscera inserpsisse legionem dæmoniorum, choreasque ibidem ducentem, ludentem ac tripudiantem.

VI. Quare beatam te dico, o Catholica, quæ oculos avertis a cursu quem curiosa spectare consuevit Babylon, propptereaque a propheta filio Amos merito derisa et frequenter reprehensa cum illis qui ipsi aberrantes illam propriis erroribus imbuerant [1]. Quanquam stella ejus, qui mentiri nequit, Babylonios postea excivit Bethlehemum, ut qui, siderum lumine cæcati, errabant, simili luce in viam reducti, salutem assequerentur. Nec enim in cursu sideris præter communem astrorum legem vagantis videre fuit, quæ de fato et horoscopis vulgari errore jactabantur; quin potius inde animadvertere pronum fuit, fato pertur-

[1] Isai. XIII, XIV, XLVII, XLVIII.

bari ordinem naturæ, humanique arbitrii opprimi libertatem. Erravit igitur stella præter sui generis legem, quo significaret in orbem nostrum intrasse sidus veritatis, jamque dilucescere diem et adesse mundi reparatorem.

VII. Tu, Domine, nobis arcem perfugii instaura veram in te fidem; serpit nimirum error, telisque omnis generis nos petit. Aruspicum et Hariolorum secta ad ethnicam superstitionem nos revolvere molitur; alii ex insomniis auguria captantes, suis pariter nos fabulis implicare nituntur. Tuo nostras, quæso, fonte sordes eluito, abstergitoque labes : voces namque circumsonant ubique ex priscis gentium erroribus natæ, quæ plurimorum mentes contaminarunt. Cæterum ut nemo vidit ratem medio in pelago jactatam, nautisque et navarco destitutam, se nihilominus per se ipsam gubernare, cursumque in portum recta dirigere; sic navium propemodum adinstar res omnes; suum unaquæque patitur defectum : indiget anima arbitrii potestate, Conditoris opera et regimine mundus, Ecclesia Salvatore, et Spiritu sancto Altare.

SERMO XCVII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS VI.

I. Agite, porro, nunc qua via nam aggrediamur fatum? Si hospes est, peregrinum excedere natura jubet; sin vero dominus, dominatum exuere cogat vis. Fatum totus orbis, magnus actor, accusat. Justitia fatum repellit, infinitum malum; nec patitur gratia acerbissimam pestem. Si favet principi prosperum et salutare sidus, cur cæco nulla succurrat stella, visumque restituat? Scilicet fato,

cui omnia subesse dicis, naturæ defectus imperant. Sua præterea fatum inconstantia accusat, ejusque potestatem infamat; nam si fatum alteri abstulit lumina, alteri digitos usquequaque perfectos cur dedit? Si contingat informem prodire fœtum pedibus sensibusve defectum, Mathematicos sciscitare quisnam deforme corpus conformavit in utero? Quantove temporis intervallo pueri natalem istuc factum antecessit? Quod si forte reponant duo distincta tempora distinctis subesse fatis, videant ne ista se mutuo convellant, primum videlicet, quod fœtum incœpit, et extremum, quod jam perfectum in lucem produxit. Si vero contra negent, horas infantis præsides, fuisse diversas, imo eamdem, quæ fœtum formaverat, horam recurrere et nativitati præsidere cæteraque componere atque perficere, papæ quam oppido falluntur et fallunt! Nec enim hora, quæ transiit, modo vitium emendare valet in ipso conceptu antea contractum et manifeste deprehensum. Quin ergo agnoscis potentiam illius qui horoscopos evertit, atque fœtibus intra uterum pro potestate vitam ademit restituitque natis cum libuit?

II. Sed enimvero et illud ante statuendum est, quomodo suum infans tempus cum horoscopo dividat, quove Mathematici calculo utriusque rationes explicent, utrum videlicet ad formationis tempus horoscopum referant, aut in ipsa nativitate subsistant? Utrumlibet assumant, inde fatum premitur ac tenetur. Si enim diem natalem petant, hunc prævertit conceptionis tempus; sin hujus momenta scrutari pergant, occulta ista sunt et penitus ignota. Præterea si cuipiam lumen abstulit sidus, quod robustum credis, unde evenire putes ut misero huic nulla similis stella visum hactenus reddere potuerit? Sin ais horoscopum a natura fuisse superatum: id enimvero contendimus testamurque naturæ dominum cuncta agere et moderari,

perindeque ordinasse sortes, ut per omnia tempora servi servos, liberique liberos procrearent.

III. Et sane si fato fieri putas ut piscis piscem devoret, cur non item ut ovis ovem occidat? Et siquidem horoscopi oculos dispensant quonam surgente sidere, talpis decreta sors est, ut omnes orbæ nascantur. Quin nec inepte horoscoporum patronos percontabitur quispiam, ut explicent quis sit cacodæmonum et dæmoniorum horoscopus? aut quæ fuerit fatalis hora legionis quæ Chaldæos invasit, et adhuc obtinet. Repete modo quas audisti variantes Fatidicorum syntaxes et constructiones, proindeque se mutuo destruentes : sin minime audisti, agedum explora, Divinos, Hariolos et Chaldæos sciscitando quodlibet ; statim falsos deprehendes et mendaces. Fundamenta scilicet, quibus arx ipsa incumbit, labant, apertisque rimis ubique hiant. Auguralem scientiam aruspicina destruit, dissolvunt se invicem incantamenta, somnia somniantes ludunt, et sidera Magos. Quid quod cum stellarum et planetarum motus ipsis astris liberi non sint, expediant nobis Fatidici quæstionem omnium obscurissimam, quisnam singularum stellarum motum cieat et moderetur? Simul cogitent quam inepte agant cum, servo pedibus capto, herum perinde suos non habentem in potestate motus committunt?

IV. Vir acris ingenii Bardesanes, qui vulgare fatum accusat, commentus fatum illo præstantius, suorum quippe arbitrum progressuum atque regressuum, necessitatem, quam in imis arguit, eamdem in summis arguere cogitur : vim namque aliquam ista sustinere manifeste probant ipsorum deliquia. Facessant itaque impia Chaldæorum dictata, quæ divinum Opificem vehementer irritant, dum ejus potestatem circumscribunt, et aiunt cæca illam necessitate duci, ejusque prospicientiam una cum stellis errare.

Ecquis jam deinceps optimum diligat, ecquis justum colat, si judicii quæstiones tollas, et claudas vindictæ caminum? Age vero si fœtui in utero matris præfuit hora cædium præsaga, mox natura vitium correxit, quando, procedente ætate, puberem arbitrii potestate instruxit, comparavitque ut suos in virtute profectus cum adolescentis ætatis incremento promoveret. Jam cum, ætate variante, electiones prodeant diversæ ex deliberatione et consilio rationis, evidenter concluditur rectam institutionem, modestam castamque finxisse juventutem, et commodam senectutem attulisse.

V. Vagantur sidera, nec motu feruntur uno, nec proinde horoscopus errare desinet; non enim ipsis potestas est consulendi quas velint conversiones ac tempestates. Vis atque violentia omnia premunt involvuntque tempora. Quo ergo hominis pubertatem et senectutem intactas relinquit, rixantibus declarat arbitrii libertati palmam deberi. Veritas una est, nec veritatis vis infringitur; quod si auditores inter se divisi litigant, pulcherrimam veritatis speciem temere disceptantium fœda colluvies minime afficit, minusque deturpat. Porro si veritas divisionem non patitur, restat, hanc disquirendi disceptandique libidinem quamdam esse hominis ægritudinem, qui, quod sanæ mentis argumentum est, disciplinæ terminos non observat; rectam quippe fidem tenentibus tres statuuntur fines, quos prætergredi nefas est. Istos proinde intra limites cogitationum nostrarum evagationes contineamus, quorum alter circum alteri insidet, nec invidet; cæterum si unum prætergrediaris, centies millenæ, quibus omnes muniuntur, occurrent feræ. Decumani fluctus disputantium æstum prohibent divinam illam generationem attingere: cingunt eamdem præalti muri in modum, ut opposito velut aggeri impacta mens cogatur refracto impetu retrocedere. Præ-

terquam quod nostram ratiocinationem cohibet orationis vacuitas ne eo provehi queat ubi fontem inveniat et examinet, sed et undæ circumfrementis sali accedentem revolvunt, rejiciuntque retrorsum utramque. Quare sinamus ista retrusa tenebrisque circumsepta, et ad Chaldæos regrediamur. Si cui præfuit horoscopus, et infimam nascenti sortem præfinivit. Si post contingat horoscopum occidere, atque suo occasu funestam ac pestiferam illam horam secum devolvere citra ullam pueri jam puberis injuriam, bona infantis indoles, quæ horam cohibuit, victam etiam fuisse testatur.

VI. Præterea quomodo fatum omnia ordinare et componere dicis, quod nihil non perturbat et confundit? Alioquin si fatum omnia gubernaret, quid necesse foret pondera et mensuras statuere, condere leges, et jura præscribere? Adeo ubique fatum tenetur, et causa cadit. Orbis universus uno reclamat ore, fatum factum homini laqueum ad omne nefas. Profecto nec circumcisionem nec præputium fatum instituit, nec fato fit ut gens illa consuetudines observet, ista disciplinam, altera ciborum delectum sibi præscribat, altera morum. Unde nam tantus piorum in orbe proventus? istorum certe institutum fati vim, atque naturæ vitium contemnenda docuit, cum neutrum sanctimoniam puris mentibus infuderit. Utrumque, fatum, inquam, et naturam, sprevere locupletes, qui opes dispensavere suas, quique paupertatis ærumnas patienter tolerarunt inopes. Nec illa profecto magni fecerunt, quicumque cibi potionisque desiderium frenantes, temperantiam constanter fortiterque coluerunt; fatumque fabulam esse clamant, qui continentiam et virginitatem adamarunt. Vides quot fatum oppugnant adversarii, vides autem plurimos; omnes in acie pede in uno perstitere; nec obstitit fatum quin in deliberato sibi vitæ cursu constantissime

perseverarent. Si quem fatum edidit orationis expertem et mutum, is nusquam loquitur; si ergo fatum ita comparavit manum, ut ubique occideret, unde fit ut sicarii brachium torpeat in turba; quis præsidentis astri impressionem modo cohibuit? Præsente judice mœcha pudefit, et commissum flagitium damnat; quis aspectum illius impuri sideris castigavit? Rursus si justum et æquum perinde ut injustum et iniquum a fato fingitur, quare illud omnes amant, istud oderunt? Item si nulla est liberi arbitrii potestas, nec ulla discernendi facultas, sed a fato omnia unice pendent et aguntur, unde norunt homines esse Deum? Aut quomodo de fato ejusque legibus Christus triumphavit?

VII. Postremum, si fatum verax est, nec a vero unquam discordat, et siquidem nemo non illo præsente agenteque potest cogitare, aut movere quodlibet, necessario sequitur, nullam motionem aut cogitationem, proinde nec orationem aliquando a veritate deflectere; sin autem nec id verum est, et fatum sæpe mentitur, obstruantur ora litigantium; et mentium perturbatrix disceptatio tandem aliquando conquiescat. Disputandi libido intolerabile jugum Chaldæorum induxit; quo enim voluntas suarum deliberationum arbitra propria potestate dejicitur, coguntur homines ad mutarum animantium conditionem descendere; terra, mare communem Opificem orant ut alium a fato gubernatorem et aurigam suo currui navigioque provideat. Tu vero hinc eruditus, disce rerum conditorem earumdem etiam esse rectorem.

SERMO XCVIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS VII.

I. Pro comperto habeto, frater, ea, quæ societatem appetunt, perinde nec solitaria condita fuisse; alioquin nec appeterent. Quid ergo? num divino Opifici placuisse putes, qui cæteroquin in reptilibus societatis conjunctionem pro sua æquabilitate tuetur, purissimos illos spiritus in eas conjicere angustias, ut quamvis semen ipsis infudisset, novale negaret, adeo, ut in infimum orbem descendere compulsi fuerint, ibique receptam sementem, ei, quam nacti fuissent, terræ committere? Ficta et commentitia fabula est, quam supervacaneum est confutare, cum ipsa se satis superque refellat. Nec vero matris in utero tanto par fœtui capedo fuisset. Ipsa parentis complexio arguit nati proceritatem talem futuram fuisse, quæ summo vertice astra contingeret. Scilicet ejuscemodi nugarum compositores natura ipsa rejectat, et ipsæ fœminæ fictum factum redarguunt. Sed enimvero quisquis cæco odio quempiam persequitur, hunc mirifice delectat audire quidquid adversarii existimationi honorique deterere posse videt, pronisque auribus excipit quælibet, quavis fama jactentur, nec verisimile ab improbabili discernit. Manes ut verum odit, sic commenta credit, nec enim habet vocabulorum exploratricem fornacem. Gigantum fabulam veram historiam putavit, et Chaldæorum errorem, scientiam credidit. Nec, quod profundæ stultitiæ indicium est, manifestam vidit positionum contradictionem, ut quæ se mutuo convellant. Et vero quis castissimos cœli cives ad nefa-

rium facinus excivit? Fatum-ne illos forte afflaverit? At quo aditu aspectum Veneris eo se insinuare potuisse credas? Vides-ne ineptos fabulæ artifices ab imis perinde atque a summis deprehensos et convictos?

II. Rursus observa variantes hominum staturas, indeque fati vanitatem arguito; opponitur Gigantum soboli alia hominum progenies [1], quos homines dimidiatos dicere possumus, ad quorum staturam accedit brevis et pusilla; cujusmodi statura fuit Zachæus publicanus [2]. Jam si contingat hanc postremam ab excelsæ staturæ parentibus propagari, quis ambigat inde varietatem auctum iri, multoque magis conspicuam futuram? Ab uno mirabili fonte protoplasto omnium vocum et figurarum communis fluvius effluxit, Gigantum quoque proceritas brevisque Pumilionum statura. Hinc rursus dissidentium protervia vehementer premitur; nam si Angeli cœlo delapsi Gigantum propagavere genus, explicent fabulæ auctores unde quove sata parente Pumilorum natio prodierit. Tres a Noëmo expressæ in posterorum corporibus emicuere formæ, prima Gigantum, altera infra ipsam quam vocant mediocrem et justam, postrema pumilorum dicta. Hinc iterum fabula descensus Cœlituum exploditur: si enim Angeli giganteæ gentis auctores fuerunt, postquam hæc cataclysmo penitus interiit et deleta est, quis deinde tum giganteum genus reparavit, et pumilos atque cubitalis staturæ homines progeneravit? Scilicet qui nunc, etiam tunc ab orbis conditu, homines congeneres sibi homines procreabant.

[1] Gen. vi, 4. — [2] Luc. xix, 3.

SERMO XCIX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS VIII.

I. Quin mutas animantes audimus docentes, non fuisse suo generi definita ab astris conjugiorum tempora, proinde nec hominibus confusa? Erubescamus ad avium casta connubia, rejiciamus usquequaque Zodiaci signa; nec enim astra pudicitiam docuere milvos, nec illa viros, aut fœminas generis nostri, contrario vitio imbutos, in turpissima scelera impulerunt. Sed hæc hactenus: accipe nunc quo plane obseres Chaldæorum ora. Quid ais? Unum-ne præsidet astrum maritis perinde atque uxoribus, adeo ut idem judex istas quidem in adulterio interpellatas capite damnet: illos vero fœminas ad nefaria seducentes absolvat? aut diversum præest masculis sidus, et fœminis aliud? aut: papæ quantum chaldæi libellus et fatum aberrant! Virgines segregatæ clausis continentur septis, nuptæ intra thalami angustias cohibentur: eunuchi et pedisequæ ad illarum custodiam perpetuo excubant: nemo non istas observat, sibi quisque fas esse ducit ipsas arguere, increpare. Quis, cujas aut unde perpetuus iste mulieres invasit hostis? Vel quis exemit legibus viros, et impune vagari permisit, ut impure intemperanterque vivendo in singulos dies justitiam magis irritent? Fatum-ne, dices, concessit viris intra atque extra lares vagas exercere libidines, adeo ut si quis servi violet uxorem, non idcirco vita periclitetur? Quid si servus et hera conspirent, et adultero qualem intulit, referant injuriam? Quem jam esse dices qui istiusmodi crimina perpetrantibus succenseat, quia

nefaria aversatur? Quisve eadem vindicet, quia justitiam amat?

II. Justus conjugia libravit; lance in altera appendit Evam, Adamum in altera, nec enim geminos aut geminas fecit, docuit alterum alteri esse obligatum. Hæc ipsa trutina novissimo die redivivos conjuges justis examinabit ponderibus. Quicumque viæ terminos transtulerit, ad sinistram transferetur. Vide, vir, ne tua te intemperantia a justo et recto abripiat, ut putes solam fœminam naturæ legumque statutis teneri. A costa disce judicium tuum; tegitur illa quidem, speciem tamen habet decoram minime lucifugam, minimeque despicabilem; tibi autem ut natura dedit conspicuum et sublime caput, sic vultum texit suffusus ex recentis sceleris conscientia pudor. Jam vero capitis tui figura doctus hoc agita, quo purges oculos, os, frontem, ut ea populo ostendere non pudeat. Hebrææ fœminæ lapsæ sunt, consensere stuprum; eo tamen quod costa infirma est, sua ipsis solummodo culpa nocuit. At vero postquam caput inclinavit in vitium, intemperantiæque se dedidit, vicena hominum millia lapsum secuta pœna involvit et oppressit. Nathan costam præteriit, caput appetiit et objurgavit: dimisit Balam Jacob, et primogenito maledixit.

III. Cæterum si astra fatumve dispensant sortes, pecuniam, agros, quicumque putat ab illis distribui quæ ipsis subjacent atque infima sunt, explicet quisnam propalavit bona astris, fatoque superstantia atque summa? Jam si nec astra nec fatum ista manifestarunt, unde, cedo, isthæc ingentium promissorum scatent fluenta? Inde reor unde promisit Adamo serpens immortalitatem, ex quo tamen mendacio mors et error ad omnes mortales manarunt. Porro si aspectus astrorum reveretur fures, ipsorumque motus sicarios metuunt ac tacent; si ipsorum ardor

in senibus et parvulis languet, et ipsa humana ratio illorum fallaciam redarguit, esto hoc satis ad refellendum Chaldæorum errorem, quo ostendimus nostri arbitrii potestatem astra supervadere. Quicumque integri castique vixere, viri fœminæque justo certamine vicerunt illam impuram, quam tamen septem planetarum numero accensuere Chaldæi. Venus est, quam colunt Ismaëlitæ; nostras in terras illa aliquando invasit, nunc obtinet Hagarenos.

IV. Fatumne dices, corpora suis imbuit coloribus? Atqui nec atrum Indorum colorem unquam mutavit, nec suum Medis fuscavit candorem. Australes populi corpore aquilo, boreales flavo, barbati orientales, occidentales cincinnati fatum explodunt. Diademata et munera regibus et principibus viris deferuntur, quin et saxis artificiose dolatis adolentur thura; opus suum artifex esse novit, honorat tamen et reveretur; qui stellas non vituperet nullus est. Fatum dixere cæcum, senescentem lunam; in trivio tanquam meretriculam exposuere Venerem. Inter planetas duas distinxerunt fœminas, nec nomina sunt, nomina scilicet sine re, nomina sunt fœminarum, quas puta plenas stupri, sceleris, flagitii. Si autem communes omnium uxores sunt, quem ex his pudicum, quemve rectum esse reris? Qui nec avium legibus matrimonia sanxerunt. Lunam, Veneremque fœminas finxere Chaldæi; reliquos quinque planetas mares esse credunt, infamarunt conjugium, meretricioque æquarunt, imo penitus sustulerunt. Habet hinc Chaldæi uxor, quo conjugem zelotypum premat et confundat; decet enim Chaldæi uxorem sideris ejus institutum tenere: parenti item convenit filiæ consulere, ut lunæ se instituendam tradat, quo tandem discat non esse pudicam. Alium præterea aiunt esse planetam cruentum et crudelem, et hunc filio præceptorem designet; ita tamen ut nec ipse Chaldæus detrectet imitari Saturnum, suosque vorare natos.

SERMO C.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS IX.

I. Censes-ne planetam, quem rhetorem dicis, esse disertum? Os namque motumque sideris gubernat extranea vis. Adeo certum est quem asseveras omnium actuum arbitrum esse, nec suum habere in potestate motum; cum ergo sit expers vitæ, otiosum esse oportet, nihilque per se agitare, minus vero quodlibet animare. Nec vero credibile est inanimem exanimatis vitam impertiri, aut nostræ menti infantem fandi facultatem inserere: deinde quî fieri dices ut cæcus nascatur sub sidere non cæco, et sub planeta non muto mutus? Næ tu claudicas quicumque doces claudicare stellas. Quin dicis, fatum monstrum esse informe, omnibus conflatum formis, mutum, cæcum, claudum, et malo dæmone obsessum. O qualis, quam horribilis fera Chaldæos invasit!

II. Porro si zodiaci signa ac planetæ mente intelligentiaque prædita sunt, suam profecto norunt conditionem; vilissima autem est, cum illorum orbes externa vi perpetuo rotentur motu, ipsorumque potestas in eas angustias contracta sit, ut nec inimicis nocere possint, nec amicis prodesse; utrumque vel infimo principis servo concessum est. Ex eo quod calidus semper sit ignis, quod aër frigidus, humidumque elementum aquæ, terræ vero siccum, constat ex eorumdem natura proprietates ipsas profluere, quare nec illorum potestati arbitriove subesse. Jam ut omnia sua ratiocinia conferant Chaldæi, nihil afferent quo explicent quomodo cæci sideris aspectus fatuos promiscue ac sa-

pientes hactenus procrearit : nam si quæcumque calore prædita sunt aut frigore, frigida aut calida progenerant, id utique ex indita sibi facultate efficiunt; de suo itaque sua per se communicant, nec præter approximationem causæ ad effectum nullus interest aspectus. Jam si astra, quod visu intelligentiaque careant, neutrum impertiri posse compertum est, unus ergo est cujus voluntas rerum omnium est thesaurus. Borealium regionum editiora loca perpetuis nivibus obsita sunt : calore solis ideo, arbitror, nunquam usquequaque tabescunt, ut zodiaci signa redarguant, perpetui velut testes, non potuisse fato dissipari nives fluviis aquilonis concessas indiminutæ scatebræ supplementa; nec ab aspectu gelidi sideris constare inexhaustum aquarum nivalium thesaurum, fontibus paratum siccitatis remedium.

III. Eversæ naves, obruti portus, urbes excisæ, pestilitates et morbi, terræ motus et succussiones, alluviones et bella, horoscopum, quo communem et æqualem esse docent, arguunt nullum esse. Tabernacula Hebræorum, Hagarenorum tentoria, mores et leges, esse se convincunt liberæ voluntatis opus. Mirum sane quo prolapsi sint hominum mores, ut celebrare liceat lymphatorum festa, eorum pulsare tintinnabula, ludos exhibere et fabulas recitare! Chaldæorum sunt hæc commenta. Quis enim alius nefandæ Veneris instituit ferias, in quibus fas esset matronis suam populo prostituere pudicitiam? Quid istuc? Num sidus aliquod eisdem adhuc virginibus præfuit, impulitque ut impudicitiæ pudorem voti religione obligarent? Vides omnes populos præfectis parere, principes observare suos, regesque suos colere. At nos quis, cedo, retraxit a religione siderum? Ipsa scilicet astra ad id nos compulere, et ab ipsis deficere coëgerunt. Quis autem fatum jurabit, a quo cogimur ipsum ejurare? vel quis domi-

num observet, qui sibi inservientem compellit erubescere talis heri famulatum? Vides-ne, ut fatum, quod servos suis dominis subjecit, nos idem sibi rebelles fecit? Fatum in nobis seipsum adversus se concitavit. Nam si nulla nobis inest potestas arbitrii, vis utique nos cogit fatum pessimis despicatum habere modis; fatum, inquam, quod regi coram maledicere nos prohibet. Scilicet cum æquissimum magistratibus se præbeat, sibi maxime iniquum est.

SERMO CI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS X.

I. Sol radiis nobis suam fœneratur lucem; si sic astra suos dispensant aspectus, ipsorum ortus nec dissimilis, nec inæqualis erit, quovis temporis puncto contingat, nec ullam proinde vim habebit hora. Ab astris velut a fonte, ais, profluit humana voluntas. Si hoc dicis, inepte dicis; quandoquidem nec ipsis astris inesse arbitrium ostendit impressus ab externa vi motus. Porro, si quos astra versant orbes, definitis distinguuntur periodis, quarum aliæ sublimes, humiles aliæ, indeque astra diversimode in genituram influere dicis; si hoc dicis, edissere simpliciter, remotisque ambagibus, quidnam a signis zodiaci, aut a planetis in nobis subsidere credas? Nobiscum enim eadem implicari ais, visne an voluntas, aspectusne an arbitrium? Cum suum ignis calorem rebus communicat, mox adventitius ardor ille revanescit et extinguitur. Jam quæro utrum stella lucem ab orbe suo dividat, et si id fiat, quomodo

decisa pars luminis in nobis resideat, atque alternante in dies casu, modo vincat, modo vincatur? An forte alia huic succenturiatur potestas, sibique nos subigit, vel stella redit genituræ præses, seni repræsentatura fatum, quod disposuerat infanti? Deinde si astrorum aspectus somnia non sunt, quomodo aspectus sine aspectante in nobis subsistit, aut sine influxu corporis lucidi perseverat lux, aut sine impressione cœpit vis insita? Nec ergo ista ante extiterunt, nec modo intereunt. Rursus si astrorum vis deficit et concidit, quid istud sit quod nobis illabi aiunt? Profecto sive hoc perseverare dicas, sive tandem desinere, quodcumque id sit, unum non est, nec ab uno sidere fluit; cum evidens sit, inditos nobis esse varios et diversos affectus, atque singulos propriis agitari motibus: incredibile autem est excitos ab iis fluctus unius astri aspectu componi, ut unaquæque facultas ad proprios actus in tempore revocetur. Finge fatum homini cuipiam disposuisse futuram circa finem vitæ morum mutationem, ut ex pudico et modesto procax et luxuriosus fiat; quis, quæso, antea stellam compescuit, deinde laxavit? Num somnus eamdem oppressit, postea reliquit? Item, quis nunc priori illi astro modestissimo intemperantissimum istud subrogavit? Fatumne iteravit quem peregerat cursum, et viam quam iverat redivit?

II. Animantes contemplare mutas: sui generis ægros nec invisere solent, nec gratiam agnoscunt cum invisuntur; vile insectum, etsi sensu intelligentiaque careat, colligit annonam, et in posterum tempus recondit. Genus omne viventium ratione carentium benignitatem ac beneficentiam in pauperes ignorat, quia nec mortuorum resurrectionem expectat. Inde lauda illum, qui nostrum arbitrium singulari prærogativa distinxit, quominus ædes nostras in stabula ferarum converteremus. Lucifugas noctuas non visi-

tant columbæ; simplici lepori suam vulpes non communicat astutiam; non opitulantur natantibus pisces : alienas calamitates non sentiunt feræ. Hunc zodiaci signa ordinem minime repererunt; ille repertor fuit ubique prædicandus, qui hominis rationem ad summa erexit. Hic æger decumbit, ut decumbentem ille sanus invisat, et inde valetudinem et firmitatem sibi procuret : alter esurit, ut ipsius esuriem alter depellat, et inde sibi vitam comparet diuturniorem : alius quispiam erravit, errantem alius correxit, quo ipse proficeret : sic mundo provisum est, ut inconcussus eat. Repertæ sunt sexcentæ artes, et ad nostrum commodum conservantur, quibus nihilominus Chaldæi quotidie Dei indignationem irritant. Omnem apud superos exercendæ misericordiæ occasionem sustulit ipsorum opulentia; nec ulli licet egentis socii inopiam suis opibus sublevare. Cæcum esse oportet Chaldæum, qui non videat locatam supra sidera beatam vitam, et infra sidera egestatem et misericordiam. Philosophorum sectæ et variantes hominum opiniones Chaldæi proterviam arguunt. Mirum sane est quot et quam varias homines invenerint religiones, et quanta cum pertinacia singulæ gentes statas cæremonias constantissime retinuerint, nec potuit populum quempiam cogere, ut assumpta semel sacra mutaret, ille magnus siderum cursus, quem insani isti homines prædicant esse vicissitudinum et mutationum rotam. Quisnam, rogo, pernicissimarum alitum pennas implicavit?

SERMO CII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XI.

I. Qui nostra soles medicare mala, nostram, oro, ſcura libertatem; hanc, precor, sana atque etiam expiato; ferto opem laboranti: ejus namque valetudo tuo constat numine. Præclarissimum munus est potestas arbitrii, qua nos supra maria sublimasti, etenim ista suis coërcentur terminis, quin et supra montium cacumina et cœlorum orbes, quibus cum absit vis faciendi, quid velint, admodum exigua sunt. Oremus Dominum ut animum mentemque nostram visitet; æstuat nimirum habendi cupiditate, angiturque curis parta conservandi molestissimis. Sic hominis ratio, intestino suarum perturbationum bello vexata, de summa suæ potestatis periclitatur. Nullum profecto malum homini accidit, quod ipsius voluntas non accerserit, ratione frustra reluctante; nec illi diem atra nox eripiet unquam, si qua excellit eligendi potestate, sibi inditam lucem tueatur; neque pullulabunt vepres, si non suimet culturam negligat. Quæso, Domine, menti nostræ tuum ministrato lumen, incultam excolito; hanc tua lux purgabit et accendet.

II. Illorum qui rectæ fidei præcepta repudiarunt plerique, facta cum Chaldæis manu, hominis libertatem oppresserunt: non vis illos ad id coëgit, sed ipsa, qua præditi erant, arbitrii potestas induxit. Docuerunt a principio malo voluntatem nostram superatam fuisse, fatique dispositionibus subjectam. Atqui demonstrabimus hominis arbitrio ita subesse omnia, quemadmodum istis superest

ipsius Dominus, summus, et supremus bonorum malorumque administrator, cujus proinde potentiam nec malum illud principium, nec fatorum vis eluctari possint, sed nec eidem contrastare et obsistere. Quare habeto gratiam optimo nostræ voluntatis opifici, qui servilis conditionis ancillæ dedit solutam eligendi potestatem, ut nihil impediat, quominus id quod placeat, facere possit. Cæterum quis hanc nostræ voluntatis prærogativam obscurare se posse arbitretur, sole clariorem, suaque sede moliri potestatem divinæ proximam? Mirum quantum illa oppositas nubes eluctata coruscat, quando iidem, qui ejus amplitudinem supprimere tentarunt, ejusdem buccinatores effecti sunt. Suavis est ejus congressus, consuetudo jucunda, et augustissimum nomen. Illius proinde gratiam agnoscito, qui suis mandatis coronam texuit, quo libera voluntas ornaretur; laudem rursus et gloriam illi tribuito, qui justorum numerum amplificavit, quo totidem humanæ libertatis testes ac præcones haberemus.

III. Divinæ Scripturæ tradunt improbos homines de abusu concessæ libertatis a Justo fuisse reprehensos: porro si, impellente malo principio, mala mali facerent, impulsorem Justus de injuria appellaret, aut coërceret, et si fatum homines parricidas efficeret, non istos, sed illud omnes accusaremus; ipsos scilicet scelerum auctores deferre solemus, quibus talia audentibus eligendi potestas integra et soluta manebat. Quare omni laude amplificandus est ille, qui per interpretes suos Moysen et Danielem reges in propria regia damnavit.

IV. Cæterum, quemadmodum vis arbitrii ingenitam sibi honestatem insidiose adoritur, atque inertia et segnitie nititur corrumpere, nisi quod Justus, admoto verbere, cessantem identidem excitat, quod cum senserit, creditum sibi depositum redhibere tandem deliberat; sic veritatem

voluntas perversa molitur evertere. Quanquam Magi et Chaldæi ejus vim eluctari non potuerunt, quominus vel inviti eamdem faterentur. Agnosce numen illius, cujus nutu, subductis quibus error obtendebatur velis, emicuit effulsitque occultata veritas. Hinc rursus ipsius mirare consilium, quod olim Adamum nec magna nec valida tentatione pulsari permiserit, ne quis videlicet maligne objiceret Adamum corruisse ineluctabili quodam impetu raptum, aut alia quavis peregrina vi coactum, vilissimum instrumentum adhibuit serpentem bestiarum congenerem, unde et bestiam nominavit, sua proinde conditione servum, qui etiam pedibus mulctatus, infra generis sui gradum projectus est, ut Adamum tandem puderet tantilli adversarii impressione se fuisse superatum : enimvero mari similis apparuit, quemlibet sibilantis auræ flatum secundanti.

V. Babylonius Chaldæos ad supplicium rapi jussit, ipsorumque disciplinam damnavit[1]. Quo periculum evaderent, quæsivere nomen quod fati vocabulo præstantius haberetur. Nam si suorum deorum opem putassent implorandam, ab illis utique propositæ quæstionis solutionem discere se posse credidissent : jam si aliud nomen prodiderunt, ipsi propriæ disciplinæ existimationi detraxerunt. Illum proinde testare magnum, qui, absente adhuc Daniele, magos ex ipsis et in ipsis redarguit. Enimvero qui Deum summum ac supremum jurare nunquam didicerant, hunc fateri et laudare coëgit callida necessitas, et quam hactenus pernegaverant veritatem promulgare. Nec tamen nisi ex arbitrii potestate illam occultare studebant. Postquam vero Dei nomen, esto in numero plurali prodiderunt, occurrit Daniel, Deumque unum, cujus est potestas superorum et inferorum, publicavit. Illum itaque magnifica, qui mysteriorum scientiam mani-

[1] Dan. II, 12.

festavit, docuitque istam ab homine precibus impetrari. Talem porro negant Chaldæi fato facultatem, dum arithmeticæ artis subsidio secretorum cognitionem obtineri affirmant, quam qui teneat, eum omnium rerum scientiam adepturum promittunt. Interea, dum se deprehensos plane cernerent inter dolum et gladium, quo utrique parti occurrerent, fati notionem ignoto numini affinxerunt libero artique minime subjecto, supplicantibus tamen quidquid postularent indulgenti. Ita demum veritatem publice et palam professis, capitis periculum evadere licuit, Deo benefactum hunc in modum remunerante. Postquam vero repressi fuere protervi et animales homines, atque disceptando lassati obstupefactique obmutuere : rursus postquam eorumdem disciplina, indeque natæ divinatoriæ artes et idololatria non sine opprobratione rejecta fuere, morbusque remittere cœpit, tum demum Optimus hebræos medicos introduxit. Sic deprehensæ tum miraculorum vanitas, tum deorum fictilium impotentia, morbum depulere. Benedictio ei, qui illorum languores miseratus, arbitrii, quo præditi erant, potestate curavit.

VI. Babylonio in augurali scientia Pharao consors fuit; fatum tamen, quod ille complexus est, repudiavit, ostenditque non inde petendas esse lethi causas. Istorum acta ipsorum scita refellunt. Quomodo enim cum sub eodem horoscopo nati fuissent pueri puellæque, istas dimisit, et illos fatum demersit? Justitiam agnoscito illius, qui malum suis auctoribus rependit, et iterum majori adhuc mensura in pelago refudit. Ægyptus, cladibus attrita, didicit eamdem, quæ percussit, sanare manum. Nec enim a Chaldæis accepit, quod egit, quando, gliscente malo, ad Moysen confugit, et medicinam depoposcit. Nisi fortasse dicas clades iterandas fuisse, ne in casum, quod patiebantur, malum rejicerent. Per decem verberata vices veritatem

agnovit : Moyses docuit Ægyptum, Philisthæam vaccæ [1]. Euge, illum magnifica, qui sinus incantationum divinationumque plenos nudavit : Ægyptus pharmacorum myrotheca fuit, Babylon amuletorum officina. Assyria quoque Sennacheribi casu erudita fuit; suæ pariter Indos ab Asa profligatæ acies ad pietatem informarunt. Altissimus omnes populos per varios et diversos casus velut admotis stimulis increpuit, ut moniti oculos ad eum pie converterent. Illum laudare justum est, a quo una duo docti sumus, et nos Domino subesse, nobisque vicissim subesse arbitrium decernendi, quid velimus.

SERMO CIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XII.

I. Justus errantes Josephi opera perspicuam docuit veritatem. Postquam vero ad veteres errores revoluti sunt, Moyses illam scripto tradidit, atque ne mente excideret, illorum corporibus incidit, occulta calamum ducente manu; non atramento, sed vulnere inflicto veritatem exaravit. Suam tunc erubuere magi imbecillitatem, quod suis se artibus tueri non possent; nec vim propulsare suis minime patentem sensibus, non dubio tamen verbere ipsorum membra quatientem, Mose præsente, illo nimirum, cui traducta apud reginam auguriis deditam adolescentia, hujusmodi lutum allinere non potuit. Fides nempe cum adolescente adolescebat, et aucta ætate augebatur; ipsi videlicet concessum fuit, quod hebrææ juventuti idem

[1] 1 Reg. VI, 10.

postea præstitit, quando vestes per deserta iter agentium deteri passus non est, nec producta corporum statura proportionem amittere, indumentorum mensura membrorum dimensiones paribus incrementis perpetuo coæquante. Et quoniam nec pudore vinci se passus fuerat, ut filiæ Pharaonis morem gereret, et obsequeretur erranti; nec vultum ejus vitiosus asperserat rubor, quem verendæ cujusvis personæ conspectus ciere solet, ideo Deus ipsius faciem augustiore specie decoravit, et quia Ægyptiorum deos repulerat, ipsum constituit Deum, et adversus eos expedivit. Sic Moses illustri exemplo nobis demonstravit, divitem in fide opulentiorum conspectum non vereri, et potentiorum amplitudinem et gloriam non magni facere: nec enim timore capi timentem terrentem omnia, atque in unum super omnia summum mentis aciem intendentem, dummodo vultum conservet pura nitentem fide, nec inhonesto, quem dixi, rubore genas inficiat: quod quidem vera hominis ignominia est, cujus proinde ipsum pudere debet. Justus rursum veræ religionis præcepta, Daniele interprete, Babyloniis tradidit; cum vero tradita animo obliterassent, excussæ e fornace flammæ ea restituerunt. Nec tamen profecit, quominus iterum desiperent; quamobrem submissa in aulam erroris vola manus, eadem, quæ docuerat, ad memoriæ subsidium, in adversaria retulit: solis lunæque meatus fixo limite inhibuit filius Nun,[1] suorumque numinum impotentiam Chananæis patefecit. Unus homo planetas duos, ea qua præditus erat fide coërcuit: increpuit, properantesque in occasum medio in cursu cohibuit; nec valuere sibi fixos ab illo limites transcendere. Chaldæi contraxere frontem, pudore suffusi: mirabantur quomodo homo unus, quem ipsorum disciplina subjectum astris prædicabat, eorumdem meatus interrupisset, et cum

[1] Judic. x, 12.

septem planetis etiam duodecim signa fixisset. Errorem Scriptura confutavit ostenditque nullum nobis præesse fatum, sed homini cuncta subesse. Ad solidum astra diem continuit Deus, Justo annuens petenti inchoatæ victoriæ consummationem. Nec enim ad modum somnii, aut expressæ fortuito nubium concursu imaginis, signum istud exhibuit, sed congeminavit dies, ut fatuis augeretur in duplum intelligentia, et veritas ab errantibus duplo clarior ipso in sole spectaretur. Et quoniam nec eo perfectum est, quominus stultissimi homines, filii tenebrarum, vulgarent illud miraculum casui vel cuipiam contrariæ causæ adscribendum fuisse, recte dispositum est, ut, quandoquidem auctæ in duplum illorum mentibus incubuerant tenebræ, lux pariter ministraretur altero tanto major, quæ falsam opinationem revelleret; quod et factum est, cum postmodum sol decem quos peregerat gradus relegit [1], ut decies vicies errorem refelleret.

SERMO CIV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XIII.

I. Ut vidit Elias [2] nefarios Baalis mystarum conventus, animadvertitque contentiosis placere pugnam, ut quidquid ipse pro veritate diceret, illi contradicerent, et vociferarentur, atque dicentem subsannarent, Dei injuria valde commotus est, eo magis quod cerneret eos, Jezabelis potentia fretos, talia audere. Nec tamen cæco impetu certamen iniit, nec imperitorum more, sed sapientiæ, quam a

[1] Jos. XXXVIII, 7, 8. — [2] 3 Reg. 18.

summo Vero hauserat, ductum secutus, summo digito pluviam simul tetigit, simul suspendit, quo discerent potentissimi quique, quæ foret illa vis quæ posset reddere cœlestibus aquis motum. Cœli januas clausit, et imbres prohibuit; abegit rorem, nubes et nebulas dissipavit, et ventos in secretos carceres retrusit; tum fluidus aër æris duritiem induit; mollis gleba in ductile ferrum transiit. Ergo quemadmodum Moses[1] quo ruentem grandinis procellam compescuit, Magorum fastum repressit: sic Elias[2], divino succensus zelo, quo pluvias, hyemante jam anno, cohibuit, exhibuit veritati evidentissimum argumentum, quod vel cæcus animadverteret, dum imbriferam sub tempestatem sustinuit imbres. Ille mitissimus grandinem suspendit, pluviam iste studiosissimus divini honoris. Mirabantur ad ejus imperium extemplo glomerari nubes, et paulatim revanescere, iterumque ad ejusdem preces condensari et opacare cœlum; utroque Achabi superbia retusa est. Postquam vero cœlum saturitatis et copiæ thesaurum verbo uno clausit, in solitudinem secessit, ut quæreretur, imo ut ipsum quærentes veritatem quærerent: id enim secuturum prævidit, ut per varias regiones dispersi quæsitores, dum prophetam petunt, una simul publicarent cujusnam numine cœli cohiberentur. Continuit cœli ubera, victuorum fontes zelotes; inde cœperunt lactentes pueri, terræ indigenæ, fame sitique conflictari. Intercepti sunt agrorum proventus, suspenso cœlesti rore, et, sublata pluviarum irrigatione, aruere segetes. Inde patuit magna fidei dignitas, quod piis credentibus de suo mensas instrueret.

II. Interea, dum integro triennio, et senos solidos menses cœlum cinere deplueret, pseudoprophetæ, et cæteri, operto capite, conticuere; Baalis sacrifici suum erubuere

[1] Exod. IX, 23. — [2] 1 Reg. XVII, 17.

deum : puduit artis suæ divinos ; victique dedere manus contentiosi : nugatores Chaldæi suas fabulas damnarunt, animadversa septenarum virtutum imbecillitate, quod propriis cultoribus ne rorem quidem impertiri potuissent : erubuere simul, quem dicebant Hermetem pluvium, quod homo unus siti discruciaret universos : simili Jezabel suffusa pudore intellexit suis saginari epulis mendacium prophetarum colluviem ; scilicet octingenti Baalis mystæ nodum solvere nequiverant, quem illius zelotis strinxerat digitus : sic laqueo pressit colla primum, oculos deinde fefellit fuga. At, qui rempublicam administrabant, ingens versabat cura, cum cernerent siccas fluere hyemes, subiitque cogitatio placandos esse deos. Sed nimirum quo plures hostias falsis diis mactabant, eo magis Deum verum exasperabant; nec unquam intelligere potuerunt eam calamitatem impiæ indigenarum simulacra colentium religioni esse unice ascribendam : neque oculos eo advertetunt, unde velut e superiore loco Deus ipsos cædebat. Et esto scirent magnum aliquod numen esse, quo jubente, cœlum negabat aquas, non potuere tamen assequi quomodo et quorsum id fieri juberet, nedum nomen aut naturam ejus, cui temporum cursum ac tempestatum conversiones et ordinem perturbare liceret. Postquam vero Achabus Eliam quærere instituit, suorum quæsitorum opera errorem sustulit, occultam veritatem prodidit, errorem evulsit, incredulos confudit, et impios depressit.

SERMO CV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XIV.

I. Difficilem nactus materiam faber, dura capit instrumenta : ferro rigenti et acri igne, flatuque valido, arte, ac vi domantur metalla et formantur, ut nostris aptentur usibus. Bestias, quas natura cicures ac tractabiles non genuit, frenum et jugum ferociam exuere docent, et parere rectori. Quælibet natura, si rebellis sit, tormento cicuratur; si morigera, fovetur: remollit asperos virga, mites gubernat caritas; ergo obedientiam extorquet jugum, virga pertinaciam frangit, dolor acerbitatem mitigat, ordinat vis, suadet consilium, dirigit sapientia : ad societatem ducit benignitas, profectus ad tentationem; concordiam sequitur pax, victoriam opes, et prudens consilium laus. Hic porro rebelles occurrunt alii Pharaoni comparabiles; qualis ille fuit, quando malefactum admoto verbere damnabat, eoque suspenso, quem exuerat errorem, repetebat, et contumaciam exaggerabat; tales sunt isti homines volubiles, inconstantes, levissimi, cum molliter et blande tractantur, injuriam parant. Sed quos modi suaves fecere improbos, correxere asperi. Si humilem te viderint, idiotam dicent; sique fortem et magnanimum, insanire credent; si suavem et facilem, ut pelagus ratem absorbebunt te et obruent; si severum et rigidum, fugient, tuque cum ignominia a consuetudine sodalium segregaberis ; si negotiis te immiscueris, quasi callidum, veteratorem, retiaque tendentem et laqueos traducent. Si ægrotaverint, requirent te, et si quærentibus excuses absentiam, accusabunt; si inviseris, nul-

lam inde tibi habebunt gratiam, et si convaluerint, deserent, et confirmata valetudine etiam prævertere molientur; si quod debitum exigas, maledicta referes, et si benigne debitores exceperis, quasi servum habebunt. Adeo nec benignitatem ferunt, nec severitatem, qui ubique et undique arripiunt, unde pejores fiant.

II. Quare non mirum eos errorem etiam hausisse, ex quo ipsis accidit omnium sectariorum videre in eodem consensionem, illorum, inquam, qui damnatum Hyles vocabulum a Græcis accepere; istud nimirum nec Moyses in suo Pentateucho meminit, nec indicarunt Prophetæ, nec Apostoli tradiderunt: unam quippe essentiam sempiternam omnes filii veritatis prædicarunt, veritatem contradixere filii mendacii, mutuamque inter se affinitatem in doctrina sanxerunt, docueruntque Hylen esse quamdam substantiam æternam, incorruptam. Et hanc quidem a Creatore dissidere tradidit Marcion; Bardesanes contra ejus in mundi opificio consortem fuisse scripsit; Manes autem Babylonius in carcerem compegit, cum deliraret. Moyses suum esse credidit sacrum mysterium exponere, litterisque consignare. Nec vero piguit justum suorum interpretum opera veritatem audire volentibus declarare. Moses materiam suppressit, quo homunciones istos confunderet ejus nominis buccinatores, quos proinde non puduit mortis Christi auctores imitari, qui, coitione facta, Barabbam appellarunt; latronum scilicet principem cum scirent, sibi ducem crearunt: confidebant, ope robustissimi latronis profligari jam posse, imo et occidi gigantem, qui suam sponte potentiam ipsorum potestati subjiciebat. Suos Marcion lupos congregavit; socius vulpes, Manes de grege suo porcos collegit; arma videlicet parabant adversus illum, qui Davidis opera, straverat leones, et lupos discerpserat, et Samsonem concitarat ad colligandas vulpes suo-

rum fratrum typos, quos suismet verbis stringit veritas et revincit.

III. Vulgatus istorum error circumcisos errantes excivit : concurrerunt una omnes ad concertationes et lites, rhamnus nimirum ad spinas, zizania ad vepres, et carex ad glumas. Inde, obfirmatis animis, direxere acies ad pugnam, cum igne rerum domino dimicare ausi. Conspirarunt immitis vipera, aspis surda, coluber serpens; morsum intentabant lapidi qui contrivit statuam quam somnians babylonius rex descripsit, monstri typum hujus, cui formam capitis accommodavit draco, pedum regulus, ventris aspis. Huc verterunt se vermes, locusta, sordidaque tinea; pertentarunt plantas gigantis editi regibus davidicæ stirpis, quæ mare calcarunt, idemque subeuntes Leviathanis caput contrivere in aquis, indeque ad superos triumphali cum pompa remearunt. Alas explicuit vultur, provolavit, se sociavit corvis filiis tenebrarum. Accipiter milvum vocavit, cum milvo respondit simul erodius; facto agmine, aquilam adorti sunt, illam, inquam, aquilam cœlo natam, quæ alarum sonitu, nubium fragorem imitante, diabolum fugavit, Paradisi fores patefecit, eoque latronem invexit.

SERMO CVI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XV.

I. Ut sano rabidus infundit rabiem, sic proterviam audax modesto, si quidem aures fuerit nactus pronas : leprosus quippe secundum legem mundo immunditiam allinit. Vipera nocentior est inconsulta ac temeraria disceptatio.

Hinc hominis petulantis consuetudinem magis quam reguli halitum cavere discito. Apis insectum vile, et infra cuncta fere volatilia despectum, artifices et eruditos provocat ad contemplandas quas in suis favis recondit opes, et corpuscula, quæ format, sepultaque animat, cogitque in alia tecta migrare, iisque alveari exclusis, vacuatas mox implet thecas nectare suavissimo. Rursus contemplare genus omne volucrum : nulla huic suppetunt instrumenta, nulla artificum opitulatur opera, nulla fabrorum ministrat manus ; mirantur tamen peritissimi quique architecti nidorum ejus structuram : opificia insuper, ac tempora distinguit, ædificium maribus assignat, fœminis sobolem; cogita milvum et hirundinem, notum illius populi opprobrium [1]. Onager zelotypiam didicit, sociam adulteram explorat, in crimine revictam punit. Quis, rogo, locustam volatu elevat uno, unoque ducit motu, et uno temporis momento deponit? Carnivoræ alites illam vorant, in aquas devolvit ventorum rabies : edissere quis insectum tale tot sæculis adhuc conservat? Quis item ova relicta fovet, statoque mense excludit? In eo, quod despectissimum habes, errorem agnosce, et dementissimam plurimorum temeritatem irride, qui Scripturas examinare audent, indeque in tantam dejecti sunt insaniam, ut in divino hominis opificio defectum et confusionem accusent, quando vel fatui testantur in hac rerum universitate nihil esse homine præstantius. Et sane si res a propria natura ad ejus obsequium dispositæ tantam in prima illa sua constitutione extulere dignitatem, et rursus tantam referent elegantiam et venustatem in generali illa mundi innovatione, quam oppido nobiliore forma decoratum fuisse putas a suo conditore Adamum? Papæ ad qualem vesaniam projecta est ætas nostra, dum sapere se putat, ut cuncta aptissime disposita credat

[1] Jer. VIII, 7.

et laudet, non item hominem, quippe quem incomptum et inordinatum neglectum fuisse asseverat! Adeo prædium prædii domino antecellere judicavit. Quocirca alterutrum pro admisso ab ipsis extorquendum est, vel Deum nec esse justum, nec bonum; nam si talis est, homini invidere non potuit, nec inordinatum negligere; vel si eo usque desipuere, ut Deo ubique calumniam struere illos delectet, pergant porro, et malum et stultum esse effatiant: id enim ex utraque thesis parte sequi necesse est, malum nempe fuisse, si prudens talem condidit hominem qualem ipsi fingunt; si autem imprudens, stultum certe sibique minime constantem. Sic nimirum pessimi et stultissimi nebulones illum, quo majus nil cogitare potuerunt, fecere quovis de plebe justitiæ ac disciplinæ studioso minorem. Vides ne, ut in utraque sui parte revictus error, laxata velut compage, concidit?

II. Cæterum si quem justum fateri debent, bonum esse negant, hoc ipso, quo vituperant, imprudentes laudant; pueri nempe sunt, nec animadvertunt quanta cum bonitate dissimulaverit injuriam, suamque temperaverit severitatem; quo nimirum erubescerent; postquam clementiam, quam in ipso desiderare se aiebant, eidem oppido maximam inesse perspexissent ex hoc ipso, quod illos tandiu tolerasset. Jam vero cum non modo eorum blasphemias patienter dissimulet, justitiæque suæ æquissimam severitatem cohibeat, quod certe maxime admirari deberent, quo animo, quove sensu istuc excipient, quod thesauros suos aperuerit, suasque opes ipsis profundat plena manu. Quis non utrinque obstupescat, vel reprehendi adhuc ejus justitiam, dum punit; vel gratiam negari, dum pœnitentibus indulget, eosque ad se benignissime invitat, ipsius gratia deinceps jucundissime victuros. Vita carent quicumque errant, eo quod ab ejus legibus spiritum tra-

here recusant, nec geminorum testamentorum suavissimum lac sugere volunt. Cessatio et stupor ipsorum interitum testatur; postquam suam negarunt resurrectionem, corpora mulctarunt sua, spem ademere sibi, et effectori suo valedixerunt.

SERMO CVII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XVI.

I. Sed jam contemplare imagines in speculo, cui imagines nec absunt, nec unquam abesse accidet. Intuere naturam sempiternam velut speculum, nulla contagione contaminatam, nulla violatam impressione, sed nec violabilem : nulla tamen imago hanc oculis repræsentat nostris. Omnia portat, nec onus sentit; plenissima est, et exhausta videtur; cuncta implet et exundat; quis enim exhauriat totum quod illa intra se condit? Cuinam similem dices mentem, quæ etsi vacua nunquam fuerit, quarumlibet rerum scientiam capit? Quisque suam fateatur tenuitatem, nec erubescat infirmitatem suam a Numine tanto superari. Unum nomen habet principium sempiternum, quia socium non habet : at si geminatur suo in filio, atque is ab ipso genitus non est, quomodo in ipso insideat? Si enim putas æterna principia divisa, secum mutua circuminsessione communicare, rem confundis, et blasphemas. Si contra designas locum in quo insistunt, major erit illis qui ea circumscribit locus. Planum est, si principium principio inest, hoc vel esse ab eodem genitum vel factum; sin autem singula suum quodque locum obti-

nere dicantur, ingens suboritur quæstio et disceptatio, visne ea fuerit externa quæ locum definivit, vel natura fixo limite illa frenavit, ne se mutuo colliderent? Sane mirum quam imbecillis fuerit ea vis quæ illis ordinem præscripsit, turbarunt enim. Et si natura indidit, quis istam deinde coëgit ut mutaret, sineretque ea libere vagari? Si vis ergo fuit, victa est; si natura, variavit. Quanquam nec principia quieta componi aut commisceri potuerunt, si absit principium motus. Atqui, si principia principio carent, substantias esse immobiles consequens est, siquidem omne quod movetur incœptum est ac definitum. Quid ergo? Num illius Altissimi numen irrepsit clam, et illa movit secreta tenebrarum impressione? At si tenebræ suapte natura quietæ consistunt, quis ipsis motum impressit? vel si aguntur et agunt, quis illas fixit? Ille nimirum, qui motum ante negavit, idem ipse Altissimus est, qui postea movit et dispulit. Denique, si principiis inest arbitrium, ut confusionem elegisse credantur, utique si adest arbitrium, ratio abesse non potest, et si utroque prædita sunt, Conditoris opera nequaquam indiguerunt. Dispudeat ejusmodi disciplinæ repertores tales composuisse fabulas, et nugamenta prætulisse veritati, quæ tamen eadem veritas idiotarum opera profligare consuevit: hanc itaque laudabo, sua in me quoque tropæa efferentem; Patrem item magnificabo, qui egentium inopiam sua supplet opulentia, atque Filium, in ejus sinu insidentem et continentem omnia.

SERMO CVIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XVII.

I. Fratres et Patres, vosque meæ disciplinæ alumni, huc, precor, attendite animum. Veritatis vox unum in Ecclesia clamat, et ex omnibus Scripturis inculcat, docens unicum esse rerum principium, nec immundum esse colorem noctis, nec malo congenerem, cum nec unam amborum naturam esse perspiciat quisquis oculis subjecta discernit; malum enim a voluntate existit, nox ordinariam planetarum conversionem sequitur. Occidit sol, simul omnes contenebrastis. Tenebræ atque nox unum sunt, non ita humanum corpus et anguis. Et quanquam in summo illo principio numerus non est, naturæ tamen ab illo existentes multiplices sunt; corpus, quod aquis expiatur, et animus, quo sapimus et credimus, serpentis manifestum venenum et occultum diaboli virus, Satanas ipse minime aspectabilis, dæmones ratione præditi, et muta caligo, caro nitida et atra nox, quomodo unam habeant naturam, nec tamen similem; unam radicem, nec tamen eamdem; unum principium, et tamen divisum? Jam si summi Opificis voluntas illorum substantias discrevit, ejus ergo libera dispositione quælibet natura subsistit, cuivis mutationi exposita, et inde patitur suas cujusvis generis species deteri, decoram puta columbam et viperam lethiferam, immaculatum agnum, et fœdum serpentem. Tenebras profecto non esse stirpem talia ferentem corpora, fructus et ipsa corpora testantur: minus etiam unam inesse omnibus naturam eamdemque malam. Deinde planum est

corpus ab anima esse distinctum, nec utrique communem esse naturam; cum vero natura expers vitæ per se vivere non posset, vivaci substantiæ unita fuit, a qua etiam quandoque separanda est: iterum tamen eidem restituetur, ut ambo simul de morte triumphent. Mortuorum resurrectionem negantes diabolus ipse refutabit, opponens præter eos qui revixere homines, dæmones malos, qui mortem vicerunt. Credibile ergo est carnem quoque communicatam sibi ab anima vitam ipsi animæ coævam continuare. Et sane si Satanæ datum est sospitem superesse plurium sæculorum occasui, utique æquissimo judicio decretum est ut corpora quæ in justitia et sanctitate vixerunt, æternum vivant.

II. Hanc tibi, Domine, gratiam testatur caro, quodque ipsam tibi sedem statueris. Te quoque anima adorat, quod eam tibi tuo in carne adventu designaveris sponsam. Corpus et anima simul tuam prædicant munificentiam, quod sacris mersa aquis te inde induerint. Nox item te, Conditor noster, amplificat, quod eam requiei omnis carnis constitueris. Somnum, quæso, tenebrasque tuere nobis; ab ipsis siquidem suspensum vivit corpus, istud ab anima, anima a dilectione tua.

III. Idiotas et simplices nos audet traducere nota hominum secta, quæ ob ingenitam sibi inscitiam ea qua solent pueri simplicitate ridendam se præbet; quo Deum multipliciter accusat, nec suum hactenus sensit errorem. Etenim si tenebras diabolo congeneres esse credit, ille utique culpa vacare non potuit, qui noctem obtendit, et perinde justos accusare licebit, qui somnum, conciliantibus nocturnis tenebris, ceperunt et hodie quoque capiunt, nec non Dominum, qui subinde sibi noctes ad quietem seposuit, quo nimirum doceret tenebras nullatenus esse immundas. Næ tu illum habeas immundum, qui sui juris

atque mancipii natus proprii arbitrii potestate a lege deflexit.

IV. Tenebræ Ægypto eripuere diem[1], eo quod oblatam sibi lucem extinguere tentabat; advenas videlicet Israelitas, qui lumen inferre cupiebant. Nox item infesta Magos invasit, conglomeravit tenebrarum nubes adversus cognatos suos; sic genus illa suum oderat, inimicis ferebat auxilia; sua in suos tela torquebat. Ergo quando diabolus incantatorum armis cum Moyse dimicabat, obtensæ ad triduum tenebræ diabolo quidem negotium conflabant, unde rubore suffunderetur, Moysi contra coronam texebant. Porro Ægyptum oppressit nox, quod insontem Joseph[2] falso crimine oppressisset, indeque carceri mancipasset. Non fuit vera nox, sed spissa caligo, quæ conglobata eo se affuderat, et velut obtensis ponderosis alis loco incubabat. Postquam autem Ægyptii resipuere, vim illa remisit, remotisque repagulis, viam Moysen petentibus aperuit. Pœnitentiam ergo tenebræ pepererunt; nox quippe manifesta, quæ occultam mentium caliginem sequebatur, Pharaonem atra nocte obrutum suffudit pudore, et stupore perculit. Agglomeratæ tenebrarum nubes lucem retulerunt, quam dies sustulerat; lux cor ejus cæcaverat quo minus honestum discerneret. Dies rebellionem suaserat, persuasit obedientiam nox; dies tenebras offuderat, nox discussit; sic ambo suam mentiebantur naturam.

V. Præterea quæ noctis cum diabolo necessitudo fingi potest? Hic enim omnia pervertit, fatigat omnia, omnia vexat: illa contra rebus tranquillitatem, silentium, quietem conciliat; eadem ab ordine nunquam exorbitat, nec vero errantem Davidem secuta est, nec Simoni Dominum neganti similis visa est, aut Apostolo Ecclesiam persequenti. Quo igitur affinitatis vinculo diabolo conjuncta

[1] Exod. x, 22. — [2] Gen. xxxix, 14, 20.

videatur? Hunc autem a recto tramite declinasse, et multipliciter ab officio deviasse liquet. Ipsi Satanæ inditum cognomen ejus apostasiam et rebellionem testatur.

SERMO CIX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XVIII.

I. Si tenebrarum carnisque natura improba est, quem oppressit nox, quomodo probus erit? Carnem ibi tenebrasque, hisque affinem Satanam morari clarum est, tria quibus omnia obediunt: sique iis accedant vinum et concupiscentia, quæ nobis superest spes subigendi primum illud, quod malum rerum principium finxerunt? Interim contra accidit quod mirentur; voluntas siquidem sola omnes concupiscentiæ impetus infringit, et vincit diabolum, quem rerum principium isti nugatores crearunt. Quo autem eos propriæ petulantiæ plane pudeat, cogitent quam oppido imbecilla sit ægroti cujusvis humilis precatio: hæc nihilominus diabolum quatit et discutit, orando nimirum homines prostratæ valetudinis illum prostraverunt, et afflixerunt afflicti. Claudi jejunando illum cursu præverterunt; excæcarunt cæci psallendo Deumque laudando: manibus capti orationis jaculo eidem etiam oculos eruerunt. Ita siquidem res habet; Satanæ vires frangunt infirmi, claudi cursu fatigant, dejecti dejiciunt.

II. Serpentum venena necant, nec id arbitrio, sed necessitate fit; noctis item tenebræ necessaria orbium cœlestium conversione obtenduntur; æstum febrientium, et

dormientium soporem natura facit; peccatum sola voluntas sui juris nata. Ipsa natura illam, quam ei astruunt, destruit unitatem; quandoquidem corpus in cacodæmonem invehitur, et in suum, quem dicitis cognatum, insurgit, suam contra impense amat animam. Siccine diligat extraneum, et affinem aversetur? Restat ergo ejusmodi effecta ad primam causam referenda esse, cujus præpotens sapientia diaboli deformatam speciem corrigere potest, et ad summam venustatem reducere, cum noctem illa nobis gratissimam reddat, diaboli, ut creditis, cognatam: hæc nimirum mirifice placet, quo tacet; suo namque silentio vigilantes ad pia opera juvat. Jam si amborum principium unum sit, naturam a Conditore mutatam fuisse oportet, cum nostra quies sit nox, Satanas contra labor; sin autem naturam negas a summo Opifice mutatam, ergo præpostere jungis cum diabolo noctem, quam ab illo discrepare manifestum est. Quamobrem qui terram, carnem, diabolum et noctem confundit, eademque in trutina compensat, et homogenea credit, cogitet an queat uniuscujusque natnram cum proprietatibus alterum ab altero discriminantibus componere; sed enimvero reclamat humus, et suas ostentat fruges; corpus, et suos explicat sensus decoris plenos; nox quoque, horas et processus suos ordinatissime disposita; multiplices item diabolus suos retexens dolos. Næ tu hunc quartum ipsum execrandum dicito, ex electione tamen propriæ voluntatis, maledictum odioque dignissimum, ob sui arbitrii abusum.

III. Tenebræ Cainum nobis repræsentant, age hunc contemplemur: sanctarum operationum pulchritudinem occultant tenebræ, Cain illarum auctori necem dissimulavit, suam cum nocte societatem testabatur: remota luce, nox vacuo sinu fures confovet; parricidæ illius pectus machinationes et insidias obtexit, sua nox opacitate oculis

imponit; suo sermone Cain Deum fallere tentavit [1]. Huic plane contrarius Abel fuit, lucis nempe filius matrem referebat. Nihil in luce quod perspicuum non sit, nihil in Abele non apertum, non ingenuum fuit. Fusus et candore mistus oris rubor oculos etiam inimicorum rapuit, hilaris Abelis aspectus qualis siderum; qualis noctis esse solet tetrica Caino facies ac tristis. Tenebræ primum creatæ sunt, indeque primigenia jura occuparunt; Cainum scilicet adumbrabant : erupit deinde lucis diluculum; sic Abel post Caini ortum editus fuit. Sed Cain ac tenebræ, cum tempore præcessissent, mox senescere cœperunt; Abel et astra, esto, successerint, huc usque manent et prædicant futuram sæculi novi successionem, mundique senescentis transactam per Christi adventum reparationem.

IV. Malefici et incantatores spiritus et serpentes magico carmini obsequentes habent; diabolus adversarios sibi finxit ut victus videretur; se ipse nudavit quo artes sibi contrarias propalaret : manus conjecit in vincula quibus teneretur. Atqui dum nos capere satagit, non attendit eo nos admoneri ipsum non esse rerum principium, quo magicis incantationibus cedere videbamus. Magister leonem exercuit et docuit, nec fera docentem læsit, maleficus viperam alligavit, nocendique appetitum cohibuit : aquilæ item et accipitres hominis imperium pati didicerunt, nec semel cicuratæ, postea rebellarunt. Næ ille, quem bonum laudant, infra mortales esse oportet, qui diabolum minime correxit, nec justitia imbuit. Tu-ne bonum prædices, qui Satanam cernit ubique sævientem, nec tamen ulla ratione, aut arte ulla potuit ejus feritatem ad mansuetudinem transferre? Scilicet leo, accipiter et serpentes, mutæ despectæque animantes carmini parentes, prostant ad explorandam falsitatem impiarum religionum,

[1] Gen. IV, 9.

eamdemque refellendam. Et si quidem, ut illi aiunt, ejusmodi bestiarum genus a natura mala propagatum fuit, qui fieri potuit ut, mitioribus imbutæ moribus, sævire desierint? Quandoquidem radix, unde pullulant, nunquam mitescit; diabolus enim insitam feritatem immanitatemque nunquam deposuit. Vos interim, veritatis alumni, rogo, pias ad Deum preces fundite pro iis qui ejusmodi errores disseminant; vehementer enim falluntur et fallunt.

SERMO CX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XIX.

I. Carnem errantes dixere fæcem, et abjectum naturæ purgamentum; calumniam discussit ipse carnis conspectus luculentus minimeque sordidus : enimvero quod recrementum vocant, in instrumentum cessit piis ad pios usus aptissimum : carne quippe ministra, opera exequuntur egregia, dum vita manet. Vide quam præclarum sit corpus, quod fæculentum dicis; cogita quam fœdus ac turbidus Satanas sit; spiritus est tamen : sunt inquinatissimi dæmones; Apostoli si quas contraxere labes, eluerunt. Deinde Eliam et diabolum compara; contemplare utriusque exitum, ut corporeus ille ad summa evolarit, ut spiritalis iste præcipitarit in Tartara. Munda putantur armenta, greges, cervi quoque, et agrestes hujus generis bestiæ, quæque per aëra volitant, puta, columbæ, et in aquis natantes pisces, naturæ utique eluviem nemo dicit. Pomorum genera et species sapore suavi minimeque fœdo palatum delectant;

omnia generatim corpora munda esse censemus. Quos recte odimus, dæmones duntaxat sunt, spiritus generis nostri hostes, ipsorumque princeps; item quos Tartari custodes quidam appellant, illa quoque angelorum eluvies, quæ cœlo delapsa fœminarum appetivisse nuptias alii commenti sunt. Videsne quantam dignitatem cum corpore induerint, quæ corporea sunt, et qualem ignominiam contraxerint illi spiritus, quos ipsa conditio ab omni carnis contagione sejunxit: quantum proinde falsæ religiones a vero aberrent, quamve præcipiti judicio illarum sectatores corpora abominentur et fugiant? nam si spiritales naturas pluris faciunt, cogitent diabolum, tametsi carnis expertem, infinito tamen odio videri dignissimum. Si qui contradicant, illos in alterutrum errorem impengere necesse est, vel ut omne corpus execrentur et oderint, vel omnem promiscue substantiam corporeæ concretionis expertem complectantur et ament, adeoque vel omnium generatim corporum consuetudinem admittant, vel omnes promiscue spiritus explodant. Sin neutrum placet, statuant id, in quo omnium sapientum sententiæ concurrunt, nullum videlicet corpus, nullumve spiritum pro immundo habendum esse, aut ideo esse fugiendum, unam si modo excipias naturam arbitrii sui potestate peccantem.

II. Oppido quantum desipuere, qui docuerunt Enochum et Eliam abeuntes in cœlum corpora sua dimisisse, suamque hoc pacto purgasse naturam! Quid quod et in angelos maligne invecti sunt, effutire ausi, eos in adjuncto corpore cum scortis nefaria perpetrasse? Carnem itaque cœlitibus coagmentarunt, clepsere terrigenis, Enocho et Eliæ: corporeos corporisque expertes confuderunt, corporeis corpus abstulerunt, dederunt incorporeis, amictos injuste spoliarunt, amiculum nudis malitiose accommodarunt, unde ipsis calumniam intenderent. Mirum quomodo

invertant perturbentque omnia! Restat, ut id etiam expediant, et quandoquidem principiis rerum naturam unam et simplicem astruunt, doceant ubi invenire sit eam conspirationem et habitudinem, quam necesse est inesse rebus ab una singulari causa productis. Cæterum si porro pergant contendantque angelos liberorum procreationi operam aliquando dedisse, cogitent nec hodie fore difficile desertoribus angelis opprimere fœminam et filios generare. Hic dæmones, hic mulieres : explorent num liberos gignant? Adsunt testes ejusmodi deliramenta refellentes celibes bene multæ, quæ a viris perpetuo segregatæ matres nunquam esse potuerunt. Una et singularis extitit Maria, quæ citra viri operam mater fuit et virgo permansit, eo quod Deo difficile nil excogitari potest. Et si quidem angeli patres esse potuerunt, virginem mansisse Reparatoris genitricem inepte miraremur. Gratissimum quidem Satanæ fuisset virgines dæmonum opera concipere et parere, quo haberet, quas Mariæ opponeret virgines. Illius versutia omnia imitatur exemplaria, in Virgine duntaxat sua eum fefellit nequitia, ne geminaret singulare exemplum fœcundæ virginitatis. Veteratores quosdam sibi ascivit, quos electos appellat, seductos et seductores, superbos mente cordis sui [1], prophetarum personam mentientes, quales olim Baalis mystæ, Ecclesiæ sacerdotibus presbyteros substituit : istorum nempe consuetudine simplices fallere cogitavit. Apostolis Christi emissarios suos pares fecit, et inter fidei hostes aras fixit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Mentitus est continentiam, paupertatem, abstinentiam, precandique studium. Auctor callidus hujusmodi integumento sententiam occultare volebat : idcirco egregia quælibet simulavit, Matrem Virginem repræsentare nequivit; ejus astum revicit Virgo nostra, huic

[1] Luc. I, 51.

similem non habuit, quæ virginitatem cum fœcunditate copulavit. Absit ut supernos cœli cives aliquando peccasse credamus, non quod, cum peccandi potestas forte deesset, innocentiam sponte elegerint ob congenitam prærogativam naturæ, quam integram nacti fuerant; neque quod corporis expertes essent : nihil enim corporeum, concretum nihil diabolo admixtum est, et homo quilibet ex conditione naturæ nec malus, nec pravus est. Videmus nihilominus et dæmones omni illuvie coopertos, et homines suis flagitiis assidue provocare Deum, qui tamen in his tribus mirifice declarat bonitatem atque justitiam suam, quo supremos purgavit, medios castigat, et infimos meritis mactat suppliciis.

III. Ornavere se virgines madianitæ, populoque Israëlitarum se conspiciendas præbuere, illorum oculos rapuere, eripuere mentem. Attamen illa pulchritudinis miracula Angelos non magis quam putrescentia cadavera movere potuerunt. Salomon mulieribus ardentissimo amore agglutinatus est, quarum venustas ipsas quidem ad luxuriam lasciviamque inflammavit, maritum vero perdidit. Quid? Num Angelis placuere, aut ideo minus abominandæ visæ fuerunt? Unicam illam Uriæ ovem etiam repulere, persliterunt in sua purgatissima conditione immobiles et fixi. Cæterum, si generis propagationem apud Superos instituere voluisset Deus, fœminas etiam in cœlo condidisset, per quas Angeli multiplicarentur, et numerus ipsorum generi definitus compleretur. Non fecit : quo ergo jure illos damnat, quod locum deseruere, ut Conditoris sui voluntatem exequerentur? Colonis cujusvis loci Deus arva distribuit, negavit illis quos in cœlo constituit; quid ergo ipsis vertitur in crimen, quod inde digressi sua semina nostris commiserint agris? Facesse ista, vana sunt et indoctarum mentium ludibria; liquet enim Angelorum naturam a sua con-

ditione puram esse, eorumque numerum perfectum, et venerabilem ipsorum sanctitatem.

SERMO CXI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XX.

I. « Vidit autem Deus omnia quæ fecerat, et erant valde bona[1]. » Res cæteras laudavit, illarum pulchritudine, dignitate et venustate delectatus ; hominis duntaxat Deum pœnituisse Scriptura commemorat, esto reliquis animantibus longe præstantior sit homo. Is quidem peccavit, et reus culpam non agnovit nec damnavit. Compar ipsi serpens visus est, qui utique non doluit, quam ipse procuraverat, hominis ruinam, ex qua tandem didicisset rusticum se esse, vilem agrorum colonum. Hujusce nihilominus sortis hominem Deus eo postea sublimavit, ubi cum ipso Deo communem haberet appellationem, et diceretur atque appellaretur Deus. Id porro intelliget, qui cogitat dignitatem ad quam sobolis suæ merito Adamus provectus est ; adeo ut Unigenitus se gregem suum deseruisse fateatur hominis amore victum, et hunc, quem condidisse se dolere ait, cæteris quibusvis rebus ab ipso conditis antetulerit, hominemque sibi ea singulari prærogativa conjunxerit, ex qua omnes intelligerent hunc esse perfectissimum instrumentum ad usum Unigeniti comparatum. Scilicet nostris nos sensibus erudit, de nostro nos ærario divites facit, de nostro fundo nobis viatica ministrat. Agnosce supremi Opificis munificentiam, et disce eumdem pœnitere quidem,

[1] Gen. 1, 31.

sed ut omnia præscientem decet : opus suum damnat ex arte, ut suam inscitiam damnent illi qui deos homine nihilo meliores magnifice extollunt; interim vero, dum ad vocabulum pœnitentiæ inhorrescunt, quæ jactant in Unigenitum, convicia non sentiunt. Restat ut imperfectam hominis constitutionem non fuisse demonstremus. Videamus itaque an nostrorum membrorum formam, qui primus coagmentavit, postea immutarit. Sensus nimirum nostrique corporis partes sanavit, non in alias formas transtulit, ut a constantia operis Opificis præstantia agnosceretur. Et quemadmodum corpus curavit et ingenuæ suæ integritati reddidit, atque ad priorem etiam venustatem et ornatum revocavit, ita pristinam animæ valetudinem restituit : hoc et ipsa, quæ revixere, corpora testantur. Legem mutavit ut homini vita constaret. Medicum cogita pharmaca simili de causa variantem; nec ignorantur quæ mundo laboranti adhibet medicamenta : mortalis medicus per omnes modos corporum consulit sanitati, et per omnes causas humanæ saluti prospicit Deus.

II. Sed fefellit sectarios illud vocabulum « pœnituit [1] »; dictum sane ægros offendit, et quasi stomacho ingratum rejectum est, quando ipsa illa Scriptura nobis magnifice declarat ad quale dignitatis fastigium Adamus elatus fuisset. Excogitavit itaque Deus rationes, quibus homini persuaderet non eum esse vas infirmi Opificis opus; quandoquidem nulli figulo postea licuit ejus figuram conditionemque innovare. Reliqua viventium genera cum muta sint, mens et ratio homini concessa fuit. Pelago spatia definiuntur, fixæ montibus designantur sedes, homini imperium. Perperam ergo divinam Scripturam interpretati sunt imperiti expositores, quanquam error statim in vulgus manavit, et hodie quoque eo vocabulo abutuntur plerique

[1] Gen. VI, 6.

Deum obtrectantes, quod nec antea perspectos, nec exploratos extollat, subjiciuntque Saülis exemplum et illa, quibus diserte Deus pœnituisse se dixit, quod indigno regnum contulisset, quo ille accepto ab officio deflexisset; quare secretum Adami exemplum in Saüle palam congeminatum fuisse. Non ita res habuit; sed ut obtrectatores revinceret non-ignarus futuri Deus, voluntatem ad eligendum quod libuisset expeditam, oblata regali dignitate, aucupabatur; sic proinde exponenda sunt illa : « Filios enutrivi et exaltavi[1] » : at illi, a generosa stirpe degeneres, ad omne nefas proruperunt. Utrumlibet censetis, auditores, esse culpandum Deum videlicet, tali homines dignatum honore, an populum talem injuriam Deo referentem? Malesani et amentes in Deum insurrexerunt, castigavit ille scelestos ut resipiscerent; sed castigati quasi in acerbum monitorem iterum invecti sunt. Qua quidem vix ulla atrocior injuria. Jam videtis jurgium nec timore nec amore finiendum. Nullus deinceps jam restat modus, quo misericors Deus homini laboranti succurrat.

III. Interim rem secum expendant disquirantque qua in parte hominis natura laboret deficiatve : et si quidem vitium in ea deprehendant, intelligant hanc serpentis contagione fuisse depravatam; qui autem defectum suppleat unum esse eumdem qui fecit; quis enim alius cœlos advocavit, et Enochum ex naturæ servitute exemit, unde nec mortuus est? Et vero si nostra natura propriæ conditionis vitio nec perfecta, nec suis expleta numeris extitit, ergo bonus ille suam nobis ab initio occlusit januam, idemque justissimus Paradiso homines exclusit : diaboli namque fores olim et hodie patent.

[1] Isaï. I, 2.

SERMO CXII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXI.

I. Corpus a Deo malo fictum ais-ne? Cui igitur bono malum servatur in arca? Cum impii quidam homines scirent marinos dracones cum cæteris natatilibus communi viventium exitio exemptos fuisse, fabulam commenti sunt, finxeruntque malum illud, quod antea ultro citroque cursabat, a Deo malo in propria conceptacula contractum fuisse, unde postmodum pro libito illud diffunderet, et hoc quidem post serpentis interitum dispersum iri: nec enim is vivit, et absistit res omnes propria inficere nequitia. Egregium sane dialecticum! Is profecto non consideravit magni Opificis oraculum, declarantis corpora, ab ipso condita, ex humo decerpta fuisse, eoque tandem reditura atque iterum inde resumenda. Præclare Deus arcam moliturus in eadem hominis imaginem meditatus est, ut hominem erudiret. Omnes in illa viventium species a propria descivere conditione, ut universa rerum natura testaretur sibi malum accidere, non ingenerari. Quicumque secus sentiunt, ostendant naturam prorsus immutabilem; sed nunquam ostendent, cum evidentissimum sit omnia mutationi fuisse subjecta, et ipsum liberæ voluntatis arbitrium identidem variare. Id si adversarii attenderent, nimirum darent manus, et uno prælio cum ipsis debellatum esset.

II. Si quis vero inepte opponat dæmones crassa et pingui materia non esse concretos, propterea que eorum naturam esse plane immutabilem, cogitet imprimis pardum, an-

guem et lupum externa vi a propria conditione discedere coactos, quantumvis feroces ac mentis et rationis expertes; deinde meminerit dæmones Domini divinitatem prædicasse. Cæterum, si malum dæmoni ingenitum esse nunc affirmant, a se ipsi dissentiunt, ut modo verum esse fateantur omnem hominum et bestiarum pravitatem a diaboli malitia longo intervallo distare. Restat malum a bono non cogi. Vides-ne ut in arca omnes quidem viventes ab illo coactos a propria conditione desciscere, non ut mali fierent, sed ut qualemcumque malitiam ipsis hærentem excuterent. Ex parte rem totam cognoscito. Pisces per continentem vagari compulit, errare per freta sues : vis, quam Bonus intulit, sine dolore fuit, Bonus ille naturam non violavit, sed correxit; et immanem bestiarum conditionem cohibuit ne se mutuo conficerent.

III. Quid? Num putas αἰῶνα tenebrarum libero præditum arbitrio, et ideo non fuisse vi ducendum ut malitiam exueret; quemadmodum neque mali et improbi homines coguntur ad bonam redire frugem. Si hoc dicis, inepte malum absolute appellas, cui propria natura dedit integram potestatem eligendi quod velit : porro in oculis omnium est, quod de libera diaboli voluntate Scripturæ perhibuerunt, proptereaque ipsi paratum aiunt ignem similem atque malis hominibus, ut qui simili libertatis abusu deliquerit. Sic ratum est ut natura quælibet, ratione prædita, et quodcumque principium, cui potestas est consulendi quid velit, si modo nocens sit, plectatur pro merito.

IV. Testis idoneus citatur serpens Adami deceptor, et inde pedibus mulctatus, et bestia flammis tradita, quam polluerat mœchus uterque, quem vides et quem non vides : causa fuit pœnæ culpa viri mœchantis, et satanæ suadentis. Serpens namque, nisi a diabolo actus fuisset, integer mansisset; et sine labe jumentum, si ab homine

tactum non fuisset: diabolus et homo re bona male abusi sunt: Deus autem dum naturas proprio arbitrio abutentes persequitur, jumenta damnavit quo illos redderet cautiores. Alterum rursus habeto testem, vitulum illum aureum ab Hebræis conflatum: purus ille quidem extitit suoque placuit conditori; merito tamen a Mose contritus fuit, illorum causa qui sacrilega ejus adoratione se contaminarunt. Sic mortifera fiunt ea etiam, sine quibus vivere non possumus, cibus et potus; sacræ quoque victimæ res aliunde minime pollutas coinquinant, et ipsa pia carmina polluunt; adeo clarum est malorum caput esse liberum arbitrium, et Satanam atque Adamum, ea qua pollebant eligendi potestate, primos malum invexisse malæ voluntatis fœtum. Discant modo errantes nec reptilia, nec jumenta unquam immunda fuisse; quandoquidem per serpentem Deus populum sanavit, et per asinam Balaamum increpuit, effecitque ut meditati sceleris ipsum puderet. Sed et hominem et Satanam Deus gemina velut vasa purissima finxit; si autem sua ipsi conditione abusi sunt, non ille, sed ipsi se sordidarunt præter mentem optimi Artificis, qui mundos splendide extulerat et magnifice exornaverat: cumque cerneret naturam rerum a causis liberis depravatam, ipsemet descendit, lapsam visitavit, et per viscera misericordiæ suæ illius sordes abstersit.

V. Quod iterum confirmat virga Mosis, quæ projecta colubri formam induit et serpentes devoravit; simulque perstrinxit despicatissimarum sectarum inscitiam, et objectam generi suo ab iisdem calumniam confutavit, ostendens puram esse naturam serpentum; Satanas namque Satanam non pellit, nec credibile est viri justi baculum ab illa mirabili transformatione labem contraxisse. Age vero, num æneum serpentem diabolus conflavit, ut in idolum transcriberet, aut in Domini tabernaculo locavit,

aut per illum ægris ad eum aspicientibus restituit sanitatem?

VI. Restat ut, serenata mente, et animo contradicendi libidine minime præoccupato, audiant ambæ sectæ, Bardesanitæ primum, qui Moysis Scripturas suscipiunt et reverentur; ad hunc enim referuntur Domini verba: « Sicut » exaltavit Moyses serpentem in deserto, etc.[1].» Quid id esse dicitis? Num creditis Salvatorem hic diabolo se comparare voluisse? Audiat et Marcion, si diaboli opus est serpens, Justus, qui diabolum execratur ejusque molitiones odit et acta, cur serpentis effigiem honorat? Bonus est ergo, cujus Moses imaginem excudit, populoque pie spectandam exhibuit, Domini quippe figura fuit. Unum adhuc a Judæo definiendum hic superest, homine tamen minime livido, cur Deus, qui in deserto Hebræis caverat, ne ullam imaginem aut quodquod simulacrum sibi fingerent, mortem interminatus si quid hujusmodi ausi fuissent, postmodum serpentem conflari jusserit, sanitatem spondens ægris qui ad eum oculos pie elevassent, quo modo ad Deum attollere solebant. Quin potius angelos Seraphim et Cherubim tali fuisset dignatus honore? At reptili maledicto et hominis inimico erigi statuam quo jure licuit? Hunc, Judæe, nodum solvito, represso tantisper contentionum æstu, et amota interim concertandi libidine. Isthæc audiant Judæi, et medici agnoscant beneficium et charitatem, qua impellente, tantum pro genere nostro suscepit laborem.

VII. Interea vero quisnam fletum cohibere potest, cum cernat Judæos necdum errorem deponere et jejunia retinere? aut quis cesset pro iis orare, qui, cum pias vigilias frequentent, adhuc a sua persuasione non discedunt? Quis non postulet Dei clementiam ipsis opitulari, qui laborare non desinunt et suo se labore conficiunt? Quin ipsorum

[1] Joan. III, 14.

pro ipsis vota salutem exorant? nec enim perire velint. Ego vero Dominum suppliciter precor vestræ charitati propitium fieri, ut, eo vocante, veniatis ad Ecclesiam, ipsius misericordiam testaturi, quod vos hucusque sustinuerit. Fratribus nimirum calumnias struitis, et ille dissimulat; pauperes opprimitis, et vos alere non cessat; ab invicem dissidetis et in mutua odia exardescitis, nec tamen ille discordes ad concordiam et mutuam benevolentiam revocare detrectat.

VIII. Sed et vos, perditi et scelerati homines, huc adeste, et confitemini nobiscum Deo nostro, ejusque erga vos benignitatem et munificentiam admiramini, vos, inquam, maledici, quibus ipsius numen sacrilegis dictis impie violantibus alimenta tamen non negavit; vosque, perjuri, quos, quantumvis nomen ejus sæpe sæpius pejerantes, esurire tamen passus non est. Scilicet in omnes et per omnia suam diffundit beneficentiam. « Solem suum oriri facit [1] » super eos qui suam cum illo fidem mutarunt, et « pluit » super eos » qui in illum execrabili contumacia contumeliose debacchantur : comprehendit omnes usquequaqu , ut malefacti ipsos pœniteat, atque in eorum pœnitentia ipse lætetur. Quis ad nostrum profectum similis est tibi? Nego quemquam esse, ut certe non est.

IX. Quem jurabo vobis, quicumque a sancta religione aberratis, quo mihi fidem habeatis, narranti labores, quos pro salute vestra suscepi? Vos quippe semper amavi, et idcirco vestram nunquam non dolui ruinam : quomodo enim sustinerem siccis oculis cernere parvulos subjectis torreri flammis, cum talia videre, sibique ciere lacrymas, individua sint? Memini multos parricidarum supplicio commoveri solitos, esto malorum, quæ illi perpetravere, minime ignaros; quales ergo quam uberes lacrymas exiget casus hominum, qui spectata probitate pridem insignes,

[1] Matt. v, 45.

modo videas suis spoliatos ornamentis, nec tamen talia passos proprium infortunium adhuc sentire? Quis jam fletum inhibeat, recogitans Adæ posteros a rectitudine propriæ conditionis deflexisse, suique parentis vestigia secutos, ex editissimo sortis suæ loco huc præcipitasse?

SERMO CXIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXII.

I. Quemadmodum alphabeti corpus suis constat integrum membris, nec est ubi quodquod demas aut adjicias, sic veritas litteris consignata, et sacro Evangelii codice comprehensa, perfecta mensura est, cui quidpiam addere aut detrahere nefas et crimen est. Merito itaque Marcion suis Evangelium assumentis depravare ausus, ab Ecclesia pulsus et abjectus est; damnatusque fuit Valentinus, qui illud deseruit, et qui etiam proculcavit furiosus Cucus. Horum per vestigia incessit Bardesanes, propriam tamen nequitiam ornavit ac texit; Manes namque plane insanire visus est. Ingentem vides spinarum et zizaniorum segetem, age quod tuum est, precare Bonum ut errantes oves ad suas caulas reducat: mirare simul ipsius Providentiam, quæ de hominibus etiam nequissimis optime mereri non cessat.

II. Valentinus, gregem ab Ecclesia suffuratus, suo nomine infamavit; majori adhuc scelere Cucus, et callidus Bardesanes, quas abduxere oves etiam subhastarunt. Marcion similiter proprias sibi divisit caulas: successit Manes, ejusque armentum simili dolo avertit. Strinxere canes rabidi

alter in alterum dentes. Gregem quisque suum omnes proprii nominis signo notarunt. Ingentes illi habendæ et agendæ sunt gratiæ, qui domo sua eos pepulit et procul relegavit. Similis error Arianos abripuit, dum Scripturas suis additamentis corrumpunt, perinde atque Aëtianos, dum dialecticorum argutias et acumina consectantur, et Paulinianos, postquam a recta in salebras et anfractus se conjecerunt. Nec porro alium exitum tulere Sabelliani versutissimi veteratores, aut vafri simulatores Photiniani, quique puri castique videri voluerunt Cathari; similis aliquando ruina Audianos oppressit, dum in laqueos ipsi se induunt, a quibus se extricare non possent; nec non Messalianos, postquam ad inertiam et voluptates corporis suas cupiditates solverunt. Nunc vero miseros omnis destituit salutis spes, nec firmum ac stabile quidquam se offert, quo apprehenso, se a casu sustineant, nec lacinia quidem juxta prætereuntis amici. Inclamant nos rursus Apollo discipuli, grex ille quem pavit olim Apollo. Sed et istos fugimus et damnamus: etiam certe anathema sit quicumque Apollo dici discipulus malit, ut Christi nomine vocari nolit. Anathematis caminus absumpsit mutuatas formas, suamque mentientes speciem ignominiose nudavit, ex quo proprio errori anathema dicere noluerunt. Tu vero illum amplectere et magnifica, qui simulat res ejusmodi, quo segregavit, etiam detexit.

III. Sed enimvero nec ipsi Apollo placuit, tunc cum viveret, suum a quopiam hominum usurpari nomen, et nunc, si mortuo loqui daretur, talibus anathema diceret; diceret autem, quia apostoli discipulus fuit, quem Corinthiis graviter succensuisse novit, quod Christi nomen reliquissent, et cognomenta sibi ab hominibus derivassent. Merito laudandus ille est, qui præceptori instituendum se tradidit veritatem amanti, ut huic nihil addat absonum

nihil difforme, sibique nefas esse ducat, suas opinationes Christi oraculis componere. Christiani censentur, quicumque disciplinam Christi suscipiunt; quisquis ei vel modicum quid de errore superinduxerit, hunc Christi nomen deseruit, ejusque auditores proprium zizaniorum vocabulum induerunt; nec enim unquam error cum veritate conveniet. Illi ergo tribuamus laudem et gloriam, qui suis nos præceptis ad veram disciplinam formavit, jussitque in ea stabiles permanere.

IV. Plana patet via simplicibus, et hæc fides est, eademque ampla aperuit diversoria, et milliaria distinxit directo tramite a Paradiso ad Paradisum, quoniam Adamus exitum, reditum post latro monstravit : disceptationum æstus velut intercurrentia æstuaria, divinorum arcanorum scrutatores a vado ad scopulos impegerunt. Illum proinde laudare justum est, qui simplices et ingenuos tuetur.

V. Moneta, ut videtis, fratres, regis signatur effigie, nec summo militiæ duci fas est minutos obolos proprio notare signo : quin et ille, cujus munus est monetam cudere, si id in secreto exerceat, aut comburitur, aut membratim conciditur; quam oppido audacior fuit, quisquis ille fuit, qui, refixa Domini effigie, propriam induxit. Tu vero illum magnifica, qui suo nos nomine signat. Est quippe nimis vile regi nostro aurum, nec suam argento imprimit imaginem. In homine, re omnium præstantissima, pulcherrimam sui vultus effigiem descripsit, qui hominem redemit. Quisquis credidit in nomine Dei, Dei suscepit signaculum. Si autem hominis appellationem affectavit, sibi ipse hominis notam inussit, quæ cum divino nomine composita lutum est. Benedicito ei, qui suis nos nominibus insignivit et distinxit.

VI. Judas, cum rem alienam cleperet et fur esset, discipulus vocabatur; cum autem dexteram deferens, ad læ-

vam transisset, impiæ turbæ dux factus, a Domino amicus est appellatus, quo nos doceret discipuli loco neminem excidere, qui sanctorum communionem adhuc retineat. Contra si ab illorum corpore se sciderit, etiam amicus, adversarius tamen habetur et dicitur; hujusmodi transfugam Iscariota repræsentat. Domine, despectus et humilis sum, te laudare tamen non desinam. Huc pertinet quod legitur : « Rex iturus committere bellum cum rege socio » suo, etc. [1]. » Hostes socios appellat, non quo benevolentia conjuncti essent, sed quo regali honore haberentur pares. Hoc extimuit malum divino succensus zelo Apostolus, cavitque corinthiis nuncupationem sibi ab hominibus quærere. Rebelles larvam veritatis induunt, quo ascititiis cognomentis incautos seducant. Impius fidei desertor, etiam cum Deum jurat, in corde negat. Judas, cum redemptorem proderet, magistrum appellabat; quid animo coqueret, publicavere cohortes militum a tergo subsequentes. O quam submisse Jesus illic se gessit, quando coram aggressoribus cum suis solus discipulis stetit! Quam bonus ille fuit, qui turpissimo homini osculum petenti dedit!

VII. Idem Manes Christi personam induit, nomenque sibi arrogavit : inflavit in prophetas suos spiritum erroris, corpusque suum ipsis impertiri se finxit; orbem terrarum emissariis suis divisit : assumpta Domini larva, adversus Dominum insurrexit; ingeniumque tortuosum et subdolum dissimulans, palam se apostolum esse affirmavit, et plurimis persuasit etiam se esse Paracletum, qui tamen externum ante diem nullus erat. Laudem illi dicito, qui immanem feram tamdiu toleravit, captamque demum oppressit. Leviora tamen isthæc visa fuere homini audacissimo, nisi ad violandam Dei majestatem os suum instrueret, et acueret linguam ad dicendum aliquid quod ejus existima-

[1] Luc. xiv, 31.

tionem detereret, effutire ausus canum animas de divina natura fuisse decerptas. Profecto ei difficile non fuit seipsum facere deum, qui Deum canem fecisset. Hinc mirare justum scelerum vindicem, qui suam continuit iram.

VIII. Ipsi perduelles sectarii fateri coguntur uno omnes junctos se esse jugo; uno ergo ducuntur spiritu, uno instinctu loquuntur, scribuntque nefaria illa dogmata, quæ detestabiles illi, quos damnat Apostolus, usurpabant, eaque ab Ecclesiis eliminanda prædicat. Equidem non video, fratres, quis possit eorum libros detergere, et illud, quo obliti sunt, cœnum decutere. Tu, Domine misericors et miserator, illos repurgato, precor.

IX. Rursus iidem premendi sunt, instando ut suam quisque ætatem prodat, qua quis altero antiquior est. An forte Manes primogenituræ jura sibi arroget? atqui prior illo est Bardesanes. Hic-ne natu majorem se prædicet? atqui minor est natu maximis; Marcion quippe fuit illa spina omnium prima, et velut primogenitus dumeti, quod est peccatum, lolium precox ac temporaneum. Justus, oro, illius contundat germina. Iterum distincte interrogentur a quo manum susceperint; et si quidem hanc a nobis acceperunt et subinde repudiarunt, plura non habet veritas quæ requirat; sin autem ipsi sibi sacerdotum officia arrogarunt, sat illa habet unde et redarguat et pudore suffundat. Jam enim quilibet fiet sacerdos, dummodo suo ipse velit capiti manum imponere. Vides-ne confusionem desperatissimam?

X. Altissimus, summo montis Sinaï allapsus, suam super Moysen demisit manum, suam deinde Moses Aaroni imposuit. Sic mos iste traductus est ad Joannem, cui propterea Dominus dicebat partem esse justitiæ baptismum, quem sibi ab illo petebat; ne videlicet ordo dissiparetur, quem etiam discipulis suis transcripsit, et ab istis sibi transmis-

sum hodie quoque nostra Ecclesia retinet. Benedicimus ei, qui suam apud nos disciplinam deposuit. Jam vero Domini vox hostes suos coërcuit, sustulitque assumptiones Aëtianorum et Arianorum, Sabellianorum et Catharorum, Photinianorum et Audianorum, qui ab Ecclesia nostra manus impositionem suscepisse visi sunt, ut, quod quidam illorum fecerunt, eo petulantius impiam manum injicerent orthodoxæ fidei a celeberrima illa synodo traditæ, cujus congregandæ auctor fuit imperator, æterna dignus recordatione. Mox Ecclesiis proprios præfecere antistites, presbyteros instituerunt et diaconos, doctores et lectores; quidam etiam monastarum institutum amplexi sunt. Ab Ecclesia nostra pariter suffurati sunt ecclesiasticorum officiorum ordinem; inde didicerunt sacrum facere, baptizare, panem frangere, et annuntiare utrumque Domini adventum, præteritum et futurum. Illum laudabo, qui omnes veritatis osores divina veritatis vi revicit et repressit.

XI. Magnopere laborarunt, susquedeque permiscuerunt omnia; peremptoria quærebant venena suis immiscenda dictatis. Et alii quidem disceptationes et quæstiones induxerunt, commenti sunt alii revelationes, acta alii vulgarunt, non pauci æmulati sunt Chaldæorum disciplinam et peregrinas sectas. Manes, unus omnium audacissimus, omnem usquequaque errorum colluviem coëgit, ac toto hausit pectore. Hymnum laudis dicamus ei, qui hoc a nobis prohibuit malum. Quid quod protervi quidam homines et perversissimi docuerunt, falli eos qui putant Prophetas Dominum prænuntiasse, quorum temeritatem olim redarguet futurus ejusdem adventus? Cæterum uti priorem Salvatoris manifestationem Prophetæ vaticinati sunt; sic posteriorem Apostoli prædicarunt. Ab adventu adventum disce, a præterito futurum arguito, et lauda eum qui utrumque nobis ostendit et præmonstravit.

SERMO CXIV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXIII.

I. Duodecim Apostoli mundum excoluere universum; pars orbis nulla fuit quæ sui coloni nomen obtineret : at ubi agricultores obierunt, eruperunt zizania, segetique propria communicavere vocabula, cum triticum in lolium transmutassent messorum opera rato tempore revellendum. Jure laudandus ille, cujus nutu festinata dies messis jam imminet. Ab ipsismet fidei nostræ adversariis didici eosdem odisse, postquam intellexi, libros, quos sine arbitro scripserunt, occultare; verentur quippe infamiam inde sibi secuturam. Ecclesia nostra non item; quin vultum dignitatis et decoris plenum attollit et offert, omnium oculis conspiciendum : neque enim vitium habet quod occultum manere velit, vel morbo laborat quem manifestum fieri nolit. Ejus nimirum decreta sole clariora nitent. Quo etiam magis commendes Patrem luminum, qui luce veritatis illam illustrat.

II. Urbem regum sedem ad deditionem compulerat Joabus, verumtamen cavit ne, si Joabus diceretur oppidum cepisse, ipsius nomen ea victoria loqueretur : quamobrem, missis nuntiis, Davidem ad castra venire rogavit, ut, secuta deditione, urbem intraret primus, indeque fama vulgaret civitatem ab ipso expugnatam fuisse. Joabus itaque quasi servus, quæ suæ partes erant, exequebatur, bellique exsorbebat molestias, sed regis nomen rei bene gestæ fama nihilominus referebat. Te, Domine, laudent quicumque veritatem amant. Sic Apostoli et Prophetæ,

nostri videlicet principes ac duces sudarunt, et alserunt, aperuere scholas, populis præcepta dederunt, expugnarunt urbes et arces, Prophetæ, inquam, et Apostoli ærumnas et dolores hauserunt, modo ut Dei non ipsorum nomen gentes audirent et loquerentur. Et vero quid intererat Dominum nostrum laborare et docere, si futurum erat ut nefarii et impii homines sua obtruderent nomina et sectis cognomenta darent? Illum proinde magnifica, cujus magnum nomen sceleratis larvam detraxit, obductisque eos integumentis nudavit.

III. Sed age, percontare Bardesanis asseclas, qua tandem ratione persuasi, quave illecti spe a Bardesane sibi nomen quæsiverint; quæ rursus hujus appellationis origo fuerit. An forte quia generis sui auctor Bardesanes fuit, qualis Hebræorum Heber? Alioquin si causa nominis doctrina fuit, cognomen a nomine doctoris petitum demonstrat, dogma aliquod minime sanum ab illo commentum ac traditum fuisse. Merito laudandus ille, qui hujus nequitiæ hominum fraudes detexit. Neque enim quisquis cœtui cuipiam præcepta dedit, suum etiam nomen adjecit. Apostolus plurimas gentes instituit, nullam tamen suo insignivit nomine; in eo siquidem nomine in quo illas Christi doctrina imbuit, etiam baptismo initiavit, et in quo baptizavit nomine, ipsum idem adorare docuit : omnia huic nomini tribuenda judicavit, cui omnes laudem et gloriam tribuimus, eidemque omnia deberi fatemur.

IV. Erro quidam[1] extitit apud Græcos, qui, cum singulas examinasset sectas, inde decerpsit, quod proposito suo credidit magis utile fore, et hodie quoque ejus sectatores pergunt simplicibus fœminis multis modis illudere, et alias quidem vana abstinentiæ specie capiunt, fallunt alias sacco et legumine, atque alias melliti sermonis leno-

[1] Eutactus in gangrensi concilio damnatus.

cinio. Laudes Domino, qui illorum artes elusit et evertit. Nec enim mendacium per se deforme formam aliunde quam a veritate sibi accersat, nec perfidia procedere queat, nisi per fidei vestigia incedat. Obtenta igitur veritatis specie seduxere nurus, quanquam ipsæ non ignorant eos utique esse turpissimos: seductas autem sibi habuerunt, quamlibet istas non lateat eos specioso integumento occultare flagitia. Erit itaque quispiam qui tales non fugiat? Erit etiam aliquis qui te, Domine, non laudet, omnium commune perfugium?

V. Perge porro, isthæc involucra evolvamus, loquamur quæ vel surdi audiant; vosque appello judices, auditores, vos ipsi decernite utrum præstet magisque deceat Christianum-ne an Marcionitam nuncupari: dici-ne Christianos an Desanitas, putida utique zizania. Nos interim optimum et excellentissimum magnificemus, qui debet ipse per se ad eum cupiendum quemvis allicere. Repetamus tempus, quando necdum viderat lucem Bardesanes, aut Marcionis nomen innotuerat; et discamus unde suum antiquissimæ Ecclesiæ duxere nomen, et hoc nostrum perpetuo fore statuamus, novasque, rogo, nuncupationes rejiciamus. Tu vero illum glorifica, cujus notitia per ejusdem nomina ad nos transmissa ac propagata est.

SERMO CXV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXIV.

I. Quanquam fidei orthodoxæ desertores Scripturas refigere non dubitarunt, ea est illorum audacia, veriti ne,

si integræ et salvæ manerent, sua auctoritate ac testimonio ipsorum errores præverterent, una tamen, quam supprimere ausi non sunt, illorum nequitiam satis superque manifestat et refellit; equidem arbitror illam a Domino in sacro codice conservatam, provisumque ne stylo eodem, quo reliquas, hanc etiam configerent : utrum autem intactam posthac relicturi sint, id porro incertum. Idem, precor, me pariter custodiat, ne similis flagitii reus aliquando fiam. Interim quod in orthodoxa fide usque ad hoc tempus persevero, ipsi acceptum refero et gratus agnosco. Monuit et mandavit qui non mentitur, dicens : « Nolite vocare vobis magistrum super terram[1]. » Apostolus etiam veritus ne istud latius manaret malum, præoccupavit ferre legem, ne quispiam gregum Christi sibi Pauli nomen allineret. Quod tamen Apostolus malum extimuit, ad hoc zizania suspirant. Una superbos impulit causa ambitus honorum, dum unusquisque cathedram occupare contendit. Illum prædicare vere est justum, qui, suam in cruce mortem objiciens, superbiam nostram cohibere studuit. Zebedæi filiis prima subsellia petentibus summus Magister prudenter negavit, cavens ne nos ex eorum facto argumentum similis ambitus perverse duceremus. Sed et eosdem suis quæstionibus a petitione primatus ad consectandam humilitatem revocavit. Nostram ut ambitionem compesceret, pro honoribus perpessiones obtulit, arrogantiæ nostræ objurgatrices. Tu vero reverere supremum Judicem pro tribunali sedentem.

II. O fidos sponsores, quorum fidelitas labefactari non potuit amplissimæ potestatis spe, ovesque repulere dicentes : « Ego sum Cephæ, ego vero sum Pauli, vel Apollo[2]. » Miseram ovem, cui gregalis suæ nota signari tanti fuit. Dominum certe reverentes optimi servi, suis a nominibus

[1] Matt. xxiii, 9. — [2] 1 Cor. i, 12.

derivatas nuncupationes oblitterare studuerunt, gregique Domini signum imprimendum curarunt. Jam benedicito ei, qui suorum Apostolorum opera oves suas proprio distinxit charactere. Subdoli autem et improbi doctores fraudulentis sponsoribus similes visi sunt; nam cum eos sponsus fidei plenos opinatus, suos ad sponsæ domum legasset nuntios, communem expectationem fefellerunt, Christique sponsas sibi averterunt : ut vero incautas deciperent, suavissimos sponsi mores imitati, jucundissimum ejusdem aspectum decoris et dignitatis plenum illis objecerunt. Sic enimvero adversus sponsum ipsiusmet armis dimicare voluerunt. Quis hic pro merito laudet eum, qui igne suo exploratorio veteratorum fraudem detexit et publicavit? Joannes contra missus sponsi paranymphus, cum animadvertisset se a sponsa Domini sui intentius inspici, perinde ac si ipsius dominus esset, servus suam conditionem minime dissimulavit, fassus se loco infimo natum et natura mortalem : summa ab imis discrevit, sponsæque utraque proposuit, testatus se sponso nullatenus esse comparabilem, cujus nec esset dignus ut ejus corrigiam calceamenti solveret. Gloriam tribuito illi, qui Joanni talia suggessit, ejusque monitis errantem correxit.

III. Contrariam cepere viam mendaces et fraudulenti doctores; fucatam nempe fallacemque mercem obtulerant ingenii sui acumina et argutias. Sic enim fit ut qui honestam heri uxorem violare molitur, se primum diligenter excolat et ornet. At enimvero quantumlibet istud hominum genus se comat expoliatque, suam profecto deformitatem ac turpitudinem nunquam adumbravit. Jesu humilitas qualibet venustate pulchrior est. Hunc proinde suspicito et lauda, cujus vel opprobrium gloria et decus est.

IV. Ejus certe dignitatem et amplitudinem statim ut aspexere Græci, Persæ, Ægyptii, sua ejuravere simulacra,

inanium deorum abjecere nomina, homines ante vitiis dediti ductas a suis majoribus nomenclationes antiquarunt, atque in verba magistri veritatis jurare cœperunt. Hæc vident putida zizania, perditissimorum tamen hominum nomina affectant nihilominus, et inde sibi cognomenta petunt. Testare gratiam illius, qui devios in viam ab errore reducit.

V. Postquam apud Græcos Filii Dei sponsam perversi doctores labefactare cœperunt, continuo magistrorum nomina sibi schola probavit. Servorum vocabula appetiit uxor, quæ affectum mutavit. Injuria provocatus potentissimus sponsus, ne latius flueret malum et universum gynæceum corrumperet, ejusmodi nomenclationes eliminandas curavit. Laudare justum est illum, qui Ecclesiæ suæ viros divino zelo incensos providit. Et sane si Apostolus in corpore mortali versaretur adhuc in terris, ejusmodi improborum hominum memoriam de sub cœlo deleret pœna, quæ populo Amalecitarum olim statuta fuit; nam si obstitit ne Christi grex nomen sibi Simonis approbaret, quanto diligentius curaret ut oblitterarentur nomina furum qui seductam Christi sponsam sibique adjunctam propriis notavere vocabulis? Laudem dicito ei, qui suam Ecclesiam adorando nomini suo affixit.

VI. Marcion, qui inter primos ausus est divinam obtrectare majestatem, cum a proprio nomine avelli non posset, alteram ab invecto schismate nuncupationem invenit; inde cœpit propriæ sectæ cognomento signari. Etenim nec fures ab arte sua nuncupari velint, sed hujusmodi appellationem ars ipsa vel invitis obtrudit; scilicet nostri nobis mores nomina fingunt. Illi benedicito, qui suo nomine nos induit. Sanctorum cœtus, fratres, captas ab hominibus nomenclationes vehementer abhorret : quamobrem Sabelliani, et Ariani, aliique sectarii, in eo quod ductas ab auctoribus

sectarum appellationes inique ferunt, nostræ Ecclesiæ se ornare et placere callide student. Norunt siquidem quemnam illa diligat, totamque in Christum esse suspensam. Sic opto ut benedictum sit illud nomen, ex quo omnis nostra pendet ratio et spes. Quid? Num Apostolum non legerunt arguentem eos quorum alii se Cephæ discipulos esse aiebant, et alii Pauli, atque alii Apollo? Ecce autem acerbior nobis, fratres, incubuit dolor, ex quo cœperunt nostri æquales gregem nominibus signare suis : siquidem nec puduit lectores, aut auditores erubuerunt, ascitis ab homine appellationibus vocari. Benedictum sit nomen in quo vocati sumus.

VII. Hic porro date operam et animum attendite, ut pernoscatis apud utram partem illa Apostolorum doctrina perseveret. Isti utique filii sponsam suis nusquam nominibus appellarunt; quisquis ergo gregi doctrinæ causa suum adjungit nomen, ab Apostolorum disciplina aberrat : contra quicumque illum Domini nomine signat, apud istum veritatem resedisse et adhuc perdurare dicemus. Benedicito illi, qui suum hospitem nobis indicavit. Græci item sapientes scholis suis dedere nomen, dilectissimi, hæsitque eorum discipulis illa nomenclatio usque ad hoc tempus. Atqui non mirum homines hominibus se subjecisse; mirum est ut impii sanctæ religionis transfugæ super Dominum Deumque suum se efferre audeant, audent utique, dum suum divino nomini anteferendum decernunt. Magnifica illum, cujus nomen « invocatum est super nos[1]. »

VIII. Sectam turpissimam turpi nomine canis nuncuparunt : neque puduit dementes de canis nomine Cynicos appellari, quemadmodum nec Udiani (Audiani) Udo (Noctuæ) vocabulum erubuerunt, neque sua cognomenta Ariani aut Cuchitæ, quorum nominum, carissimi, utrum fœ-

[1] Jer. XIV, 9.

dius sit nescias. Benedictum sit nomen quo decorati sumus. Luporum nomen quasi velum quoddam obtenderunt ovibus, milvorumque vocabulo convestierunt columbas: sprevere frumenti nobile nomen, veprium cognomentis uti maluerunt. Porro si Apostolus Corinthios acriter reprehendit, quod docti Dominum pro ipsorum salute Crucis subiisse supplicium, Cephæ tamen et Pauli cognomentum ambirent, qui etsi clarissimos viros esse scirent, servorum tamen conditionem nullatenus excedere sciebant, quantum putas divinam indignationem a sectariis provocari, qui nominis sui originem ad eos referre malunt, qui Domini fidem negarunt? Benedictum sit nomen in quod credidimus.

IX. Multos prædicari audio Christos, alterum quidem Manethi coëtaneum, Bardesani alterum ætate supparem, atque alterum Marcionis ætate natum: constat autem Christum Apostolorum temporibus advenisse. Porro si, quos nominavi, Christi sunt, isti profecto secum pugnant; sin unus est Christus, divisus in plures, idem ore non uno pugnantia loquitur. Tu vero approba tibi illum sine varietate unum, semper eumdem, semper ipsum. Est adhuc quod minime probes in ratione temporum, quibus ista dicuntur erupisse zizania. Sua heterodoxi confudere tempora, ut sua perverterunt dogmata: nam si ista sibi ab Apostolis tradita acceperunt, cedo, quis primus ille fuit? Arius-ne, qui nostra ætate prodiit? an Manes, qui hesternam ante diem nullus erat? Proh informes locustas, putida terræ rejectamenta! Quam merito laudandus ille est, « qui habitat in cœlis ac tales irridet [1]. »

X. Apostoli ad annos plures Christi doctrinam disseminare institerunt, eodem in munere successerunt alii, necdum porro ziziana pullularant. Isti, qui secuti sunt, ex-

[1] Ps. II, 4.

plicent a quonam traxerit nomen vetus a Simone tradita disciplina. Testes præsentes adsunt Paulus et Apollo. Gratiam habeamus illi, qui tales errantibus opposuit veritatis assertores. Ecclesia gentium jam extabat, postquam ejus constitutor Deus populi templum diruit, eoque funditus everso, ruinis superstruxit Ecclesiam. In hac certe Marcion nullo unquam munere functus est, quando nec ejus nomen extabat; neque illuc prorumpere licuit Manethi vel Bardesani.

XI. A Prophetis Apostoli orthodoxam doctrinam acceperunt (quo memineris laudare supremum ordinationum et vicissitudinum auctorem). Adamus primitus illam Noëmo tradidit, a Noëmo ad Abrahamum propagata est, et ab isto ad Mosen, et a Mose ad Davidem manavit, et ab eodem ad captivitatis babylonicæ exules, et ab istis ad Salvatorem traducta fuit. Populus post dispersus est, omnesque Patrum traditiones rescidit et refixit; Apostolorum item manus sublata est. Prædicamus eum, qui eorum traditiones conservat; ille nimirum, qui arcæ fabricam præcepit, idem populi templum construxit, et qui hæc omnia molitus est, sanctam Ecclesiam constituit. Porro qui viventium propagationem rerumque seriem ordinat, idem Prophetarum atque Apostolorum successionem ordinatissimam invenit, et a sæculo usque in sæculum retinebit. Testare potentiam illius qui cœpta tenet, auget et perficit.

SERMO CXVI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXV.

I. Iterum redarguendi sunt quicumque vagantur extra viam, perque devios fallacesque tramites aberrant : quandoquidem ipsa salutis via nobis indicia offert, unde pernoscamus hunc esse callem quem legati trivere pacis et spiritu afflati sapientes præsignarunt, atque libratum æquatumque nobis tradidere Prophetæ et Apostoli; cujus milliaria distinxit veritas, et Christus diversoria adornavit. Eia, fratres, hanc ingrediamur semitam qua Pater Filium misit : regiam teneamus viam, ut simul omnes ad conspectum Filii Regis perveniamus. Hæc quippe via est quam regii statores venturo Domino pararunt, tunc quando regni hæres deducendus fuit ad urbem regum sedem, et collocandus in eo qui a Davide constitutus fuerat thronus. Et Regis quidem ille personam induit, cum illuderetur; coronatus est cum irrideretur; subiit in Calvariæ collem regalia gestans insignia, sicque viam suorum Prophetarum remensus est, et ab Apostolis suis mox recalcandam composuit et complanavit. Hanc ergo viam nos capessere oportet a Filio designatam, ut Patris gloriam teneamus.

II. Moses in lege viam per figuras descripsit, populoque per omnes palanti vias monstravit, Dominus suis ordinationibus illam absolvit, et gentibus terendam dedit. Omnes itaque figuræ a Mose in eo quem aperuit tramite designatas, via Filii Dei ad finem perduxit. Hoc ergo agamus, fratres, ut mens nostra fiat æquabile solum; animam videlicet præparemus sic, ut aliis expediti curis monstratum

salutis iter persequamur. Hinc porro increduli suomet ore revincuntur, istud esto minime animadvertant: fatentur nimirum Joannem advenisse: videamus ergo, num recto ordini consentiat, quod legati præcursores Regis jamdiu defecerint objecerintque. Rex autem ex condicto pone secuturus, suum adhuc adventum protelet et sustineat: Prophetarum siquidem postremus extitit Joannes, idemque Prophetarum coronis fuit, viditque Simonem, discipulorum principem; Dominus inter priores et posteriores medius constitit. Conticuere illico buccinæ Prophetarum, orbem circumsonante tuba Apostolorum.

III. Christi præcursor Joannes ad Judæos venit, ut ipsi fatentur, ad præparandam secuturo Messiæ viam; cum autem, dilectissimi, instruitur via apparatu magnifico, qualis regalem decet majestatem, intelligit quisque regem propediem affuturum. Supputate nunc tempora, et comperietis annos jam fluxisse trecentos ex quo Joannes viam Regi post venturo præparabat; vos dicite, increduli, Rex ubi est? Constat itaque ut in dubium jure vocari non possit, et præparationem viæ a Joanne cœptam et absolutam fuisse in gratiam Filii Regis secuturi, atque Prophetis ejusdem adventum annuntiantibus imposuisse silentium solam ejus præsentiam.

IV. Antecessere Christi adventum Abel et Enoch, Noë et Abraham, Moses et Josuë, Samuël, David, ejusque nepos Joseph, omnisque cœtus justorum qui per idem tempus floruerunt. Jam inde constantem et longam habetis filiorum lucis seriem per omnes præteriti temporis ætates deductam. Ecce autem omnes testantur Dominum ad Sionem venisse, Regemque statorum suorum cursum sua præsentia conclusisse. Via militum signata vestigiis ostendit exercitum antecessisse, regemque præeuntes legiones secutum suis in castris adesse præsentem. Sic incredulis

dum callide in alieno solo peregrinari malunt, viam certa viæ Domini nota signarunt.

V. Cœterum quisquis se Regis legatum prædicat et a via regia fugit, latro est, viatoribus insidias parat; siquidem etiam latrones vias obsident ut negotiatores adoriantur et spolient : quare si quispiam gnarus viarum tibi se offerat ducem, sequere, insistito illorum vestigiis, et in suo ipsos latrocinio interpellabis. Pertentemus ergo nos quoque et exploremus incredulorum angiportus et salebras. Agite itaque, examinate versutissimorum hominum tricas et fallacias, et abactas oves direptasque ex eorum manibus excutite. Erroris tortuosum et multiplex ingenium semper fuit, tramites non suos secus viam salutis ad lævam occupavit atque munivit, quos modo videtis ab ejus ducibus obtineri : cognati sunt isti antiqui illius serpentis, callidi illius veteratoris, qui rectos seduxit, cujus consilium turpissimum fuit, qualis ipse, qui dedit. Hujus pressere vestigia secuti hæresum inventores, qui viam mirum in modum deformarunt, superinductis suorum ænigmatum involucris, quæ etiam simplicibus facile persuadent. Ergo si quos orthodoxos offendunt recta incedentes, suis prius imbutos disciplina suadent ut ad ipsorum mores in posterum se componant.

VI. His seducti artibus facilem tutamque credidere viam, planum ad rebellionem iter; incautos decepere maligni tramites viæ fraudulenter adjuncti. Peccati namque repertor in via vitæ mortis notas impressit; ad confundendas filiorum lucis semitas, veritatis larva texit mendacium, ut vel repelleretur verum, vel falsum admitteretur. Sed tu age, ingredere veritatis viam, totam circumspice et considera, mentique illius speciem et ornatum imprimito ; inde disces cavere tibi a damnato illo serpente, ne quando te incautum invadat, et a recta abductum, in viam quam odisse debes

conjiciat. Unigenitus, qui ambulavit super aquas, suoque discipulo similem viam patefecit, eidem arcana delineavit et proposuit : in undis descripta emicuere symbola, in profluente semitam instauravit, descripsitque in mari continentis imaginem; significavit Apostolis apertas fuisse vias ad promulgandas Evangelii leges per universum orbem, quem calcatum mare designabat. Tua, rogo, vox, quæ fluctus increpuit et super aquas novum stravit callem, discordias componat, ut olim tempestatem compescuit, viamque veritatis famulis tuis expediat.

SERMO CXVII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXVI.

I. Magnum profecto molitur opus, quicumque parat omnium orthodoxæ fidei hostium mores et errores exquirere; siquidem velit cœptam ab sua origine rerum gestarum seriem ad nostram ætatem deducere; alioquin Manethis acta retexere operosum non est, cum a nobis parum distet tempus, quo suam suis aperuit viam, externam quippe ante diem necdum emerserant dogmata zizaniorum, quæ nata visa sunt aruisse; nisi quod viarum grassatores sua opportune petunt latibula, unde, data occasione, erumpant. Hujus disciplinæ sectarii testamentum per famuli manus nobis traditum ab altero, quod a Filio conditum accepimus, distraxerunt : patebit autem error, si patuerit oculos habentibus Apostolos tritam a Prophetis cepisse viam. Fons erat ingens, et « in ipso vitæ principium [1] », inde existit

[1] Joan. 1, 4.

alter Prophetarum vehens oracula, ac tertius verba trahens Spiritus. Hos nacti fontes colubri de profluente cadentes lambitavere guttas, haustum copiosus vomitus consecutus est; scilicet saluberrimæ salientes venenatorum reptilium contagione in lacunas pestiferi liquoris conversæ sunt quod vitale poculum fuit, mox draconum felle temperatum gustantibus lethum attulit, esto putaverint insani quidam inde sibi offerri latices peregrini suavissimique saporis; erroris namque repertor ex illimi fonte veritatis labentes stillas clanculum collegit et veneno miscuit.

II. Tu vero, disce viam a salebris discernere : cave ne alius captivum te trahat callis; mendacium quippe veri larvam sibi accommodare consuevit. Ubi autem videris terminos a Rege positos, publicaque diversoria et frequentem illac negotiatorum discursum, hanc nimirum viam credito tutissimam, Regi ejusque cursoribus et legatis constitutam. Ubi contra per obliquos viarum flexus circumsonare audies incantatorum carmina et signorum zodiaci vocabula : item dicta religioni divinæque majestati contumeliosa, et nefarias maleficorum exerceri artes, non est cur ultra ambigas; compertissimum quippe est hosce errantium esse angiportus et grassatorum cubilia; brevi sic habeto : ubicumque mendacium deprehenderis, vasa ocius colligito, indeque celerem adorna fugam. At ubi nactus fueris viam illimem et planam, mentem tibi præpara purgatam et sinceram; quod ubi feceris, meditatum iter securus ingredere.

III. Gratemur, oro, fructuî, qui viam nobis aperuit; ab arbore ad crucem, a ligno ad lignum rectam produxit, a Paradiso deliciarum ad Sionem, et illinc ad Ecclesiam sanctorum, atque hinc ad regnum. Hanc enimvero ingrediamur, quæ impios desertores redarguit, docetque locum unde exciderunt antiquum illum apostatam secuti, cujus perinde

nomen et mores induerunt. Dominus viam se ipse appellavit; hac ad ejus Genitorem contendamus. Magnam profecto viam ejus mandata proponunt, quæ cum amplissima sit, angusta simul est, antiqua est, eademque nova. Hujus caput incircumcisus populus tenuit, Domini secum vehens figuras, ejus quippe adumbratæ etiam imagines salutis prognostica sunt. Huic permixta circumcisorum turba iter ingressa est Filii simili modo ornata symbolis : hic enim primis, et mediis, atque postremis salutem et vitam attulit, viamque trifariam divisit. Unum autem omnium viarum initium et finis est : etenim qui omnia sua potestate complectitur, cuncta pariter in se reducit et recipit.

IV. Viæ causa fuit Adamus perditus; hunc ut quærerent, in viam se dedere viri communis Domini statores, qui tamen ovem errantem magno cum labore perquirentes, reperire nusquam potuerunt, nedum ad caulas reducere : quamobrem ovis Dominus, ut amissam recuperaret, quærere instituit, ingressusque viam est, quam Domino gregis sui pastores præstruxerant, et hominem induit, atque Paradisi fores suomet introitu reseravit. Ergo agite, fratres, viatica nobis actutum provideamus, et hinc emigremus, quandoquidem salutis Reparator nostræ nobis aditum ad sedem deliciarum patefecit. Et hic quidem in terram spinis horridam et execratione devinctam hominem transgressorem ideo relegavit, quo se ipse corrigeret, et reditum in eum, unde dejectus fuerat, locum sibi procuraret. Inde porro factum est ut Eva mater nos exules carcerique mancipatos pareret : carcer nihilominus et exilium adeo placuit, ut domum, qua noxii coërcebamur, Paradisi domicilio antehaberemus. Ea est consuetudinis vis, et rerum quibus semel assueveris amor, quia nimirum tenebris assuefacti sumus, lucem fugimus. Et vero quotusquisque est, qui vinctus catenis solvi non petat, aut carcere clausus

exitum non quærat? Nostra tamen vota, modo sit qui orantes exaudiat, plane contraria sunt, ut in terra aspera spinis liceat permanere.

V. Ceu navigio clausi per freta ferimur; si quis periclitantes e pelago ad portum appulerit, beneficium deputamus injuriæ loco. Domino nostro sumus ubique graves, flemus et querimur hic nos ab eo neglectos, nec secus ac si nihil ad ipsum pertineremus. Attamen ille Bonus animadvertens nos in eo versari errore, ut inviolabili lege statutum e carcere exitum quasi injuriam deprecemur, oblatumque regnum recusemus, providit ne mors donis precibusve flecteretur, nostrisque exorata votis hic manere aliquando permitteret. Jam si clementissimus Dominus, peracto brevi curriculo, hominem hinc emigrare jubeat, dolendum ne putas mortem adesse, quæ membra sexcentis compedita vinculis exolvat?

VI. Tua, Domine, sunt ista duo, meus in mundum introitus, meusque inde, definito die, exitus. In via veræ religionis natus sum, tametsi tunc beneficium non sensi, quod adultus agnovi et retinui. Occurrentes in itinere obliquos flexus mea fides odit et præterbitavit, non ignara talium viarum exitus ad lævam ducere. Et quoniam te, Domine, confessus sum, confitere me, oro te: miserere peccatoris in te credentis, qui, etsi peccare pergit, ostium tamen tuum pulsare non desinit, via tua ad te nititur etiam ignavus et iners.

SERMO CXVIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXVII.

I. Quam bene imitantur malos impii fidei contemptores! Nequam et improbi quidam, monetalem typum unde nacti, nummos cudunt adulterinos, qui si ad manus aurificis venerint, laudat iste typum et effigiem regis, sed et accusat artificis fraudulenti nequitiam; nec enim callidus veterator potuit exacte archetypum imitari, et discriminantes notas penitus dissimulare et auferre. Id enimvero auctoribus sectarum contigit; rectam illi quidem depravarunt viam, terminos tamen a Rege positos immutare aut revellere nequiverunt; his porro stantibus constat pariter via: quilibet enim in tam recenti præsertim memoria statim fraudem animadvertet, modo mentis sit compos suæ; nec enim doctus ignorat quid illi sint, quo auctore, quove consilio hoc in loco fixi fuerint. Quisquis itaque terminos a recta ad obliquos flexus transferre ausus fuit, ex duplici capite arguendus est, et quo viam occulere se posse credidit, et quo ejus terminos refigere tentavit. Tuam, Domine, admiramur veritatem, quam abscondere nemini hactenus licuit.

II. Perge porro: consideremus viam quam inter salebras perversi homines moliti sunt; in illa quippe veri Regis nostri terminos videre est constitutos et suo ordine dispositos, ibi audire est nomina Patris, et Filii, et Spiritus sancti; occurrunt item sacramenta chrismatis et baptismi, fractio panis et calix salutis, nec non divinæ Scripturæ, quas malitiose surreptas impie depravarunt. Regem regum lauda,

cujus via ducitur per editissima montium juga, quam utique oculis subducere nemo possit. Vides vanum stultorum hominum laborem, qui resectæ veritatis fragmenta collegere, iisque altissimos montes submovere aut occultare tentarunt. Postquam vero animadverterunt tantæ molis terminos abscondi non posse, eosdem, mutato nomine, vocabulo ignoti regis, qui certe nullus est, vestierunt. Et fabula quidem apud quosdam fidem invenit, ab aliis tamen rejecta est et merito reprehensa. Benedicito ei, qui sic terminos in terra fixit, ut in cœlo sidera.

III. Quanquam sicut dilucescentem diem nemo occultat, sic nec potest quisquam divinarum Scripturarum fidei auctoritatique detrahere. Errant miseri in clarissima tot luminarium luce, et multiplici divinæ Sapientiæ lumine monstrante viam, per avia vagantur : astra in offendicula perverterunt, et castam integramque Scripturarum disciplinam in impuras hominum opinationes, unde turpiores evaderent. Gloriam proinde illi tribuamus, qui sua nos luce collustravit, et clara veritate nos alit et recreat.

SERMO CXIX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXVIII.

I. Ut umbra nihil est, carissimi, nec per se subsistit, sed interposito interjectoque corpore opaco paritur et conservatur; sic mali natura per se nihil est, sed ab opposito sibi bono existit et constat. Conjugium utrobique unum ipsum est, honestum quidem et immaculatum, si ex lege fiat; nefarium idem ac turpe, si legi adversatur. Quam oppido justum est laudare eum, qui charitatem nobis insti-

tuit morum magistram, cujus ope plurima non ignoraremus! Perinde cibus immensum luxum, temulentiam potus induxerunt; data sibi quisque naturæ bona, ipsa repugnante, suum idem in malum convertit. Non est ergo quod doleas rerum naturas malas esse, constat enim esse optimas, sed res per se bonas malas facit perversa voluntas. Vis ac potestas arbitrii ornatissimas rerum constitutiones labefactavit, libera voluntas turbavit et miscuit omnia, quo disceres illum admirari, cujus bonitas et sapientia efficit ut suum natura ordinem immutabili lege percurrat.

II. Et vero si hanc, qualis a Deo constituta est, consideres rerum universitatem, nihil in ea occurrit quod summe decorum ac pulchrum non sit; verumtamen si inde oculos ad mores convertas, miraberis utique voluntatis humanæ vitio cuncta depravari et corrumpi; fœda nimirum illuvies moris obtenditur naturæ, indeque omnis ejus decor extinguitur et insigniter deformis evadit. Quod si accidens naturæ vitium exueris, facile indues mores bene constitutæ naturæ congruentes; puta si os maledicendi consuetudinem abjecerit, minimo utique labore divinis laudibus assuefiet. Item si inditam naturæ pulchritudinem excolere cupis, fac etiam abstineas ab eo quod naturam non dedecet. Ut virtutes, sic vitia naturam consectantur. Et sane si naturæ modum et ordinem adhibeas, inde tibi decus ingens et eximiam dignitatem acquires: alioquin si eam in vitia diffluere permiseris, cogita hinc tibi omne malum conflatum iri. Tu, Domine, cui natura paret, ejusdem, quæso, usum ad rectam rationem exigere nos doce.

III. Consentiunt naturæ medici; illi siquidem, si medicamenta ex diversis speciebus composita ægro adhibenda sint, singulas species ad certum pondus et mensuram ab arte præscriptam exigunt, caventque ne qua alteri prævaleat,

non ignari certam inde ægroto perniciem imminere. Qui cuncta curat, mundum distincte accurateque composuit, naturam miseratus ordinavit, turbavit iratus morem. Habeto gratiam ei, qui rebus in usum nostrum constitutis ordinem nos docet, intra quem concessam arbitrii libertatem continere debeamus. Si capillus et ungues ultra modum crescere sinas, corporis venustatem corrumpunt, quamvis sine illis etiam fœdum et deforme foret; ad ejusdem quippe ornatum adjecta sunt : qualem ergo deformitatem creari putas naturæ ex peccato, quo nil deformius fingere possis? Vinum fæculentum tum vero delectat, cum fuerit defæcatum : age ergo, purga noxas, animæ fæces, ut Domino tuo placeas. Sua voluntate peccatores labes hujusmodi contraxere, moribus suis naturæ ordinem perturbarunt. Laudandus proinde ille est, qui pulcherrimam vestem nobis muneratus est, naturam puram; si quod autem deinde illi accidit quod ejus honestatis splendorem inquinaverit, nos in culpa sumus.

IV. Alioquin si vis scire naturam, ne quæras ubi suo exuta fuit decore; caput fontis petamus oportet, unde lympidæ prosilierunt aquæ. Hominis naturam in sua prima conditione contemplemur, qualem intuitus omnium Dominus, omnia in ea laudavit. Si qua vero extitit æterno Opifici coæva natura mala ipsique contraria, hæc profecto non opus, sed artificem infestabat. Tu vero illum demirare, qui suam nobis declaravit potestatem et sapientiam, sed et beneficentiam quidem, quo de nihilo mundum molitus est; sapientiæ vero suæ divitias, quo ea quæ condidit scitissime disposuit, ornavit et plane cumulateque absolvit; suam denique beneficentiam, quo sponte sua pulcherrimum hoc universum exædificavit, suisque expletum numeris Adamo liberaliter concessit. Cæterum quidquid negotii fuit, quod inter illum et hominem gerendum

fuit, ipse transegit; quæ autem ab homine, in ipso homine et in iis quæ infra ipsum curanda restabant, in ejusdem potestate dereliquit : propereaque nostram voluntatem Dominus noster neutiquam laudavit. Hæc porro mox perturbavit et miscuit omnia, etiam seipsam.

V. Ex hac radice emicuere statim spinæ, testes nimirum peccati, quod nuper emerserat; nec enim istæ illud antecessere, sed postquam humani vis arbitrii peccatum hactenus nostro orbi ignotum edidit, protulit terra spinas hucusque occultatas. Prudenter qui cuncta molitus fuerat peccati imaginem in spinis expressit, et conspicuam manere voluit, ne quis ejus Divinitati ex ipsius benefactis aliquando calumniam instrueret. Hinc discito naturæ Dominum diligere, cui suis terra spinis, nostris nos peccatis ingens odium conflavimus.

VI. Quantumlibet palea tritico affinis sit, quo tamen copiosius aggeritur, acervum facit deteriorem; quam oppido magis deteri dicam vitiorum contagione naturam, quæ quidem ab ea aliena sunt ut nihil magis? Ascitis propria voluntate pravitatibus liberanda natura est; corrigenda simul malefacta, et solvenda debita nostri arbitrii abusu contracta; purgandus est acervus a conditionis suæ origine sincerus, confusis deinde spinis permixtoque pulvere adulteratus. Interim Conditoris naturæ beneficentia prædicanda est, qui naturam nobis integram puramque in suo fonte profudit.

VII. Vides ut magnus Arator naturam et legem uni jugavit aratro. Natura mœchos abominatur, maleficos et parricidas; ipsos similiter nec minore odio persequitur lex : cumque aliquando lex et natura mundum purgassent, humano cordi nova mandata, velut nova semina campo, commendarunt, ut pro frugibus Domino naturæ gratias referret, et pro lege scripta Legislatorem laudaret. Sed na-

turæ legisque Auctorem contempsere impuri homines, fidei ac pudicitiæ osores, unaque cæcum vulgus variis implicitum erroribus, quod quererentur tales se a natura factos, ut videlicet errarent, et mœcharentur. Contradixit natura vocali voce, quæ bovis conjugis aures perculit, legem videlicet provocavit, illam, inquam, legem oppido terrificam quæ in summo montis Sinaï vertice tradita fuit, necnon alteram suavem quam dedit ille Perfectus, qui, postquam Mosaïca lex delassata fuit, descendit, ut legem utramque naturalem et scriptam perpoliret et absolveret. Rerum itaque Perfectorem magnificemus, cujus numine bene cœpta nec dum finita ad exitum deducuntur.

VIII. Quæso, Domine, a vana disquisitione erue me, quod vitium hujus temporis mores induxerunt. Cura hujusmodi acerba est, tametsi quibusdam jucunda videatur, amara et ambigua ; molestum profecto est audire omnes disceptantium rixas. Interim, propositis quæstionibus difficillimis, audientium sententiam explorant, sic aures vellicant et auferunt mentem stropharum illecebra circumventam. Obdurant frontem, ut fortes sibi submittant; se demittunt, ut ex insidiis incautos adoriantur et spolient. Hæc, precor, Domine, scindito retia, et simplices eripito a laqueis, qui recta incedentibus passim obtenduntur. Miserere, quæso, tuæ desertorum fidei, qui ei a qua procreati sunt naturæ obtrectant.

SERMO CXX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXIX.

I. Omnes hinc facesse curas, anime, ipseque te aliquando colligito, te ipse discutito. Quid id est? Tecum-ne habitas, aut vagus ubique erras? Tu-ne idem modo qui, ante alto sopore pressus, per devia somnia errabas; tibi præsens, teipsum latebas? Quid num ergo alius quispiam tuam induit personam? Quî tamen factum ut nec accedentem senseris, nec recedentem? Quod si licuit præsentis, teque noctu invadentis dæmonis formam perspicere, explica utrum eadem in tactum cadat, vel contra, tametsi affinis sit corpori, magis tamen ab isto distet quam animus. At enim si dæmonem sedimentum esse credis illius principii, quod tenebras appellas, eumdemque asseris esse animo subtiliorem, cuinam mortalium licuit tantum, ut purissimam ejus substantiam sensibus discerneret? Eia agite, animus et anima, hunc nodum solvite. Jam duo adestis, tertius addatur corpus: siccine tres, commissa pugna, dæmonis unius vim nedum propulsare, nec sustinere quidem potuistis? Cumque quilibet vestrum, pensatis singulorum viribus, illum profligaturus crederetur, hunc omnes simul nec procurrentem sensistis, nec efficere potuistis quominus vos somno sopitos prosterneret, atque per varia visa raptaret.

II. Vapor unde somnus, si offunditur corpori, mentem pariter opacat; sopito corpore, corpori affinis dæmon vigilat, et animus, quantumvis a corpore abstractus, stertit. Jam nisi id est quod dæmon fictis imaginibus vos illudit, quis

facit de nocturna pollutione reos? Nostis utique hanc a Mose in lege reprehensam. Quod si vestris somniis nullus illudit malus, ergo nec Bonus se vestris illusionibus immiscet; cessante autem utroque, quo impellente agitari putatis species vobis somniantibus objectas et deinceps objiciendas. Corpus quiescit, quis ergo movetur et errat sine corpore? aut sine agro serit? aut sine libertate peccat, et commissum suum experrectus erubescit? Porro si vestris insomniis neutiquam se immiscet cujusquam malitia, ergo de vestro vobis accidunt obscœna ac turpia. Et si minime percipitis, quis malus auctor corporibus vestris ejusmodi allinat sordes? Dicemus insomnem vigilare Satanam, ipsoque impellente, vos huic demersos luto : vos ergo Satanæ corpus, vobis ille successit mens, et ambo naturam mutastis.

III. Paradoxa sunt : fæx pura, sine somno insomnium, et somno sopita mens, animus mortalis, exanimis anima, et sine anima corpus vivens. Papæ, quid audio? Deprehensum est corpus vigilare quamdiu cum Satana est, et ab eodem dormiens agi in culpam, dum interim ratio et mens cum sorore anima stertunt! Atqui si somniorum auctor Satanas fuit, dum, discusso somno, dormiens expergiscitur, quo alio auctore defluxit subito illorum memoria, et animam, mentem, animumque destituit? Nec vero priori illusione contentus Satanas ut mortuos efficeret quos natura insomnes et spiritales edidit, illud etiam adjecit, ut experrectos et quasi redivivos rursus invaderet. Cœpit ergo sua ipsis somnia ad memoriam revocare, eorumque vocibus sua visa publicare, atque ipsis per ipsos ex propria interpretatione exponere.

IV. Est interim quod vehementer mireris : ordinata videlicet perturbari, permisceri discreta; estque rursus quod capere nequeas : individua dividi, ut unum unum non sit,

sed numerum faciat et multiplex fiat : sciat et nesciat mens eadem, idem sensus sentiat nec discernat, ejusdem spectri intercidat memoria et maneat, et idem idem non sit : si dormit, vigilat; si moritur, vivit; si quiescit, vagatur : sommo mergitur, emergit vates; egregius conjector vaticinia in somno hausta, in vigilia proponit et explicat : sibi præsens et absens, secum et extra se, jacet et currit. Sed quid ais? Idem qui evasit, ipse rediit, an forte alius venit, et illum invasit?

V. Præterea qualem opinaris esse fierive motum in somnio? Quomodo id explicas? Quandoquidem membra movet et oculos flere cogit, falsum somnium veras ciet lacrymas? Censes-ne ergo somnium esse veridicum? atqui interdum mentitur; fallacem-ne? atqui nec semper fallit : moventium autem culpa similis est, ut idem somnium. In magna pace magnum coquitur bellum, sua simul componunt somnia; tametsi discordant, concordes sunt et litigant; rixantur, nec tamen dissident. At ego quo meo malo factus sum diversorium hospitibus inter se vix unquam non dissidentibus, belloque ut ipsis sic mihi intestino dimicantibus. Mercedem hospitii solvere debuissent, jam repetunt, quod me quiescentem torserint. Discordes esse dixi, socios tamen esse scias et sodales; omnium quippe sensus unus est, et esto alter vera loquatur, mentiatur et fallat alter, conspirant omnes ut vera promiscue ac falsa ad me referant.

VI. Quocirca sicut ambo mihi dormienti somnium, collato studio, finxerunt, ita concordi sensu idem experrecto retexunt et narrant; et quoniam isthæc omnia intra me agitant, meaque abutuntur phantasia et cogitatione, meoque rursus ore suas narrant fabulas et lingua interpretantur. Mihi videor inde factus ego organum, et voluntas mea cinara, et cithara meum arbitrium, duo mihi referens,

insomnium in somno, et in vigilia ejusdem interpretationem. Formas itaque mutuo commutavimus; personam ego illorum, ipsi meam induerunt. Posthæc ab invicem discessimus. Nec interim sensi quanam ratione suis me insomniis per devia palantem abduxerint : fortasse nec ipsi sua insomnia senserunt, mecumque dormientibus alius quispiam utrisque sua spectra, somniaque eorumque interpretamenta composuit.

VII. Ego vero quo miser prolapsus sum! Et si quidem perii, quis hic sit qui me perditum meis revocat vocibus? Si autem integer sum et adhuc valeo, quo adhuc impeditus ipse me non sentiam? Quisve meam mutuatus imaginem, me mihi mea voce repræsentavit, meque descripsit, quo me ipse pernoscerem, quandoquidem, fratres, id per me assequi nequibam? Quis mihi id expediat unus-ne sim an plures? Quis explicet quomodo, cum unus certe sim, multiplex videor, in somno divisus, individuus in vigilia? Quis mihi istud enucleate apteque edisserat, quanam ratione, instante somno, vaporibus opprimantur sensus, deinde experrecti expeditique ad suum statum, velut serenata tempestate, revertant? Hoc interim accipito : nec moritur anima, neque soporatur; manifestum autem est omne quod morti obnoxium est, idem et somno obnoxium esse; certumque est quidquid mortale est, aliquando etiam moriturum, ut sua morte resurrectionis mysterium proludat. Anima in corpore, ipso vigilante, fatigatur; errat, eo dormiente; vagatur eodem temulento, et ægrotante delirat. Tu vero utriusque Conditorem admirare.

SERMO CXXI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXX.

I. Quæ mentis humanæ ratio illam summam naturam attingat, nisi ipsa se neget esse talem qualis certe est, et asseveret se esse qualem constat non esse? Etenimvero talis non est qualem se illa repræsentat, alimenti indigam, alique victimis quas sacer voravit ignis : seipsam utique dissimulat, cum ait se conspectam fuisse ab homine mortali, cum verum ac certum sit celsam illam substantiam sub nostrum conspectum non cadere. Similem loquendi modum observat, ubi se pœnituisse dicit; scilicet cui nullatenus subest pœnitentiam prodit, ut nostrum genus, cujus eadem propria est, ad damnanda, quæ male fecimus, provocaret. Cæterum ne individuus Deus a se ipse divisus crederetur, neve videretur odisse veritatem, suis oculis subjectam propriæque essentiæ ingenitam. dicta repetit et exponit, propriamque naturæ suæ excellentiam plane declarat, et quis et qualis sit aperte definit. Quocirca cum dixisset se victimas appetere, dictum resumit et interpretatur, asseverans se ejusmodi esculentis non egere : rursum promittens se in suo templo habitaturum, adjecit cœlorum orbes ipso esse plenos.

II. Sic majestatem occuluit, ut ex hoc ipso quam oppido benignus et suavis sit conjectaremus; rursus propriæ naturæ excellentiam prodidit, quo illum omni honore dignissimum intelligeremus. Descendit demissus ab alto, atque humilem habitum de nostro sibi composuit, suam de

suo gloriam mox manifestavit, cum terras reliquit: sibi detraxit quidquid ædes nostras implevit; sed et quo se ostendit qualis vere est, multorum etiam bonorum accessione ditissimos nos fecit: mutuatis vocabulis suam amplitudinem coëgit, atque intra limites, ut libuit, se ipse coarctavit: atqui ne iis quos cernebamus terminis illum totum plene comprehensum suspicaremur, reducto subinde velo, suam majestatem spectandam obtulit, nec tamen qualis ipse est, sed qualem oculorum nostrorum acies toleratura videbatur: quin et illam, quam intueri licuit, ejus magnitudinem punctum deputa; radius nimirum est ab infinita luce emissus, tantum quippe clarissimi luminis effudit quantum hominis pupilla ferebat.

III. At quibus isthæc incredibilia videbantur, dissimulantes vim causarum quæ in subsidium infirmarum mentium dispositæ fuerant, illarum nomina occuparunt, quibus summum earumdem caput oppugnarent. Maledictorum scatebram dices illorum mentem, ingenium maleficiorum officinam; sic enim animati sunt ut Deum sua in sede negare non dubitent; serpentibus similes, qui horti exaturati pomis, custodem suo in fundo infestant. Sed mitte ista, strictoque gladio concurramus; premendi sunt adversarii, et contradicentibus instandum: alterutrum profecto eos fateri necesse est, vel quod velint (ut nunc volunt) omni carere Deo, vel quod peregrinus aliquis Deus ipsis occurrerit purus, integer, hujusmodi tropos minime patiens; quo enim peregrinus ignotusque cogitatur, propriis naturæ nostræ vocabulis et nominibus minime subjicitur.

IV. Age jam, si externus quispiam advena indigenarum habitum clanculum et subdole abstulit et induit, næ ille vel ab ipsis incredulis explodendus est; impostor siquidem est, vestes mutavit ut fallat; alioquin si peregrinum et

hospitem non dedecet habitum mutuo acceptum induere, et prodire in publicum alieno tectum pallio, profecto nec indecorum sit summo Opifici operum suorum ornatum assumere. Cæterum si post amissum oculorum lumen, miseri sibi de adventu sui perigrini gratulantur, et aiunt hunc humanæ naturæ veste amictum ad humanam naturam accessisse, produnt cæcum adversus Deum creatorem odium, inde cœptum unde hic nobis assimilatus in nostra imagine nostram transegit salutem.

V. At enimvero si domino armenti vitio vertitur, quod pecoris sui similitudinem et speciem quæsiverit, quanto magis vituperandus est ignotus advena, qui formam ex alieno opificio callide sibi concinnavit? Hic porro qua arte tutum se fore putet, ne forte demum ad summam inopiam redigatur? Quod si id contingat, unde mendicare cogatur, ei utique quadrabit, quod objiciebatur depostulanti victimas quasi ad levamentum egestatis. Alioquin si se nobis bonus Deus sociare visus est, quo erogatæ stipis occasione vitam nobis amissam refunderet, laudandus utique est, unde hostias depoposcit; inde enim causas componebat, unde perditis salutem repararet.

VI. Quicumque Deo litare victimis solent, preces multiplicant, magnaque se purificant religione, ne dona ab invisibili Domino despiciantur et visibili sacerdoti vilescant. Jam vides quantum aberrant sanctæ fidei desertores, qui peccata quotidie exaggerant et occultant. Non sic homines frugi, quibus constans fuit erga Deum voluntas; sacrificabant nempe simul, simulque sua malefacta propalabant; animadverterunt nimirum quantam utilitatem ex hostiarum immolatione Deus homini procuraret; his etenim sacris illum ad orandum trahebat, cogebatque munditiem et puritatem quærere; sic ex ejus sacrificiis simul hostia, simul pœnitentia proprios spirabant suaves odores, et ambæ

sursum ad Deum ferebantur. Cum ergo cæcatis errore mentibus videretur victimis propitiatus Deus, reipsa intimo offerentis malefacta sua damnantis dolore placabatur, hic tamen intra hostiam reconditus oculis patere non potuit.

VII. Domini sermo est, unde discimus paratum discipulis ejus cibum potumve sibi futurum cum ipsis communem: at enim ipse nunquam esurit, quale ipsi commodum inde redeat, si relictas ab ipso, pro ipso dapes esurientes quidam comederint. Sin autem lætatur in lucro boni viri, qui famelicos pascit et benignum erga egentes se præstat, habet exemplum Justi, qui in profectu immolantis gaudere consuevit, cum tamen immolata sacerdos consumeret.

SERMO CXXII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXI.

I. Dolentis subinde speciem induit generis Auctor nostri, ut iis quos possidet misericordiæ suæ specimen exhiberet. Etenimvero quamvis idem naturæ suæ prærogativa beatus sit, mœroris et anxietudinis incapax, suus tamen illum amor identidem coëgit aliquam animi ægritudinem præ se ferre, unde ejus erga nos benevolentiam perspiceremus; argumentum siquidem amoris dolor est, quas proinde salutis Reparator nostræ in funere Lazari fudit lacrymas, certos habeto testes ejusdem in extinctum charitatis. Profecto si quem nobis alium (quod nefas est) fingeremus Deum, is utique animadvertens suam in vitia diffluxisse sobolem, mœrorem inde conceptum supprimeret, ne similis vide-

retur ei, quem pœnituisse sui operis [1] Scriptura prodit, illudque velut malefactum damnasse. Atenim si Deus noster nostros adversos casus non dolet, restat eumdem nec misericordem nec pium esse, quod cum nec cogitare fas sit, quidni tu Deo nostro confidas, qui ex nostra miseria dolorem suscepit, ex quo pretium æstimaremus amoris ejus in nos singularis ?

II. Scribit Apostolus : « Nolite contristare Spiritum sanc-» tum [2]; » (scilicet debuit minus graphice incedere, quo illi dediscerent claudicare.) Hic porro errantes interrogare libet quam forte putent Apostoli talia scribentis mentem fuisse. Quid ? Num in Spiritu sancto defectum suspicabatur, vel potius ea locutione uti maluit, quo monitum animis audientium infigeret ? Nisi enim talia admonitionis causa eum composuisse credamus, Spiritui sancto imbecillitatis notam inussisse videatur; natura siquidem, quæ perfecta non est, beata non est nec beata esse potest, quam mœstæ subinde perturbant et angunt curæ.

III. Quare move te ocius, et intelliges quid porro hic contendimus, utrum scilicet Spiritus sancti naturam exponere nobis scopus sit, an ejusdem in nos charitatem; nam si nobis propositum est ejus essentiam definire, hinc fortasse arguet quispiam eam nec esse integram nec tranquillam; sin potius mens est ejus pietatem ostendere, hanc profecto magnam et singularem esse inde maxime intelliges, quod honoris impensa sui nostrum augere voluerit; suam namque naturam sanctam, sempiternam, atque felicissimam de vitio non suo ipsemet accusavit tanquam tristitiæ mœrorisque capacem, cum certum sit eam nulli ægritudini perturbationique obnoxiam esse. Hominibus itaque dolori mortique subjectis talia scripsit divinus Spiritus, eos diserte monens ne ipsum contristarent, quo illis

[1] Gen. VI, 7. — [2] Eph. IV, 10.

insinuaret velle se ea, quæ ex arte composita sibi ipse accommodabat, illismet misericorditer refundere, ut, quibus ejus natura minime subest, affectionibus nos eruditi, vitia nostræ naturæ insita removeremus.

IV. Qui peccati errorisque nomen ignorat, Deus est, qui proinde reprehensioni non subest. Quantumvis altissimus ille superest omnibus, hunc amor ad infima trahit, et minimum facit : stulti autem homines, quia nobiscum nostris utitur verbis, nobis comparem esse Deum credunt, symbolaque et argumenta ad multiplicem profectum nostrum composita carpunt.

V. Alioquin quis mentis acumine præstet tanto, ut naturam sempiternam pervestigando assequatur? Quis regnorum regumque Dominum mensus est? Quis tanta pollet arte, ut immensæ magnitudinis fines attingat ejusque arcana comprehendat? Profecto si unquam illius vehementissimi Oceani freta pertentare ausis, brevibus mox impactus hærebis, aut undæ ad speciem placidæ, aspectuque jucundæ, suis te haustum vorticibus obruent : si qua ergo olim incessit cupido hujus explorandi maris, vadum te statim breve ac tranquillum excipiet, continuo tamen ad alterum trudet profundius et latius, hinc paulatim in altum provectus, toto te pelago obrutum ac sepultum sero animadvertes; sic est hujus natura maris, totum in toto est, sibique totum miscetur, et constat cohæretque nexu sempiterno. Inde fit, ut qui summa attigerit, continuo ad ima devolvatur.

VI. Cæterum si negotiator venisti, non explorator, et navigio instructus has subeas aquas, scias ei te commisisse salo, quod institores quidem erudit et implet sapientia, audaces contra ac protervos suffocat : mnamque tuam in centuplum auctam inde recipies; navis rectores et nautas ipsos pelagi fluctus habebis, teque omni copiarum ge-

nere auctum revehet, ac tandiu comitabitur usquedum ad finem portumque suum perduxerit.

SERMO CXXIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXII.

I. Suo Hebræi vitio idolomaniæ contraxere luem medicamentorum usu, quæ universalis Medicus ad eorum curationem composuerat : detestabile exemplum imitatus Marcion, provisa ægris valetudinis firmamenta in venena sibi convertit, unde suos exaggeraret morbos : quibus illi ulcera sua obligaverant fasciis, ipse se ulceravit, quæsivit a medicina plagas. Cum enim neutri medicamentorum compositionem discernerent, medicum Deum carpere ausi sunt, quod quidem nec impune tulerunt. Sinceram et sanam disciplinam in errorem Marcion conflavit, fictum inde metallum suo typo signavit, utendumque dedit parvulis mentita veri specie deceptis; sic tamen, ut nec turbulenter negotium aggrederetur, nec promoveret segniter; sic veteratorum more venenum candida manu propinabat : posteri paternum institutum amplexi, simili typo suos cudere nummos. Sed et amphiboliis sua involvit præcepta callidus auctor, ratus idiotas et simplices, hisce ambagibus velut mœnibus conclusos, tutius tenere se posse.

II. Fictas rerum imagines, fili, speculum repræsentat, pulchrum pulchris se offert, ægris ægrum, comedentis speciem præbet comedenti; hasce videlicet mutuatur, cum non habeat, formas; speculo itaque similem imaginare Numinis majestatem; huic porro cum illius populi

victimæ eatenus placerent, quatenus in offerentium profectum cedebant, omnibus argumentis se ad parvulos demisit, quo eos ad sublimia et summa proveheret.

III. Cum ergo speculum senectutem non susciperet, nec populus veritatem, aliunde sibi senectutem accersivit, quæ iniquos æquum et justum doceret : et quoniam regem, senem ac puerum communia vitia tenebant, Rex regum mutuatam formam sibi composuit, cœpitque sub assumpta venerandi senis specie commonere peccantes. Adeo illum, qui naturæ prærogativa sempiternus est et immutabilis, devexæ ætatis defectum præ se ferre non piguit. Scopus erat Filium et Dilectum suum quibusdam velut lineamentis describere, atque accommodata senis persona indicare Patrem se esse, et habere Filium, eumdemque filium Hominis futurum. Hic ille est, quem spectavit Daniel « Antiquo dierum [1] » assidentem, præviditque, dejectis solio mortalibus regibus, ea quæ Regem immortalem decebat amplitudine regnaturum.

IV. Etenim si unus duntaxat sedisset, sedes item una repræsentata fuisset; atqui Propheta non unam, sed plures sibi ostensas fuisse narrat, et indicat alterum « Antiquo dierum » subsellii honore parem, et natura Filium, quos autem mille millenos vidisse se Daniel scribit, ante subsellia stantes repræsentat; Filium autem Hominis stantem non dixit, quia servus non erat. Porro speculum omnes induit formas et omnes suscipit colores, nec ideo propriam figuram aut colorem mutat; vestibus amicitur, nec inde nuditatem, perinde ut nec claritatem aut pulchritudinem amittit; scilicet nudum nunquam est, cui præbet amictum propriæ naturæ decus, luce vestitur sua, « amictum lumine sicut vestimento [2] », illi Abscondito admodum simile.

[1] Dan. VII, 9. — [2] Psal. CIII, 2.

V. Quanquam nec absolutam majestatis imaginem speculum recte dices; vera namque veri Regis majestas supra omnem imaginem est : nemo illam exprimere sufficit, nisi qui ex ea existit, quia nec eam capit; si caperet, pares forent. Cum autem illa mortales aliquando invisere statuisset, laborantibus quippe succurrere volebat, Filium etiam suum ad terrigenarum loca demisit : summa permiscuit imis. Sic omnes formas amavit et induit Majestas; quod suum erat, homo neglexit; id erat, ut in posterum viveret et ejus beneficio uteretur. Ita plane factum est. Dilectum suum misit, qui pro ficta membrorum imagine quam Pater sibi composuerat, vera ipse membra indueret; cum humana proinde natura commixtus est, ut hac ipsa commixtione vitam mortali naturæ nostræ largiretur.

VI. Sanctæ contemptores fidei, seducti et incautos seducere assueti, nuntiato Divinitatis in terras adventu, in eam audacissime invecti sunt, arbitrati vocabulis per quamdam attributionem ei accommodatis similes esse ejusdem actus. Id porro animadvertens ipsa Divinitas, necnon illorum aures sacris Prophetarum vocibus fuisse perturbatas, speculum eisdem proposuit, ut aures oculi corrigerent. Et quoniam videbat speculum omnia omnibus fieri, statuit sub persona pueri puerum accedere, hujusque imaginem sibi componere atque suis cum ipso moribus agere, ratus hac arte, resectis vitiis, ejus formam ad pristinum decorem reductum iri. Ita plane majestas pro sua benignitate ad populum adhuc impuberem olim descendit, puerique sibi accommodata specie, puerum deformem reformare instituit. Simili post consilio hominem jam adultum suamet sub effigie invisit; illi ipsius imaginem exhibuit, ut amissam venustatem et pulchritudinem redderet. Sic Christi Evangelium beatorum Apostolorum ac Discipulorum mentibus ante impressum, nos inde præceptis ad perfectæ consum-

matæque virtutis fastigium perducentibus imbuit, et nostrum interiorem hominem absolvit et ornavit.

VII. Factum sane mirabile nostris incidit oculis, ut Christi verbum, juxta finem sibi propositum, hominibus sanæ mentis inseruerit veram illius majestatis notionem, quam inepti quidam et fatui sibi finxerant diminutam. Intelleximus nimirum eam nostri causa seipsam sponte minorem fecisse, cum talem se exhibuit, et majorem, cum talis videri voluit : ac tametsi immutata, sibi semper eadem constet, omnes tamen induisse pro sua benignitate formas. Sempiternæ siquidem et immutabilis naturæ substantia incrementum aut detrimentum non suscipit; nec enim currui, puta, similis est, ut loca subinde mutet aut figuram mutare possit. Unus ille est, qui defectum non patitur et profectum excludit : totus ubique est, non effluit extrorsum, nec introrsum refluit; quonam enim se pandat explicetve, aut se contrahat et cogat?

VIII. Porro voluntas ipsa naturæ sempiternæ propria sibi utique contraria non est, neque inimica esse potest, ut suam essentiam infesta obsideat, et suam oppugnet majestatem, victamque mutet; nec essentia sempiterna naturam suam atque voluntatem commisit, cum ei una sit in una subsistente natura voluntas, nec diminutionem, neque augmentum admittat.

IX. Cæterum si hoc, quale videmus speculum sibi relictum, idem immutatum perseverat, et nobis objectum continuo variat, propriamque imaginem in omnes humani corporis vultus transmutat, figuræ tamen quas induit ei externæ sunt, perinde ut nostræ imagines eidem intimæ non sunt; nobis quippe nostram effigiem dum offert, quod est, idem persistit. In aspectabili speculo se quoque expressit, qui sub aspectum non cadit; quamobrem spectavimus eum, nec tamen spectavimus; assimulavimus eum; nec

tamen assimulavimus : non potuit speculum imaginem naturæ absconditæ repræsentare ; res præsentes et sensibus obvias exprimere non sufficit; quomodo imitetur objectum a nobis abstractum atque remotissimum ?

SERMO CXXIV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXIII.

I. Beneficium oderunt amentes, rejiciunt; quod scriptum est : « Excitatus est tanquam dormiens Deus [1] : » quod somnus oppressit insomnem, hoc ipso docente, interpretamur hominum saluti dormire Deum, eorum peccatis offensum, sed et Dominum in navicula dormiisse Scriptura refert ; dormiit certe, ut illum excitarent orantes, iidemque intelligerent periclitantibus fusas ad Deum preces certam esse salutis viam.

II. Cæterum si nostrum ideo odere Opificem, quod ad omnes se demisit modos, ut per omnes ubique rationes saluti nostræ prospiceret, ipsum odisse debuissent Unigenitum; et oderunt plane tanquam seductorem ac mentium perturbatorem, et quidem per omnem modum; comprehenderunt enim, necarunt humique defoderunt. Et si hæc improbi improbe dissimulant, suam aperte produnt vecordiam, dum de illo detrectant, qui omnem laborem pro salute humani generis exhausit, adeo ut nil intentatum reliquerit, nullam non adhibuerit medicinam, ne vel ipse sibi objiceret oblata quidem alia fuisse remedia, hæc tamen ab ipso dissimulata fuisse atque suppressa.

[1] Ps. LXXVII, 65.

III. Peccati nos accusantis objecta, quominus clementiæ suæ nobis præberet auxilia, contempsit; parvipendit omnem reprehensionem, modo ne sua ipsum argueret æquitas : docuit suam nunquam cessasse potestatem, quatenus laborantibus succurreret, neque charitatem nostræ invidisse gloriæ, aut obtrectatorum cavillos pertimuisse, quominus nobis se ubique præsentem et clementem impertiretur. Et vero si qua via data fuisset opis ferendæ, et hanc ille præteriisset, id factum oportet, vel quia infirmus non potuit, vel quia invidus noluit, vel timidus ausus non est, vel otiosus neglexit; quisquis enim supplici pereunti auxilium negavit, hunc vel deseruere vires, vel continuit metus, vel ussit invidia, vel torpor oppressit, quæ omnia cum omnes a natura immutabili esse remotissima scirent, ideo nec veritus est personam factum suum dolentis damnantisque induere, ideo non puduit simulare zelotypum, nec erubuit dici soporatum aut victimarum depostulatorem; sic nihil ab eo prætermissum est, quod in favorem libertatis eligentium quod vellent, non exequeretur, quatenus ipse suam bonitatem declararet, et suam accusator stultitiam occultare non posset.

IV. Et hæc quidem utilitati prospiciens nostræ, ductis velut lineamentis in figuris expresserat; eadem postea opere perfecit ad ferendam miseris opem, quando misit Dilectum suum. Natus ille, illusus et suspensus est, ne sua ipsum justitia compellaret potuisse illum nascendo sanare, et non sanasse; neve ipsum benignitas accusaret potuisse illum, in cruce moriendo, vitam dare, et non dedisse. Colaphis genas suas obtulit Unigenitus; si quis accusat quod ad verbera se dejecerit, Justus prævertet injustum actorem : Pro te, dicet, talia passus sum, ut honoris causa tibi fieret ignominia mea. Etenimvero cum pro ipsis qui eum damnant, quod natus, quod mortuus fuerit, et nasci atque

mori sustinuerit, quonam deinceps importuni se vertant accusatores, præsente Judice, et crimen in ipsos retorquente criminatores?

V. Quisquis enim majestatem carpit, quod propriæ amplitudini detraxerit, audiet vicissim refellentem se eo ad minima descendisse, quo ipsum ad maxima proveheret, et si quis illi submissionem vitii loco objiciat, ille contra referet ad eam contemptionem se venisse, quo ipsum cohonestaret. Cæterum si Dominum tuum nullo notabilem vitio sugillas, aut aperte vituperas, qua jam ratione tuam deinceps habebis tueri causam, si quem arguis reum, in te objectum sibi crimen retorserit, quod videlicet ob suum in te amorem ad hæc ipsa quæ reprehendis se demiserit; magni siquidem criminis reus teneris, quod contractis vitio tuo morbis majestatem adegeris tam multiplici medicamentorum apparatu tua culpa amissam valetudinem tibi repræsentare; quo enim parvulum te fecisti, illa nutricem se fecit, uberaque lactenti præbuit; quo item aspexit carnem tuam multo cœno turpatam, fontem se tibi præstitit ubi contractas sordes elueres. Aude modo illimem scatebram vituperare, quæ cum limpida flueret, tu tua illam illuvie sordidasti.

VI. Sed age: quis tabidus medicum unquam horruit mundissimum, ipsius ulcera tractantem? hunc nimirum sua ægri sanie usquequaque illitum intuentes abominati sunt. Impii ingrati hiantia vulnera attrectantem et curantem fastidivere; impuri scilicet homines ejus nitorem suorum ulcerum sanie taboque coopertum exhorruerunt: cumque Medicum augustissimum ad ea quæ dixi obsequia se demittentem omni grati animi significatione accipere debuissent, cumque jure communi tenerentur corporum suorum sanie turpatas manus deosculari, hunc ipsum medicamenta vulnerum cruore sordida admoventem repulere, cuique

nullæ pares fuissent gratiæ, huic criminationes et probra retulerunt.

SERMO CXXV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXIV.

I. Cum summa teneret Dominus noster, in terram ex altissimo domicilio se depressit, unde nos ad seipsum proveheret. Quanquam talis erat terrestris naturæ conditio, ut Dei ad eam descensus omnem spem expectationemque superaret; nam cum maledicorum linguas nulla cohiberent frena, statim homines procacissimi effutire cœperunt quidquid furor obtrusit. Rejecissemus utique tanquam peregrinum et extraneum, si in eo quo vestitur lumine se nobis præsentasset; sprevimus, quia nostram induit imaginem, nobisque similis apparuit. Adeo nos in illo nec sua ut sua intelleximus, nec nostra ut nostra.

II. Noverat pius Dominus quam difficilia forent ista duo; nam imprimis si propriæ naturæ speciem nobis objecisset, offecisset utique divini vultus fulgor insuetis; si autem nobis nostram formam exhibuisset, indubitabile erat improbos spectatores multiplicem obtrectandi garriendique occasionem inde arrepturos. Amor vicit induxitque amantem ut nostram assumeret imaginem, unde beneficus imber super omnes universim mortales funderetur; ea tamen irrigatione reviruit lolium, protulitque messem in centuplum auctam.

III. Interim desinat ille Peregrinus suos castigare domesticos, ne forte suis alumnis ab illo Justo severitatem

hausisse videatur; familiæque suæ fœminis impudicitiæ frena laxabit, unde benignitatis et clementiæ sibi famam conciliet; hanc quippe ejus laudum buccinatores deprædicant. Hæc tamen Pastoris erga suas oves indulgentia ipsis magnopere officit : pro lupis dimicat Rector gregis, qui severitatis virgam deposuit. Censes-ne Bonum malo et Satanæ esse inimicum? Et si quidem talis est, justitiam amat; sin autem utrique benevolus est, vel hinc odio habendus est, quod nec malum nec diabolum odit.

IV. Rursus si quod per jus et legem licet discernit ab eo, quod per neutrum fas est, habeo hunc velut purgatorium ignem : iterum si zizania a tritico separat, hunc ego esse dicam quem Joannes laudavit. Si malum et diabolum odit, odium agnosco justum, inimicum nempe odit, et si amicum diligit, honestam et laudabilem judico esse amicitiam : et si pœnitentes minime repellit, benignus est; et fortis est, si reprimit contumaces. Atqui si in Deo nostro ista laudantur, consequens est eadem in illo peregrino et extraneo Deo desiderari. Planum est ingenuam Deo inesse puritatem : hanc neutri deesse ais-ne? Adeo ut cum affirmes Deum Conditorem extollere veritatem, hanc perinde Deo externo caram esse reponas : si hoc astruis, ambo ergo sanctos et sapientes esse oportet. Porro si hæc utrique communia sunt, quomodo dissident et discordant?

V. Non potest divina natura nisi in assumpta specie minui et descendere. Vides-ne, fili, ut, quem illi extraneum et peregrinum appellant, appetierit nostras imagines sibique accommodaverit; non ergo externus et advena dici potest; cogunt namque ejusmodi assimilationes credere ipsum esse unius ab uno et per unum. Cum ille Ignotus habeat filium, Davidis Patrem inducit talia loquentem : « Filius meus » es tu, et ego genui te [1] »; et cum ejus domicilium altissi-

[1] Ps. II, 7.

mum sit, de ipso loquitur Moses: « Cœlum sedes ejus [1] »; et quia famulos habet, ipse est « cui assistunt millia millium [2] », et eo quo justus est judicat omnia, et eo quo bonus est omnia pascit.

VI. Turpem coluisse Deum magnopere puduit impudentes, mutarunt nomen, peregrinum, extraneum et ignotum appellarunt, qui verius latro dicendus fuisset; quanquam etiam latro domino rei ablatæ valde extraneus est. Qui hostes sibi servos facit, fortis est; plagiarius, qui alienum servum furatur, blanditur versutaque vultus hilaritate amicus apparet; cum ceperit, inimicus est, captum in vincula conjicit. Cogita venatores, deinde fures, utrique suum negotium fronte occultant; cum autem quod agitabant confecerint, statim liquet blanditias assumptas fuisse in virium supplementum: simulat plagiarius se libertatis vindicem servo non suo; sed quem vana libertatis umbra fefellit, mox sub jugum mittit; ea enim quæ ante simulata est charitas, nocendi cupido fuit; ea autem quam in fine exerit truculentiam et in captum exercet, peregrinum arguit fuisse furem; furanti connivet quo habeat nocentem, mox prætendit justitiam quo reposcat ad pœnam.

VII. Simili arte damnat impudicum, qui mulierem aspexit et concupivit, et hunc in corde fuisse mœchatum definit; recte quidem, nisi ante provocasset ad vitium et stupra laudasset; sic callidus nos versat, quibus ante impudicitiæ habenas laxavit, indulsitque mœchiam et furtum; mox vicissim definitos a justitia terminos opponit; nec enim quas furatus est opes sine fuco justitiæ ordinare potuisset; res quippe omnes si a justitia deserantur, perturbato ordine dilabuntur. Virga disciplinæ fures cohibet, mœchos judicum securis absterret; et si absit vindex justitia, bonitas non est, quæ multiplicat delicta; vel ipse ille Pere-

[1] Deut. IV, 39. — [2] Dan. VII, 10.

grinus raptum gregem præceptis a justitia petitis gubernat. Si qui parentes conviciis et maledictis incessunt, illos ad tantum nefas ipse provocavit, ut tamen majores a minoribus observandos esse moneret.

VIII. Conditorem proscindere ejusdem cultores docuit, rursus ad eum laudandum impulit. Rebelles nos fecit, iterum mandatorum ejus jugo submisit: ab illo discimus Deo nostro omnia negare, a quo docemur omnes nostros proventus offerre. Animadvertis-ne ut ex æquo et justo dispensat quæ contra fas jusque diripuit : justitiam ergo solvit, et justitiam statuit : cavet ne Conditorem deseramus, suadet ut ejuremus. At enim jus, quo secum agit, idem illum condemnat; nam si justum est extraneum honorari a filiis in proprium parentem iniquis et infestis, quam oppido justius et laudabilius est eosdem Patri deferre et parere?

SERMO CXXVI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXV.

I. Si mundum peregrinus alit Deus, tria tibi expedienda sunt : primum, utrum ille suo se alumno totum transmittat, vel partem sui. Totum autem suo demigrasse loco absurdum est, perinde ut impium est dicere fuisse divisum; nam si se totum in nos trajecit, aut dimidium sui, et vilis est, et integer non est. Præterquam quod si ille se totum in nos transfudit, locus unde decessit vacavit; et si qua pars ejus defluxit, utique plenus non est : quantulacumque particula ex ejus plenitudine effluxerit, vacuum sequi necesse est, et sine otio solitudinem. Solis hujus as-

pectabilis contemplare globum, observa vehementissimam in capite fervere luminis vim; at, ubi explicare se cœperit, continuo senescit et languet; ipse calor et splendor ignis per momenta decrescit et deficit, quanto plus minui necesse est radium, qui ex distantissimo loco ad nos porrigitur. Sin autem fingas Advenam illum tuum habere modum, quo se totum velut de vase in vas ejiciat, id nimirum absurdissimum est; erit ergo majus illo, in quod trajicitur vas. Restat itaque ut idem utrumque locum impleat, et intermedia spatia etiam occupet, unde planum fiat unum esse Optimum Maximum, qui reliquis universim intersit et supersit, atque commentitias istas divisiones mera errantium esse nugamenta.

II. Quoniam vero huc illos vis dialectica adegit, vicissim concedit eis charitas, ut quam velint partem eligant, ut vel fateantur suum Advenam, si latro non est, ipsum esse hæredem, aut certe discipulum; et quidem si Conditoris filius non est, discipuli locum ipse sibi deliget; si negant utrumque, ergo quem advenam, peregrinum et extraneum vocant, latro est, furtum meditatur. Creatoris autem eum esse alumnum deprehenditur, ex eo quod illum ubique respectat et imitatur. Ideo quippe Ecclesiæ, quam sibi despondit, zelotypum se esse significat et vindicem futurum: plura item pollicitus est præmia, quo suam proderet bonitatem; et gravia comminatus est supplicia, quo suam justitiam ostenderet. Omnia proinde vitia quæ errantes ei affingunt, verius ipsi sibi imprudentes allinunt, antiquo illi Giezio simillimi.

III. Pestis es, Satana; quisnam tecum æquis certet viribus? Sed ignis certe tuas artes vanas fuisse monstrabit. Diabolus errantes docuit cœlestium perturbare ordinem. Si conditor rerum Deus nostras aliquando induit imagines, assimilationem ejusmodi in proprietatem transcripserunt;

sique Dominus humanam tandem assumpsit naturam, hanc in phantasma mutarunt. Sic olim diabolus Hebræorum versabat mentes : cum enim Moses alta voce clamaret : « Unum esse ipsorum Deum[1], » continuo huic conflatum vitulum sociarunt ; postquam autem Unigenitus apparuit, velut gravi expergefacti sopore, quod alias abjecerant, dogma certatim resumpserunt, Domino objicientes : « Unum » esse Deum ; » scilicet ut veritatem solverent, unum confessi sunt, qui cum is verissime prædicaretur unus, ei plures impie adjunxerunt deos.

IV. Hujus disciplinæ alumni errantes commenti sunt peregrinum quemdam deum bonitatis fautorem contra scelerum vindicem mundi Conditorem ; incassum tamen ; quo enim ejus amplitudinem obtrectando obscurare contendunt, eo nitet illa clarior, dum ab eis pessime acceptus ipsis benefacere non cessat. Sic res habet : unde bonum esse negant, inde beneficentiam ejus prædicant, ut qui suos alit suggillatores. Profecto nisi sanctæ fidei desertores mens simul et ratio deseruissent, disquirerent utique, quis tandem dicendus sit bonus, indeque intelligerent neminem Deo nostro esse meliorem, qui bonitatem suam erga suos etiam accusatores exercet. Ecce autem Peregrinum illum quotidie laudant, tametsi nec rorem nec pluviam ipsis unquam impertiat ; Justum vicissim vituperant, qui cum severus scelerum vindex sit, mirifice beneficum illis se præbet, ipsorumque agros suis irrorat aquis.

V. An fortasse accusandi non sunt tanquam in benefactorem iniqui, idcirco quod ejus fecit amor, ut ab ipso discederent ? Discesserunt autem eodem tempore, quo fores beneficentiæ suæ sui Dilecti adventu patefecit. Mox decrevere profluentes, quas Prophetarum opera ad eos derivarat : quid tamen illis eo detractum est, quando pro siccatis

[1] Deut. vi, 4

Prophetarum fontibus Unigenitus ipsis mare refudit? Num culpa non fuit ei vindicis justitiæ gloriam auferre, ideo quia suam in eos auxit liberalitatem, eoque perduxit, ut a Deo aliena et peregrina videretur? Etenim cum ab illis injuriam acciperet, gratiam ipsis referebat; simul nobis describebat exemplar, unde duo intelligeremus, et hujusmodi beneficentiam Dei proprium esse morem, et Deum, qui illatas injurias ea cum lenitate tolerabat, eum ipsum esse qui in cruce suos erga tortores mansuetudine ipsa mitior fuit.

VI. Et vero si cum injuriam acciperet, retulisset, de sua etiam justitia laudandus fuisset; attamen reprehensibilis videri potuisset injuste quidem, justissime tamen imperitorum judicio : nunc autem pudefacti accusatores obmutuerunt; quandoquidem si eos torquet, tamen ipsi publicarunt immitem ac truculentum ; ipsorum ergo sententiæ subscribit; congeminat autem ruborem cogitantibus ejus beneficentiam in ipsiusmet benefactoris accusatores incidisse.

SERMO CXXVII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXVI.

I. Adesto, fili, contemplare Deum constitutum actores inter duos; hinc a nobis, inde a semet ipse premitur. Accusant homines quod humilem nec sua majestate dignum locum pro ipsorum quos condiderat salute delegerit. Vicissim si homini lapso opem negasset, ipse sibi Justus conquestus fuisset, qui levis vulgi obtrectationes veritus gregi

suo laboranti minime subvenisset. Cogita modo utra reprehensio futura fuisset, te judice, gravior homini cætera probo, illam-ne quam ab improbo quopiam audire contingeret, aut aliam qua, nullo comparente actore, reum ipse semet argueret.

II. Et vero quid id est tandem si scelestus quispiam bonum virum reprehendat? Si quod inde malum, totum reprehensori cedit, illo videlicet, quod reprehendit, carere bono : longe iniquior est nocentis conditio, quem propria arguit conscientia ; sua quippe reum testis præsens revincit premitque culpa. Hodie quoque incidunt opera oppido quam utilia, vallata tamen invidorum obtrectationibus, dicteriis et calumniis. Num hæc pertimescenda homini magnanimo quin vallum perrumpat, et objectos aggeres supergressus, arcem expugnet? Quem enim vulgi vituperationes et dicta morantur, ne quod occurrit bonum factum aggrediatur, etiamsi a nemine arguatur, suusmet animus accusat.

III. Enimvero cum viro probo improbi detrahunt, encomia texunt, ut istud lateat imprudentes; tunc detraherent si illorum laus sapienti cuique fugienda placeret. Laus peccatoris auctori suo similis est, vilis et despicienda, qualis ipse ; laus iniqui etiam iniqua est, nec auribus justitiæ melius sonat quam ipsum convicium. Cui ob naturæ suæ excellentiam nihil accedit, decedit nihil, laudes non ambiit, et obtrectationes contempsit, omnes induit formas, omnes per occasiones se ad minora demisit, et omnes quos condidit suis juvit auxiliis.

IV. Næ ille si quam pertimuisset diminutionem, neque se parvum fecisset, tunc enimvero parvus esset; quo pusillum se exhibuit, magnus est, et augustior apparuit. Planum est divinam naturam nec detrimento neque augmento obnoxiam esse, voluntate tamen minuitur et augetur ; quod

ergo illa rejicit, ista suscipit; illa incassum ab impiis impetitur, nec enim a suo statu discedit; ista injuriis etiam amplificatur et assurgit, nihil tamen inde Deo accedit, decedit nihil.

V. Quod nobis Scriptura loquitur, idem et sectariis regerit : Filium Dei factum Deo hostiam in odorem suavitatis. Quonam jam colore illum accusant, qui victimas depostulavit? vicissim laudant, qui ejusmodi sacra rejecit, addixitque sibi sui Filii immolationem? Nec attendunt Testamentum, cujus abrogantur victimæ, totum in Christo fuisse descriptum : ambo fœdera a sectariis rejecta sunt; alterum quippe alteri impressum et insertum est; vetus namque Testamentum figura fuit et forma præstruenda fœderi, quod erat mansurum, stabile, nunquam interiturum, et semper observandum ; et hoc Novum dicimus velut superfusum figuris alterius Testamenti, quas etiam consummavit et solvit.

VI. Cæterum si hoc dictum non probant, et factum revera Dominum victimam negant, veritatem ergo aliena specie velavit; atqui si hujusmodi assimulationes laudant, cogitent omnes quas sibi Conditor ascivit formas, meras fuisse figuras. Quid ergo habent, unde sibi erubescendus ille videatur? Alioquin si identidem ascitas a Creatore formas refutant, similibus assimilationibus Peregrino attributis inepte subscribunt. Quid id est, aiunt, quod Altissimus factum sum dolet et damnat? nempe nullam in hoc sermone interesse putarunt verborum inversionem, sed quod in oratione positum est id nimirum esse tenendum. Vicissim mox legentes Dominum nostrum fuisse timore affectum et latebras quæsiisse, rerum gestarum veritati interpretationes obtenderunt, qua in re proprium invidorum produnt ingenium tortuosum et versipelle, dum versant utrumque, et alterum quidem damnant, alterum defendunt;

nostri Conditoris figuras vituperant, res Peregrini interpretationibus invertunt.

VII. Porro si absurda sibi persuadere potuerunt, duci ad probandum quod probabile est quam facile foret! nisi nimis difficile esset protervis, ab errore ad rectam redire. Dominus vere mortuus est et revixit, ejus tamen mortem umbram fuisse et merum phantasma credunt. Vicissim, quam in figuris Conditor assimilavit diminutionem, ad veritatem fuisse sibi persuaserunt. Dominum, qui membra induit et vestes gestavit, fictas exhibuisse rerum imagines nugantur. Antiqui dierum canitiem talem esse censuerunt, qualis spectata est, senescentis nempe naturæ defectum; spiritalem fecere corporeum, corporeum fecere fictitium. Scilicet tunc sibi quiescendum statuerunt, si religionis statum ubique perturbassent. Dominum, qui vere manducavit et bibit, manducasse et non manducasse, bibisse et non bibisse dixerunt. Calumniantur Conditorem, ut qui crematarum hostiarum nidore delectatus dicatur, cum id simplicem ejus erga offerentes favorem significet, et ex similitudine et quadam analogia Deo attributum fuisse constet. Nunc versa vice illum, qui vere manducavit, manducasse negant; veritatem ubique oppugnant, ut nullam esse persuadeant. Rursus cum scriptum sit Dominum « egenum factum fuisse[1], » et ab hospitibus ex pia commiseratione receptum, conati sunt in alios sensus torquere, ut contrarium inde elicerent nullatenus videlicet egentem fuisse sed simulasse, quo nobis modos indicaret comparandi victum, quaqua pateret via. Atqui veritas quidem illorum mentibus insita est, hanc tamen velut humus satam sementem maligne tegunt. Scopus est, ut quandoquidem de Domino nostro multa absurda et absona vulgo persuaserunt, similia de Deo nostro credantur.

[1] 2 Cor. VIII, 9.

SERMO CXXVIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXVII.

I. Si quidquid est hoc, quod sumus, non tu nobis contulisses, quid nobis Peregrinus profuisset? Qui hoc ipsum, quod simus, impertiri non posset, nulla per illum spes vitæ fuisset; cui, quidquid vellet, peragere non licuit, perinde nec modo quidpiam ab eo sperandum foret. Alius profecto est ille Deus incœptor perfectorque rerum; hic nimirum ad spem magnam nos rapit, et certa honorum amplissimorum expectatione sustentat, quandoquidem cum bonus sit, rerum omne creat genus alitque; cum justus sit, coërcet et gubernat; cum Dominus sit, multa donat. Quin ergo illum laudamus, qui etiam, mercede pacta, eo liberam voluntatem nostram ducit, unde egenti succurrat?

II. Nego esse natura Deum quem negas esse Creatorem: qualis idem sit, ejus testatur infirmitas; etenim si potuit et non fecit, invidus fuit; est ergo malus, si potuit; si non potuit, imbecillus. Jam si malus est, ipsum fugere debemus; sique imbecillus est, præstigiæ fuerunt et fallaciæ quæcumque donat. Quam ab isto diversus est Deus, qui nos fecit! Nimirum ut vera sunt quæ nobis de se credenda proposuit, sic ficta esse non possunt quæ ipsum assimilant munera et dona sua. Tu modo ejus testare gratiam, qui, dum tres, quas dixi, personas repræsentat, nos suis ubique beneficiis multipliciter exornat.

III. Callide enimvero et malitiose sectarii Peregrini operam ab opificio mundi exclusere, quo limitarent potestatem. Etenim si unus est artifex, sequitur omne quod

exædificatum et constitutum est hujus unius imperio jurique subesse. At at dicant dum cujusnam is fuerit Filius, qui lutum subegit, indeque homini cæco oculos formavit, nobisque protoplasten Adæ repræsentavit? Quin ego te verius cœcum esse dicam, qui non cernas Filium, dum format dissimulata sabbati lege lutum, idem facere, quod Pater ejus omnibus sabbatis, pluvia cadente, facit. Merito vel hinc te Filium Conditoris magis admiremur, qui plastis nostri specimen in eo signo exhibuisti.

IV. Qui sinceram ejuravere fidem propriique capitis figmenta loquuntur, evidentia rerum testata veritas refellit. Si Peregrinus, aiunt, sibi proposuit nihil omnino creare, moliri nihil, cum cæteroqui potestate præditus sit quodcumque libuisset constituendi et condendi, cur eam potentiam ad paucos contraxit? Cur suam beneficentiam cohibuit, ne longe lateque excurreret, et aliquid de nihilo crearet? Hæc illi : nos contra laudare debemus Optimum, qui suum erga homines amorem in mundi opificio magnifice declaravit.

V. Instant adhuc, et causam rogant cur Peregrinus statuerit nihil facere de nihilo. Id quippe cum ratione minime congruebat; nec enim æquo et justo convenire potuit beneficentiæ fontes obturare, et plures prohibere mundos quominus in lucem prodirent ejusque usura fruerentur. Iterum in eumdem insurgunt, ut qui nec omnibus suam approbaverit beneficentiam, cum hanc plurimis negaverit. Venit, clamant, et illis quidem, qui sui certe non erant, dona muneraque attulit amplissima, nulla suis. Nos tamen non morantur ista quin optimi Pastoris fateamur erga greges suos charitatem per Unigenitum suum magnis videlicet beneficiis testatam.

VI. Quid nunc agitatis, sectæ furentis alumni, calumniarum artifices, magistri erroris, ecclesiastæ fidei sinceræ

depravatores? Vos, qui veluti rabie quadam acti, huc atque illuc rapimini extra viam, rerumque Dominum et Constitutorem maligne incessitis : si forte legio dæmonum vobis abstulit mentem, habetis in sua Ecclesia Liberatorem; eo accedite; modeste tamen percontamini cujusnam ille sit filius. Si opera ejus attenditis, summi Opificis filius est; Creatoris, si ejus consilium et numen, quo omnia disponit ac temperat. Jesu, sana, precor, furentes; lutum sunt, in suum plasten insurgunt.

VII. Arefactas manus restituit, cum sit magni Architecti filius; cumque sit filius Conditoris, obturatas aures aperuit; alimenta præstitit, quia Provisoris est filius; et quia filius est pii Patris, peccata remisit; statuit pœnas, quia filius est Judicis; cum sit filius Præpotentis, mare compescuit; increpuitque dæmonum contumaciam oraque clausit, cum sit Fortissimi filius; tanquam rerum Dominus Prophetas inhibuit et Apostolos vocavit, ea quam utrisque definierat tempestate. Hinc mirare Unigenitum, qui per omnia Genitorem assimilat, cujus figuras, confictis allegoriis, obscuravere sectarii.

VIII. Hoc ipsum, quod nos, Domine, creasti, est causa bonorum; et quod nos alis et educas, beneficiorum origo est; et quod nos castigas, rudimentum est disciplinæ; et quod nos ab interitu revocandos promittis, sempiternæ vitæ pignus est. Cujus nutu hæc omnia cœpta ratoque tempore perficienda sunt, hujus creaturæ nullatenus indigent Peregrino, qui nullus est, cum idem aliena non indigus ope, ipse per se sufficiat laborantibus subvenire. Ejus beneficentiam hinc agnoscito, qui cum ipse perfectissimus sit, quos suos habere voluit, imperfectos relinquere nec consequens, nec decorum esse judicavit.

IX. Quid quod et ipsam justitiam, si quidem a misericordia disjunxeris, imperfectam fecisti, quemadmodum mi-

sericordiam ipsam justitia vicissim intendit et consummat? Adversarios provoco ad illius Peregrini scripturas; in ipsis quippe quos legunt codicibus dicta modo vocabula occurrunt, maxima seu spei seu timoris incitamenta; inde fateri coguntur unum esse bonum, eumdemque justum scelerum vindicem. Tua, Domine, bonitas, et huic conjuncta vindicatrix justitia perfectissimæ naturæ tuæ pulchritudinem componunt et repræsentant.

X. Memento mei, Domine, te pronus et supplex adoro; nam etsi quæ sensus oblectabant meos, mentem simul rapuerunt, hanc tamen nunquam pertraxerunt ad arcanorum tuorum pervestigationem. Et quamvis multa mihi inconcessa ausus fuerim, ne te tamen perscrutarer abstinui: peccator sum, impius esse nolim. Tu autem quid mihi supra impios dabis, si ut illos sic me perire sinas? Quo tua in tuis dictis fides fictos ad fallendum sermones superat, eo tuam, oro, erga me liberalitatem intende, Domine, vitæ præsidium meæ. Te idcirco laudare justum est de me tantopere benemerentem; mea siquidem in te fides mihi quem duco spiritum impertit.

SERMO CXXIX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXVIII.

I. Dic dum hoc: quæ Peregrinum impulit causa, ut suam in terris moram concluderet intra modici temporis angustias, neve operam suam plures ad ægros extenderet? Quid hoc est, quod hodie domos nostras crebri infestant morbi, nullam tamen ille laborantibus admovet medici-

nam? Præterea si penes justum est summa et ratio temporum, cur Bono horum notitiam occultavit? Quid? num improvisus causarum concursus illum mutavit aut variavit ejus beneficentiæ sapor? Postremum, quid id fuit, quod suum tandiu protelavit adventum, atque visus in terris, brevem post moram nostris sese oculis subtraxit? Nego nostra ab illo curari, qui nobis nulla bona facit; aio esse Peregrinum, qui suam nobis præsentiam nullo signo declarat. Hactenus adversarii: nil recte: sapienter namque suum ille sustinuit accessum, dum Prophetæ suum complerent ministerium: ascendit tandem in cœlum ac tacuit, ut ejus Apostoli loquerentur, et ad fidem conversus orbis hunc esse Creatoris Filium testaretur.

II. Alioquin quæ alia fuisset utrique tacendi causa, sive Creatori, sive Peregrino? Nisi quod ipsum causæ caput per testes nostris oculis subjectos comprobandum censebant. At at, si verum est, quod isti aiunt, Creatorem a Peregrino dissidere, falsum esse oportet Prophetas cum Creatore convenisse, et Apostolos a Peregrino minime dissentire; Creatorem autem a Peregrino alienum non esse testatur sanctum ratumque fœdus amoris mutui, et quod dixi amborum silentium nos ad veritatem persuadet unam eamdem ipsam utriusque voluntatem esse ac potentiam. Mundum contuere, divinas evolvito Scripturas, utrinque cognosces unum esse rerum Moderatorem. Naturam percontare, illius bonitatem aperte testatur; sacros codices consulito, illius justitiam ubique deprædicant. Ficulneam siccavit, quo Judæorum vitis reviivisceret; demersit porcos, quo periclitantem populum naufragio eriperet: qui Pharaonem ægyptii maris fluctibus olim suffocarat, idem ipse legionem dæmonum istis oppressit aquis. Cæterum etsi Justo licuit subjectas sibi creaturas, alias humi relinquere, et alias sublime ferre, Peregrinum tamen hominum serva-

torem neutiquam decebat horum alios diligere et alios odisse.

III. Sed quid istud? Domini de cruce pendentis vestibus tortores parcunt, (tunicam certe scindere ausi non sunt,) isti contra rectæ fidei desertores in ejus acta infesto stylo involant : alia truncant, alia penitus abradunt, reliqua intersertis additamentis depravant. Scilicet nec alius latronum mos est : Domini nota signatas oves amico vultu fraudulenter seducunt, palantes mox abigunt : si tamen obtingat Pastori pecoris sui notam alicubi impressam reperire, vel si in extrema raptæ ovis auricula, inde totum reposcit gregem : sæpe manubias tenuis ex arca afflatus odor prodidit : nec secus hic res habet : quæ nempe supersunt fragmenta libri, reliquas ejusdem pericopes repetunt, et maculæ, quas verborum lituræ in codice reliquerunt, apostatarum fraudem coarguunt. Quæcumque boni parentis filio justitiam asserebant decusserunt; nec enim totum volumen perdere volebant, ne divina penitus ipsis Scriptura periret, quod utique illis evenire necesse erat, si incœpta persequi obstinassent. Filii namque justitiam omnes divinæ Scripturæ textus loquuntur; alios itaque sustulerunt, reliquerunt alios; hinc deprehensa fraus est verbis quæ remanserant deletas periochas reposcentibus.

IV. Cæterum quo Filio justitiam adimere mali servi nituntur, satis ostendunt suum in eum odium : aversantur nimirum improbi vernæ herum justum, qui domesticos suos ob eam qua eminet charitatem, peccantes emendare consuevit. Victores pugiles Judicem desiderant, fugiunt ignavi. Papæ, quantum hallucinantur qui bonum appellant eum, cujus sententia ad vindicem justitiam jam pridem rejecti sunt, meritis suppliciis mactandi ! Stultus quisque perire malit quam ab eo quod appetit avelli ; in-

vadit verbera, modo liceat qua captus est voluptate frui. Sectarii qui etiam crucem prædicant, quibus sua exercent corpora pœnis, ostendunt gravius onus esse nobis a Peregrino impositum quam quod Effector olim injunxit.

V. Et vero sive voluptatibus illi se dedant, quo suadeant Peregrini sarcinam esse leviorem, sive voluntariis suppliciis se crucient, utrobique Justum commendant. Sed quid est, quod dum ipsimet se verberant, ipsimet se jejuniis macerant, adhuc illam dexteram accusant, quæ gregem suum, quem diligit, etiam castigat? Justum sugillant, quasi vero dolore fruatur nostro; scilicet argumenta componunt, unde vituperent: vicissim Filium insimulant, quod nuptias etiam probet, ut inde similiter infament. Habes hic crimina duo, quæ se mutuo destruunt et suos premunt auctores. Adeo ipsis nec severitas, nec benignitas placet; utramque oderunt et damnant. Quin miraris Dei talia audientis patientiam? Sed enimvero quæ duo objiciunt, eadem ipsa illorum decreta convellunt; quare vicissim et nos illos interrogemus, utrum quos sibi fecere deos, bonos etiam credant; jam si tales sunt, cur cessant? Nec enim bona volunt facere, nec si qua imminent mala, prohibere. Similes illis fiant, qui talia numina colenda proponunt. Nobis certum ratumque esto unum esse rerum omnium effectorem atque moderatorem.

VI. Justum rursus incessunt, quod terram lacte et melle manantem rudi populo possidendam tradiderit, quodve inde rejectum servituti subjecerit, utique attentis ejus sceleribus neutiquam immeritum; nec intelligunt pœnam esse merentibus medicinam, immerentibus quodcumque datum gratiam esse; sic videlicet delirant, tanquam rabidi eo feruntur, unde sine discrimine in obvium quemlibet invadant. Populum grandem docuit, quæ Eliæ etiam sug-

gessit ad hæreditatem sibi in cœlo repositam aspirare. Simplicem et parvulum, proposito solo feraci lacte et melle affluente, puerorum nimirum illecebra trahere maluit: levem minusque ponderosum alis instruxit, humilia prætervolare dedit, in terram depressum sublevare, et a terrenis avellere studuit: omnibus omnia factus est: se ipse demisit, cum omnibus emineret, ut suam omnibus participaret vitam. Quocirca si audis blandientem, agnosce pueros alloquentem; si minitantem supplicia, excitantem dormientes virgam intelligito. Sed isti nec pueritiam, nec huic ætatulæ accommodata incitamenta examinant, nec ætatis robustæ vires ac tentationes discernunt. Æstuat scilicet mens, os latrat, suum ubique abdicat Dominum.

SERMO CXXX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XXXIX.

I. Næ ille bonus idemque altissimus est, a quo sapiens quilibet acceptum damnum beneficium putat. Davidis dictum nos miramur, explodunt errantes. « Pharaonem, » Propheta ait, « demersit in mare, quoniam in æternum mise» ricordia ejus[1] : » postrema verba rident, et quærunt quis locus in atroci facto pietati fuerit; nec attendunt Dei bonitate regem refractarium et contumacem a graviore ruina retentum atque opportune oppressum, quominus te, Domine, ad inferenda acerbiora supplicia provocaret. Sed nec tu, quid quærant, velim, tantum attendas quantum

[1] Ps. cxxxv, 15.

in quales anfractus ipsos suæmet ratiocinationes compegerint. De origine mali disputant; dum inter se rixantur in altum provecti, pelago obruti sunt, secumque suos traxere deos, deos, inquam, quibus ad inhibendum irruentis mali cursum, seu voluntas, seu vires defuerunt : fracta audacia est, victique coronam texuerunt flammis, in quibus examinati detecti sunt. Hoc interim habeto scitum omnium ore vulgatum, quo uno quæstiones dirimas omnes, futurum aliquando judicium, et istam, in qua moramur, domum tandem ruituram; ut merito laudes illum, qui Pharaonis interitu totius orbis occasum præmonstravit; qui regem acerbo extinguit fato, ne videlicet in singulos dies suum exaggeraret crimen : æris alieni syngrapham Creditor pelago delevit, exegit a debitore fœnus eo die solvendum, ita tamen ut simile debitum apud infantes olim contractum simul repeteret.

II. Ecce autem videmus sectarios crebris attritos cladibus, ut plurimi sunt illorum hostes. Quid id est, quod laborantibus nullam attulerunt opem qui ab ipsis coluntur dii? et si quidem victi sunt, jam habemus unde eos confundamus; sin autem cum auxilium præstare possent, id neglexerunt, vicimus; quo enim colore licuit diis, tales enim appellant, suos deserere clientes, et oves custode nudatas lupis objicere. Quidquid pro suorum deorum defensione reponent, Justum absolvit, cujus etiam verbera auxilia sunt.

III. Quid quod illorum leges ipsosmet premunt? Præcepta dicuntur, tormenta sunt. Hinc iterum habes unde deos eorum crudelitatis accuses, quibus nostris gaudere malis solemne sit. Inepti actores suamet actione reos se fecerunt. Justo sævitiem objiciunt, ipsi exercent, quo universum infestant, duroque verbere tundunt : quo autem per ambages disputare ipsis mos est, satis declarant

victoriam penes illorum partem stare, quos nuda et sincera veritas delectat.

IV. Mundum intuere velut corpus pluribus affectum morbis, quos tamen sola peperit liberi arbitrii vis; assequitur autem Medicum oppido quam benevolum ac benignum : ægrum ille sibi obvium quemque suscipit; curari volentem urit, incidit, tangentem quemlibet valetudinis recuperandæ causa sanat. Suis moribus, omnibusque corporis gestibus mirifice facilis et suavis est : totum quod vides et quod non vides totum, cymbam æstimat; suo illud nutu agitat citra laborem, quidquid effutire audeant stultissimi quidam homines, garrientes eum neutiquam tanto esse oneri parem. Mundum idem gubernat, nec secus quam currum cuilibet voluntatis suæ momento obsequentem. Inde frenat protervos, virgamque magistram exorbitantibus intentat. Omnes collige calamitates et pestes, quas vel fama lapsa per manus, vel litteris consignata monumenta repræsentant; deinde attente considera universam hanc malorum illuviem ad nostram utilitatem in omnes promiscue homines diffundi ab eo, quo nil melius excogitari potest. Populum patrio avulsit solo, dispersitque, ut veritati superstrueret, dissipatumque iterum congregabit. Sanctorum felicitatem illi offert, si tamen hanc sibi sortem elegerit; sin vero respuerit, minatur gehennam.

V. Cæterum cum sterilis vinea suum dominum ampla licet dona ferentem repulerit, quis non miretur novis ab illo beneficiis affectam, cui dira omnia exoptanda fuissent, ex quo fructus negavit hæredi? Postremum ejus perosus proventum, illam extirpavit sic, ut surculos exinde resectos apud gentes inseverit, apud gentes, inquam, genus hominum minime difficile minimeque agreste. Sic alias quosdam ex gentium turba velut externos et adventitios ramos

ad bonam arborem ex mala stirpe traduxerat justorum opera qui apud Hebræos florebant.

VI. Illorum certe vitis amaritudinem habuit innatam; vineæ quippe Sodomorum propago fuit, botrique Gomorrhæam uvam referebant. Neque malus ille fuit qui malam vitem extirpavit, quippe nec immeritam, præcipue cum pro sua ingenua benignitate amaros palmites dulcissimæ arboris ramis inseverit. Jam vero, quanquam ejusmodi sarmenta, postquam ad domesticam arborem traducta fuere, intra ejusdem naturæ modum continere se potuerunt; contrarium plane accidit, ut amarulentus succus ex illis profluens arborem ipsam invaserit, tentaveritque suavissimum ejus saporem obstruere. Papæ, quis et qualis ille fuit, cum divisus flueret! Quin ergo tacent ora garrientium id nequaquam fieri debuisse. Quid? num Deum dedecebat, clavos quibus ipse suffixus fuerat in tortorum membra congerere?

SERMO CXXXI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XL.

I. Adeo ne tibi quisquam videatur esse idoneus a quo illa tractetur cithara, quam rerum Dominus rebus ex omnibus compegit, quo foret universis persuasum summi Artificis eum esse legatum, qui sciret istas agitare fides, psaltes antiquissimus Moses illas graphice percurrit, objectamque sibi Magorum aciem perculit et vicit. Erubuere zizania, cum secus ac speraverant chordas magica vi detinere non possent: quod inde reliquum ipsis fuit, linguam fu-

rentibus similes in Mosen talium mirabilium operum patratorem acuerunt; quanquam et istuc in commune probrum cessit ipsis eorumque diis; inde siquidem patuere maleficorum mendacia suorum numinum vim tantopere extollentium, populique spes vana tales deos colentis, qui suis laudatoribus minime succurrissent; et si quidem opem negarunt, quam præbere non possent, id profecto fuit imbecillitatis argumentum; sin fastus suasit ut negarent, superbiam notat.

II. Duos prodidere deos Marcion et Manes oppido quantum viles et imbelles; quo in facto eo magis culpandi fuerunt, quod ad tegendam fraudem pulchram speciem ab Apostolis ascitam mira calliditate sibi aptarunt. Interim vero ostendant ubinam scriptum legerint Domini discipulos Peregrini celebrasse nomen; varios quippe deos Manes ejusque gregales vulgarunt, quorum mirum est non dispuduisse repertores, usque adeo turpes sunt, tantum abest ut idonei fuerint, quibus innumera hactenus edita miracula ascribantur : numina sine numine sunt.

III. Bene novit Marcion auctoritatem filiorum veritatis, exhibitaque ab illis signa, quæ etiam lapsa per manus fama ad nostram usque memoriam traduxit, idemque illorum attestari solet Scriptura, adeo ut sicubi eas contradicit, suismet verbis coarguatur. Si veteris ergo religionis desertores novas audent serere opiniones, et fidem exigunt, vicissim ab ipsis exigenda sunt miracula; quamobrem ad illos revincendos hoc abunde sufficiat, quod cum ubique grassentur morbi, nullum hactenus illi persanarint ægrum, neque levem febriculam depulerint. Salomoni insultant, quod ad ethnicos ritus transierit; atqui ille ante lapsum cœlo sacrum attraxit ignem; eedo, quid illi præstiterunt unquam simile? Sua licet ubique ostentent, ut ingenti fastu pleni sunt; et si cœlestibus flammis non imperant,

ignem propriis artubus hærentem cur non restinguunt? Concupiscentiam videlicet præcordiis innatam, nec febrim curant per omnes serpentem venas, iram atque libidinem; flammis nempe suis uruntur miseri.

IV. Moses, ut dixi, multa apud Ægyptios opera admiranda plectro eodem cecinit; is scilicet, qui blæsus fari non poterat lingua vocum modulatrice impeditus, mox chordas pectine divinitus concesso percurrit, ut linguæ impedimentum in servo Domino verteretur in gloriam. Tu, Domine, qui es silentium et sermo, cœloque demissus in terram descendisti, aperi, precor, os nostrum; clavis quippe es, omnium ora reserare potens.

V. Cæterum cum ab obitu Mosis nemo deinceps simili plectro hanc citharam tractaverit, quis primus ille fuit qui ejus chordas fortiter occupavit sibique subegit, ut ea in curandis cujusvis generis morbis uteretur, rerumque naturas nullo labore mutaret?

VI. Cithara, quam laudo, vocem cum silentio mirabiliter conjunxit, suique Artificis gloriam cantavit, etiam cum tacuit; suspiravit ad aspectum Opificis sui, ejusque præsentia gestiit, testudinem porrexit, intendit fides, apprehenditque Potentis manum, et exosculata est, testata gratiam quod suorum digitorum contactu ipsam consecrare dignatus fuisset; et quasi novam inde formam induisset, novos excogitavit modos, cantumque exorsa est exili quidem voce, quæ tamen bellum adversus diabolum mox accendit: expavit ille fortis voce licet submissa perculsus: fregere adversarii animum trina nomina. Nunc ille sollicitus instat, contenditque auditorum aures avertere, quominus ad citharæ sonum attendant, unde Dominum agnoscant. Durus inferni nervus mollitus est, mortalibus quondam gravis, postquam chorda muta vocalis facta est, mortuis ad vitam, Domini jussu, remeantibus; cœpitque divina-

rum laudum cantu personare. Laxatas fides Dominus intendit et ad capturam contorsit, cepitque piscatores in navi. Sublimes nervi cœlorum concentum componunt, scissi sunt cum Patris vox intonuit.

VI. Prodeant nunc impii et nefarii homines, quos certe latere non potest carmen istis modulatum fidibus; suis quippe oculis subjectas, tensas et pendentes cernunt: has provoco, agitent, peregrini numinis appellantes fidem, opemque implorantes; effectum exhibeant, qualem exhibuere qui hanc olim citharam pulsarunt, fidelis Moses, et qui Mosen consecuti sunt insignes virtute viri, Josuë et Prophetæ. Erubescite, increduli, ad concentum fidium quas coram habetis suspensas suoque Conditori canentes auditis. Pulchre deos illorum inanes esse docuit ille, qui verus est Deus, quando hanc quam habemus rerum molem compegit, suspendit, et super nihilum fixit immobilem, ut nemo hactenus eam movere potuerit: hæc una quam cernis cithara, exiguum licet Dei nostri opus, deos, vana Marcionis figmenta, refixit.

VIII. Sophistæ disputant, nec fides ejus tractare valent; ipsi sibi accersunt, unde rubore suffundantur. Quin ergo tacere discunt tanquam imbelles, postquam non licuit tanquam fortibus divino operi vim inferre. Scilicet obtrectare norunt, id enim facit arbitrium, quod Deus pro sua bonitate dedit, sic tamen ut quandoque ad opprobrationem petulantiæ datum contrahat, puta in surdis, ut volentes Marcionem audire, non possent; indeque simul Peregrinum propriæ imbecillitatis puderet, cum non potuerit illis auditus clausas reserare fores.

IX. In Cana cantum variis est modulata modis; eam namque urbem Conditor rerum ingressus mutavit, ut novæ citharæ etiam silentium audiret: fidibus suave sonantibus plenas lagenas substituit, sed vocales: laudandus ubi-

que sapiens ille, qui ejus a quo missus est laudes suo cantavit plectro.

SERMO CXXXII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLI.

I. Sed nunc vide ne tibi aliud fingas simulacrum, occultum idolum. Splendet nobis veritas, magis tamen error; nostræ quippe fœtus est mentis. Cujus sermo verus et simplex est, nec talis qualis agitur fabula, hunc vero tu laudabis. Divina fides gemma est, incidi non potest, nec obsequitur scalpello veritas; huic contrarius error mollis cera est, omnes suscipit formas ut speculum esse videatur, quod tamen ea tu arte temperatum cogita, ut solo aspectu formosis suam allinat deformitatem suasque puris aspergat maculas. O quale speculum, cujus usu homines pejores fiunt!

II. Aquam, ignem et astra coluere Persæ; Græci corpora quædam; omnia Ægyptii; Hebræi vitulum; Venerisque sidus Agareni. Omnes istiusmodi turpissimas religiones disseminavit error, dispertiitque gentibus unicuique suam; et quasdam quidem ante Domini adventum ex vana ethnicorum superstitione excudit; alias vero post ejusdem manifestationem ex variis sectariorum opinionibus compegit, distribuitque eo artificio, ut cum morbos vulgaret remedia docere videretur.

III. Unus [1] inter alios superiore ætate prodiit, qui Deum nobis eructavit novum, vocavitque Peregrinum, proprium

[1] Marcion.

nomen occultavit ; causa tamen cur occultaret occulta non est, scilicet umbra erat, quem Deum haberi volebat, merum figmentum. Improbus plagiarius surrepta divum nomina mox in foro exposuit et distraxit. Alius [1] alios excogitavit deos, principia quædam æterna ingenita, aërem, ignem, et aquam, adjecitque quartum, quem tamen, cum nullum habere numen sciret, et esse simplicem umbram, tenebras nuncupavit; æternum tamen quoddam esse dixit. Alius, denique, istorum alumnus [2] eisdem multa suffuratus, suum in usum recudit. Manus ejus contra omnes, et omnium contra eum manus, ut omnes in errorem inducat ; antiquæ Agaris filium imitatur, rapto vivit. His adhuc annumerandi veniunt reliqui sectarum principes, velut fratres eodem parente sati; nam etsi lolium unum specie sit, illius germina multa et varia sunt, ejusque fruges in omnes regiones asportantur et distrahuntur, et umbra totum opacat orbem.

IV. Errorem diabolus velut monetalem typum cudit, eoque nefaria per omnes ætates excudit dogmata, satcgitque, ut per omnia tempora, nulli licet tempori non importuna, manarent. Nunc vero quæstiones serere instituit, indeque factiones conflare, commentitias fictasque fabulas componere; sic per novas sectas orbem perdidit, falso typo homines falsos fecit et viles vili nota. Pestem utramque fugientibus commune patet perfugium fides divinis consignata Litteris. Vidit diabolus virtutem, vitium seminavit, pharmacis salutaribus permiscuit venena mortifera ; vidit orthodoxam doctrinam, contentiones et lites excitavit : psalmis quæstiones substituit, multitudinem scidit et dissolvit; vidit sacras Litteras plenas veritatis, falsas opiniones superinduxit. Solemnem præfationem, « Hæc dicit Dominus », mutavit; hominem pro Deo supposuit, sic præfatus : Hæc talis homo

[1] Manes. — [2] Bardesanes.

dicit. Templa diis excitavit amplissima operosissimo opere; impii laboris mercedem constituit fallaces spes, quibus illectos artifices ad execrabile ædificium conduxit, compegit ædes oculorum præstigia, in sumptus inutiles prodegit aurum, arcam nostram in nostram perniciem exhausit, stipem pauperibus erogandam in usus damnabiles distraxit. Claudo substraxit, quo muneraret cursorem, pernicitate pedum cum veredis certantem, surdoque præhabuit tibicinem pro cantu rependens aurum: quas negavit viduis vestes, scortis distribuit; quæ pupillo per humum reptanti impertiri justum fuit, donavit funambulo, qui per aëra graditur: quæque dispertienda fuere manibus capto, gladiatori repensa sunt, quod comparem mutilasset.

V. Tales profecto mores induxit in Græcorum respublicas; alios nec tamen meliores aliis populis dedit idem, qui Hebræos persuasit ut sacris ritibus profanas cæremonias admiscerent, Hieromystis Baalis sacrificulos associarent, et victimas cum victimis, pseudoprophetas cum Prophetis, et cum Apostolis apostatas confunderent. Sic diabolus est, et hodie quoque disceptatores facit orthodoxæ fidei desertores. Ita me sospitet Deus meus, ut ea quæ didici, eadem ipsa docui, et quam tradidi vivendi formam, hanc meis in moribus repræsentavi. Hoc, precor, ut labor meus, publicæ utilitati impensus, æs alienum meis mihi peccatis contractum dissolvat.

SERMO CXXXIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLII.

I. Censes-ne bonum Deum, dei mali inimicum, oculos libidinum duces refecisse cæcis? aut prompta ad perpetrandas cædes instrumenta manus mancis restituisse? Si hoc factum admittis, fatere medicum qui corpus sanavit, ejusdem Opifici de pulchritudine præstantiaque operis sui testimonium perhibere voluisse, eosque vehementer desipere, qui pias manus corporis formatrices vituperant. Enimvero si isti non insaniunt, quid restat, nisi ut Domino nostro insistamus quatenus imperite compactas ædes solvat et diruat? Sed quoniam idem, qui ruinosam domum sarcivit, in ea etiam habitare se velle significavit, laudandam fabricatoris peritiam satis ostendit. Hic ipse salutis Reparator nostræ, aiunt, templa duo artifice ab uno exædificata, alterum laudat, alterum reprehendit; animam et carnem Creatore ab uno condita, alteram diligit, et alteram abominatur. Explicent igitur quomodo is qui animam amat, odisse carnem potuerit, cum idem in carne habitaret.

II. Rursus instant alias duas ædes ab eodem architecto fabricatas fuisse, nec tamen eodem animi affectu a Peregrino exceptas fuisse. Jam quærimus qua ratione ductus idem Peregrinus sionæum templum funditus evertit, carnem vero dilexit, sibique in templum adoptavit. Siccine ædem religionis domicilium dissipavit, et corpus vitiorum conceptaculum integrum manere statuit? Item si oblatum a malo dæmone munus rejecit, ut qui ægre ferret ab illo

se filium Sancti appellari, obstruxitque suo munere muneratoris os, cur ergo abluit carnem aqua, sibique ejusmodi lavacro dedicavit, cum carnis et aquæ auctor sit ille malus? Item si Christi baptismum baptizati corporis contagione diabolus temeravit, sequitur utique eo ritu corpora diabolo initiari, atque tali sectarios imbutos errore panem diabolo frangere. Ignoscat, oro, ille Boni filius hominibus tales in eum voces jactantibus.

III. Quod si ad animam modo dicta pertinere volunt, eisdem adhuc premuntur angustiis, cum verbum queat animæ utpote congeneri baptismi tenere vicem, non ita panis, corporis quod oderunt cognatus. Porro si salutaris est panis animæ, quanto huic utilius corpus erit, sine quo otiosa torpet? Discat itaque anima quæ sua sunt, ex iis quæ sua non sunt, et illa negare nefas esse putet.

IV. Cæterum si in pane, re utique anima sensuque carente, habitat Dominus, et allabitur iis quas fundimus aquis, lapideâque incolit templa, quis credat ab illo odio haberi corpus, cujus membra sexcenti exercent labores, assidua jejunia precesque fatigant? Ossa quibus compingitur ejus sunt thesauri, opes lacrymæ salientes oculi, gemma virginitas. Mysticum itaque imaginare pavonem suis ingeneratum membris ornatum circumferentem.

SERMO CXXXIV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLIII.

I. Duo petiit Satanas satis levia, negavit qui corpori etiam difficillima concessit; at si diabolus rogans repulsus est,

corpusque graditur, et pedibus mulctatus est serpens, victi sunt orthodoxæ fidei contemptores. Immundi spiritus quod postularunt impetrarunt, invasere porcos; scilicet ubi sibi contraria Satanas poposcit, poscenti annuit, patrem imitabatur, qui diabolo dedit unde in beato Job confunderetur. Qui omnia noverat, corpus et diabolum muneratus est, porcos et stagnum dæmoniis cessit; panem et sanguinem suum corpori donavit. Sed enimvero si caro diaboli esset opus, carni sua nunquam immiscuisset mysteria. Justus, quem illi oderunt, serpenti pedes abstulit, cum sint congeneres serpens et caro; Dominus noster, qui claudos sanavit, num in corpore claudo pedes serpenti restituit? Contraxit Justus regis manum, deinde laxavit[1], serpentem execrationi semel subjectum miseratus nunquam est; similiter nec Dominus noster serpentem aliquando recepit in gratiam, sed Patris sententiæ subscribens exaggeravit nocenti pœnam, et ad eumdem proculcandum facta ad hoc potestate credentes provocavit.

II. Porcos in stagnum demersit Dominus noster paterno insistens exemplo; sic similem se probavit Patri, qui serpentem pedibus mulctaverat. Simonis corpus fluctibus prope haustum extraxit; nempe Patrem assimilare voluit, qui Mosen in fluvio periclitantem periculo eripuit.

III. Ineptissimi homines Patrem totius corporis effectorem criminantur; Dominum nostrum, qui ejus morbos depulit, laudant. Quid? num Medicus Opifice melior sit, et Conditore Chirurgus? O perversum judicium! Corpus medium stare vident Medicum inter et Opificem, alterum vituperant, alterum mirantur, cum amborum opus unum et idem sit, ab utroque incœptum et consummatum; quisquis de communi opere alterutrum carpit, necesse est ut utrinque pressus succumbat. Sua fabrum opera indicant et arguunt,

[1] 3 Reg. XIII, 4.

aurificem quoque sua, et sua Creatorem. Porro ægrotantis corporis medicina non fonte ab uno manavit; sed opus unum duplicem appellat opificem : si ergo primum carnis auctorem culpabilem ex opere arguis, hujus reparator culpa vacare non debet.

IV. Moses, qui vitulum ab Aarone fictum reperit, confregit, commoluit, distrivit. Dominus noster, si quod corpus oculis captum offendit, visu lucisque usura donavit. Moses ænei vituli oculos destruxit diffregitque aures; Dominus noster clausa corporis lumina reclusit, et ademptum audiendi sensum reddidit. Ergo si primus corporum auctor malus fuit, quisquis, eo decedente, successit, dum perturbatum ordinem repetere tentat, a recta deflexit. Tabulas divinum opus fregit iratus Moses, mox etiam simulacrum contrivit, ne simile sequeretur. Nihilominus avorum exemplo nepotes pro una multiplicem induxere religionem, postquam Jeroboamus pro illo uno vitulos plures conflavit. Reprehenditur qui primus carnem reperit, successit tamen alter, qui ægram curavit; qui primus finxit vitulum summus sacerdos Aaron reprehensus fuit, sed enimvero multo acrius Jeroboamus, qui post Aaronem vitulos dedicavit; scilicet prioris delinquentis culpam in se recipit, qui post deliquit.

V. Rursus, si Peregrinus Creatoris opificium examinavit, probavit tamen atque promovit, quod vituperare et destruere magis decuit, hic illo reprehensione dignus magis fuit. Arguitur de fraterna cæde Caïn ; sed magis arguendi sunt qui Christum egerunt in crucem, ut quibus ejus facta exploratissima fuere; judicem namque cum perverso perversum esse oportet. Justus nec famulo suo Mosi blæso linguæ vitium emendavit : Peregrinus, ille scilicet carnis osor, non ita, sed surdos et mutos innumerabiles curavit. Quapropter adversus incredulos ambo insurgunt, et usque

adeo, aiunt, isti suas obtuderunt aures! Corporum amator Mariam et Nahamanum lepra mundavit, simili affectos lue decem sanavit corporum osor: protervos accusatores ambo redarguere volebant, quoniam, ut ipsimet aiunt, multa peccantes multo acrius premendi sunt.

VI. Cæterum cum juxta illorum decreta caro et dæmon congeneres sint, item notissimum sit a Domino nostro corporum pedes, manus, oculos, aures, et reliquos sensus, et membra suis fuisse exempta morbis. Ohe, quid censent? Dicent-ne diabolum in sua conditione omni ægritudine ab illo exemptum fuisse, quo illum haberet ad omne perpetrandum nefas paratiorem? Litem dirimat Dominus, fornax nimirum est, metalla probat et excernit. Clausa mutorum ora reperit, aperuit; illi pro munere grati laudem Deo tribuerunt; idem, qui hominibus loquelam restituit, immundorum spirituum ora obturavit, fari volentes illico inhibuit, quanquam laudare parabant, inhibentem. Corpus ais-ne organum malum mali dæmonis esse: atqui Dominus noster ipsum hoc organum tractavit et detritas chordas in pristinum restituit, sensus videlicet et membra, citharamque suis absolutam numeris citharedo reddidit.

VII. Et si auribus sensum recudit, quod id cogeret necessitas, alias surdis ipsum loquentem audire minime licuisset; quorsum cæcis visum refunderet, quem enim aspicerent? Auctorem certe beneficii cernere non poterant; nec enim illi corpus erat. Quid? num præsentem sibi rerum universitatem intuerentur? Atqui rerum Conditor ipse non erat. Cuinam ergo pro munere justam gratiam haberent? Et si Peregrinus pro sua summa sapientia oculos defectos recreavit, ut orbium cœlestium pulchritudinem ornatumque spectarent, hi certe ipsius non sunt; cœlum suum cum demonstrare non posset, nomine tenus indicavit. Item manus ille restituit, quas tamen ipse non fecit;

quæ si virtuti arma ministrent, illum bonum dices; sin vitio, malum. Nos vero Optimum ubique prædicamus, a quo manus accepimus, quibus illius corpus acciperemus.

VIII. Sed perge sis: ergo pedes idem ipse dedit, quibus solum non suum calcaremus, et ditionem perlustraremus alienam: num etiam alas adderet, cum nullum ei in aërem competeret imperium? Quare facesse ista, et laudes dicamus communi Artifici, qui omnes rerum ordines nostris subjecit sensibus, divisitque et singula singulis distribuit, solum pedibus, lucem oculis, auribus sonos et voces; ab iis porro, quæ dedit, testatum reliquit omnes ipsius numini parere naturas: os itaque si homini dedit, hoc pro pane suo et calice suo dedit; quos oculos adjecit, hos lectioni Scripturarum aptavit; cum pedes eumdem habere voluit, his templi sui limina terere mandavit. Agedum si orthodoxæ fidei hostes fateri coguntur, hæc omnia in Peregrinum quadrare, victi utique succubuerunt.

SERMO CXXXV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLIV.

I. Qua putas ratione ducti negarunt isti salutis nostræ Reparatorem esse rerum opificem? Morborum depulsorem experti fuerant, Creatoris adversarium dixerunt. Quid istuc? Ipsum-ne, vel de rebus ab eo factis aliquid videre licuit? Suam namque speciem ipse celavit, alienam assumpsit, exposuitque in oculis conspectuque omnium. Cæcus ille postquam lucem lucisque largitorem aspexit, beneficium agnovit, laudavit auctorem; nam si visum quidem

iste dedisset et lucem negasset, mansisset ille cæcus, etiamsi sexcentos oculos unde unde sibi invenisset. Artifices duo unum ipsum fabricavere vas; perfecti operis testes Bonum laudarunt, accusarunt Justum laboris consortem. Adeo in ferendis sententiis nec sibi nec æquitati consentiunt, qui a recta fide discordant.

II. Sed perge porro, nobis istuc etiam edissere utrum ille Peregrinus ad agendum quodlibet animum appulerit, cupiditate puniendi doloris sui, an sola ingenua bonitate sua ductus? Et si quidem iracundiæ abreptus impetu, adversarium incommodare cupiens, manum operi applicuit, consequens erat ut, quoniam hostis erat, cuncta perverteret. Sin autem actum suasit amor, amor Dei nostri ejus amorem antevertit; nam si rerum Opifex ad materiam se demisit, huic certe benevolentiam exhibuit longe majorem Dominus noster, quando plurima corpora sanavit, quæ quidem adversarii ex materia coagmentari fierique fatentur. Ego sane ita illis Sanctum propitium velim, ut ipsi talibus dictis ejus iram accendere non verentur.

III. Novum mustum in veteres utres nullus infudit[1]; quales sensus nactus es, talia tibi præcepta dedit, et si nova auris est, præceptum certe vetus non dabit; novas quippe voces vietæ aures non audiunt, quod tamen vehementer mirere; si nova præcepta dedit, exhibuit tamen membra minime peregrina: sensus, quos in pristinum restituit, ipsi causam ei adjudicant, ipsi testantur, ut ut, quas rupit voces, novæ sint, certe dicentem peregrinum non esse. Non magni operis sane fuit legibus leges subrogasse, id enimvero factu minime difficile recte dices: at maximi laboris foret jubere solem novum aperire diem, non quo optes meliorem, sed quo præstare putes hunc accidere spectantibus penitus novum et peregrinum. Jam

[1] Math. IX, 17.

si hoc est, adversarios provoco ut ipsi aliam a nostra lucem plane diversam vel animo duntaxat fingant, nec hujus diei, nec hujus claritatis, neque coloris hujus, sed simpliciter et absolute novam, peregrinam et extraneam. Lucem jam habes testem, Deum peregrinum ab eis nec cogitatione fingi posse.

IV. Quid? quod nec tenebras ab istis quæ nos opacant diversas comminisci licet, ut ut liceat modo rariores, modo spissiores imaginari, ut hinc arguas eos ineptissimos esse, qui peregrinum Deum nobis obtrudunt. Quantumlibet dissimilem cogitent Deum, ad confinia eos redire necesse est illius Creatoris, cujus majestatem sacrilegis dictis violant nec advertunt, laudant etiam et ignorant, ut quantum se ipsi discurrendo fatigant, intra tamen ipsum cursitant et errant, cum nullum extra ipsum sit invenire Deum. Et si quidem arbitrum temporum cognovissent, ejus utique tempus ipsos non lateret. Jam vides horum hominum stuporem, ut qui nec se ægrotare sentiant, quare in subsidium propriæ infirmitatis miscuere figuras, symbolaque undevis collecta, diffractisque repagulis, in suam utique perniciem eruperunt.

SERMO CXXXVI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLV.

I. Date Deo nostro magnificentiam, quotquot adestis filii veritatis : regni persecutores, vestri evasere præcones ; vestri facti sunt vindices, quos habetis hostes. Scripserunt carnem Christi esse veram, cunctisque viventibus impertiri

vitam, scriptumque proprio chirographo firmarunt, testimonium prostat exaratum non in charta, sed in pane, quem ipsimet adversarii frangunt, nec atramento, sed mero conscriptum, ipsis ad probrum, vobis ad coronam.

II. Si Peregrinus novam condidit legem, explicent cuinam bono ea rogata fuit. Nam si quæ sunt fugienda patent, hisque notiores sunt contrariæ virtutes, et si nec nos illa juvat ad exercendos naturalis vitæ actus, puta cernendi, audiendi, comedendi, bibendi, gradiendi, unde vitam nobis illa attulisse videatur : item si nec nobis eas quas dixi operationes interdicit, si quando contingat esse turpes, cur istæ ab eo legislatore non vetantur? et si quia rectæ rationi consentaneæ sunt, eædem conceduntur, habemus unde te Conditorem nostrum dignum corona prædicemus. Undique circumclusi quo se vertant nesciunt, adeo universæ et singulæ mundi partes ad reprimendam eorum audaciam conspirant.

III. Nec tamen id illi Peregrino visum satis eos, quibus culpa oculos aperuerat, minime cæcasse, quo videlicet Satanas ipse cæcaretur, nisi etiam clausa lumina cæteris promiscue reclusisset, quibus velut e sensuum fenestris ille malus voluptatum illecebras exploraret. Malum Justus carnis invasorem intra ejus viscera retruserat obseraveratque oris, aurium et oculorum ostia; Peregrinus carcerem patefecit, peccatum ibidem alligatum dissolvit. Quamobrem universa rerum natura coarguit illorum insaniam, totus orbis adversus eorum impudentiam vociferatur, stupetque audaciam : sprevere putida zizania, unde aluntur, terram; astra, quorum influxibus vegetantur; solem, cujus collustrantur lumine. Scilicet si pro beneficiis, sine quibus vivere non possunt, Benefactori gratos se probare studerent, utique blasphemare desinerent, nec omnem referendæ gratiæ voluntatem abjecisse viderentur.

IV. Quisquis nuptias vituperat, hunc aio germen esse maledictum; suam ipse radicem execratur. Duo sunt crimina in quibus summum nequitiæ apicem attigisse videntur increduli; primum, quod suum abnegavere Opificem, immane flagitium istud fuit; sed et grande nefas alterum est, quod suam etiam damnavere stirpem. Omni itaque scelerum colluvie se cooperuere, et antiquo illi Giezi comparandi sunt [1], qui lepram a capite ad talos induisse perhibetur. Nimirum qui immundas dixere nuptias, non animadverterunt, mentem præripiente mero, cognata esse membra humani corporis, sensus quoque compares et affines, ut si cujuspiam membri sensusve usus immundus est, reliquorum omnium actus immundi pariter censendi sint; quemadmodum si quod membrum dolet, cætera omnia, ut scitum est, dolere necesse est.

V. Jam si ita est, restat ut oculum a luce dividant, unio quippe amborum quoddam connubium est, et a voce aurem pariter separent, etiam ista duo coëunt; abstineant verbum a lingua, et hæc copula est, pura tamen et immaculata est; tales sunt quas dixi membrorum ac sensuum operationes : pudica isthæc et casta connubia clamant tales esse quoque nuptias. Quod si legislator nec sensuum neque membrorum usum tanquam immundum damnavit, sed id solummodo cavit ne quis inhoneste aspiciat vel illicita audiat, ejusmodi lex naturæ nostræ perfectionem promovet, et mandata ejus nostrum ornant arbitrium, et doctrina nostram libertatem coronat, et ea manente, quæ objiciebatur, peregrinitatis umbra revanescit et dissipatur.

VI. Tres itaque status illa petit lex, secumque defert honestatem, sanctitatem ac virginitatem : moderatum peculium, paupertatem voluntariam, et consummatæ virtutis

[1] 4 Reg. v, 37.

habitum : inhonesta prohibet, honesta laudat, quæ cujuslibet statum decent, mandat citra injuriam arbitrii eligendi quid velit. Omnes leges quas prisca tulit ætas, vel futura aliquando feret, æquitate constant et clementia ; nec enim lex dicenda est, quæ mœchari jubet, furari et rapere, vel quæ vetat esse humanos, pudicos, modestos et veraces. Lex et libera voluntas res bene constituit, bene constitutas ipsa illa voluntas pravaque consuetudo perdere consuevit.

SERMO CXXXVII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLVI.

I. Quis extra diabolum tuas caro res definiat? Ex quo Satanas a Domino tuo te amari deprehendit, vexare non cessat. Ut cætera desint argumenta, tibi id unum sufficiat ad refellendos ipsos quos tegis et ornas, si modo ostendas quam injuste te premant insontem. Si contingat ægrotanti tibi defieri medentium pharmaca, pie succurrunt periodeutæ; salutem et incolumitatem precantur, et alius quidem in os tuum insufflat, alius vero te signat. Quid si tuam a diabolo ducis originem ? Sequitur utique eos diaboli nomine benedicere et ægrum signare. Si vero exasperatus morbus te sustulerit, lugent interitum familiares, cadaver lavant et condiunt, marsupia etiam excutiunt et adornant funus, exanime corpus propriis efferunt humeris, mulieres conductæ ad lamentabilem cantum prosequuntur, et mortui pulchra facta laudant.

II. Cæterum si usquam accidat animam, quæ istud animabat corpus, sepultum haudquaquam deserere, sed cum

illo tantisper in sepulcro morari, conceptam utique ex ejus desiderio mœstitiam eo usque sustinet, amissumque vehementer dolet. Sic tuam testatur resurrectionem eidem innatus erga te amor, teque inclamat; responsum reditumque e tumulo expectat. Quæ cum ita sint, qui factum dicam, ut anima ipsa nunc tuam in pristinum restitutionem ejuret, cum aliunde tuum reditum tam impense cupiat, ut salutem tuam cunctis opibus velit redimere si posset? Hinc porro deprehenditur perversitas hominum tuam resurrectionem impie rejicientium, qui tametsi ita comparati sunt, ut si carorum suorum ad vitam reditum impetrare possent, hunc sibi quovis impendio quærerent, propriam tamen ut credant resurrectionem rato tempore gratis concedendam adduci non possunt.

III. Censes-ne te ex patre diabolo esse ipsique proinde congenerem? Tales profecto sunt immundi spiritus, quos tamen si contingat ex eo quod invaserunt corpore excedere, beneficium sibi gratulantur omnes. Contrarium, te decedente, accidit; mœstitia, luctus occupant omnes. Præter hæc quæ disputata sunt, non habent quod desiderent quicumque veritate lætantur. Ortus caro tuus ab sua origine clamat eam te esse quæ plurimum ameris; casus tuus tuam in pristinum restitutionem testatur, ex quo tuum ab anima divortium acerbum et grave cuilibet accidit. Sic introitus tuus tuusque exitus ambo tuum præmonstrant reditum.

SERMO CXXXVIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLVII.

I. Hebrææ nurus gloriam suam in suis posuere velis; in velo nos quoque ponimus gloriam nostram, Christi sanguinem omni æstimatione majorem. Cœtus eorum qui rectam deseruere fidem, sanguinem Christi suis in velis non habent, figuram sanguinis habent qui Jesu corpus abesse credunt; verus quippe sanguis ibi adesse contingat unde verum corpus non abest. Si corpus immundum, fœdum et sordidum est, proptereaque a Domino despicitur, sequitur fœdum et immundum esse panem et calicem salutis quæ heterodoxi offerre solent; sed si ita est, quomodo Dominus corpus reprobavit et induit panem, cum iste vilissimi illius corporis congener sit? si mutus panis ipsi placet, an gratior non sit compos rationis caro? Quin etiam Justo placuisse panem docet, instruenda panibus eidem propositionis mensa [1]; derisere nihilominus Canæ convivium, etsi Dominus illud judicaverit sua præsentia dignum. Interim dum Ecclesiam veram appellant Sponsam et verum Sponsum Dominum nostrum, vini tamen figuram in suis cœnis propinant et imaginem epuli in suis conventibus exponunt. Quæ ipsa a se dissidet disciplina, suos perpetuo accusat alumnos, etsi accusantem ipsi minime attendant. At quam oppido impia sint illorum dicta, ipsorum facta redarguunt. Ego quod reliquum est, obsecro te, Domine, ut fidei tuæ contemptores, gehennæ filios, in aulæ tuæ famulorum numerum transferas.

[1] Exod. xxv, 30.

II. Quid? quod et Peregrinus ille, qui ad convivium accedere noluit, ne delicias facto vel dicto probare videretur, nihilominus tamen perpetuam Sponsi personam gerit et quæ sensibus percipitur, jucunditatem consectatur. Lugeat interim Joannes, algeat, esuriat, non decet Sponsi sodales jejunium; si quem esurire delectat, in Creatoris domum concedat. Peregrino (qui tamen nullibi existit, nullus est) jucunda et suavis vita placet. At nos, si nostra membra amamus, Deum obtestemur, quæso, ut illos ad frugem reducat; ita membra nostra sunt, resecta licet et in servitutem abducta: illorum vides catenas in eorum codicibus et compedes in ipsorum scripturis prostant.

III. Ad hæc sectarius: Nos quidem, ait, istas, puta panem et vinum, magni facimus et extollimus, quasi repræsentantes duntaxat speciem quamdam externi cultus et simplicem figuram. Quid id est? Ergo istorum religio imaginaria est, nullo modo vera, nec licita quidem, alioquin procedant, atque levi aliquo signo tantisper, dum hæc disputo, diabolum adorent. Sed et cum diaboli panisque natura dispares non credant, quo sibi constare dicentur, si diabolus illis immundus et profanus est, panis contra sacer et mundus videatur? Te utique, Domine, laudare æquum est, quod veritas proscissis velut ferro obstantibus tandem proruperit.

IV. Pro illo quem propositionis dixere panem, sectarii obtulere mel et lac; sed quia isthæc omnia munda sunt, quam moliebantur sacrorum perturbationem ad effectum neque hac via perducere valuerunt; mel etenim sacrificium non absolvit, et lac sacras aspersiones et libaminum cæremoniam non implet, obtulerunt panem propositionis in eo quem finxere typo, et sanguinem ac vinum in figura libarunt. Sed Christi interfectores et sectarum ineptias descriptum a Mose mysterium usque modo refellit.

V. Quid ergo movit Salvatorem nostrum ut panem fran-

geret? Scilicet ut extraordinario legislatori cavenda duo fuerunt; primum, ut corpus ab ipso assumptum immundum non esse probaret; alterum, ut Creatoris vestigiis insisteret; ex hujus autem instituto panis propositionis non offerendus fuit, sed proponendus in mensa. Te, Domine, laudamus, qui falsæ doctrinæ vile metallum igne detexisti.

VI. Si Dominus corpus phantasticum induit, phantasma frangere deberent, et si figuram sanguinis exhibuit, vini umbram in calicem immittant; si autem panem ipsum verum frangunt, hunc certe ipsum vere non phantastice tangunt: certe peccatrix [1] illa mulier corpus verum tetigit, quæ vere ad Dominum accessit. Tu vero benedicito ei qui Thomæ [2] præcepit ut corpus non umbram tangeret. Iterum benedicito ei, qui ovem perditam invenit, mentem videlicet tota via errantem.

SERMO CXXXIX.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLVIII.

I. Peregrinum Marcionis scriptis notum ab ipso peregrinari dices; materiam quippe ab eo introductam nunquam meminit. Oho oho, abortivus, hesterna die ejectus, éffare a quonam acceperis pacta olim conventa inter materiam et Creatorem. Quid si alteruter socium fefellit, fœdus utique jam nullum est. Quin ergo te mirer, Deus meus, qui es natura unus?

II. Scribit Moses a Deo Creatore cœlum terramque exædificata fuisse nosque de limo, quem idem creaverat, fuisse

[1] Luc. VII, 37, 38. — [2] Joan. XX, 27.

formatos, idque ipsum Creatoris nomen declarat; etenim si materia in se una est, ut prodiere rerum sexcenta genera, cœlum, aqua et ignis, caligo, lux et ventus, naturæ ab invicem discrepantes et aversæ? Præterea, quid anima a Deo producta materiæ opus fuit? Nec enim hujus spiraculum vitam limo impertiri debuit. Et si emissus a materia spiritus a limo alienus est, sibi cæteroqui conjuncto, quo magis ab utroque remotum dices divinum summi Opificis flatum?

III. Item si non a materia, sed ab illa quam fingunt ipsius opem, caro prodiit, nec animam a Creatore processisse dicant, sed ex ope natam, duos ergo dominos affirmare necesse est, habitum et habentem. Quare attende animum, auditor, et deprehendes Marcionem, disputationis æstu velut abreptum, quatuor induxisse principia. Deinde quo operæ pretio carnem ex materia educiam Creator deposceret? quid? num ut spiritum suum in carcerem compingeret? Scilicet alii quidem compeditos absolvunt, tuus iste, Marcion, Deus liberos nervo et compede stringit. Jam si spiritus necdum corpori unitus est, impotens ad agendum quodlibet, hunc apud Peregrinum otio torpere necesse est, factus ad quidvis cogitandum ineptus, siquidem abstractum a corpore fingis.

IV. Cogita animam corpori unitam; lucem-ne sine oculo cernat? aut audiat sine aure sonos? Esto jactes Peregrini vocem in ejus libris sonantem surdas pulsare aures Animadvertis-ne ambos despicatui habendos esse, cum videlicet, quem dicis bonum Deum, impotentem tamen ad visum orbo reddendum, ineptamque animam ad percipiendam ejusdem vocem? Quid? quod nec Justo justum fuerit animam ab ipso procreatam malo corpori ex materia genito infundere. Ut enim inimicum amet? vel alia corpora quidem diligat, alia vero abominetur? Utque Eliæ corpus

summa teneat, et Dathanis atque Abironis corpora in ima relegentur? Mosis et Giezis vultus, alterum divinus splendor irradiet, alterum lepra populetur?

V. Deinde quî factum dices, ut Moses et Elias ad Peregrinum accederent in monte morantem? Et quidem si utrique datum est proprio ore cum illo sermocinari, resurrectionem corporum jam negare non potes; si vero ficti corporis exhibuere larvam, inde profecto quam oppido infirmum sit corpus perspexerunt, cui illud mirabile jubar utrique aspectabile spectare non licuit. At, inquies, Moses et Elias in gratiam trium Peregrini discipulorum fictas sibi ascivere formas, per quas illos erudirent. Si id fuit, ergo non Peregrinum appellare debuerunt; nec enim ille ab ipsis docendus fuit, sed ad discipulos se convertere, qui cum essent illorum gentiles, ab ipsis monendi erant hunc, quem habebant, Christum esse, quem quasi peregrinum et extraneum sui non receperunt.

VI. Quod si Justus non sustinuit videri Filii sui in terris morantis oblitus, et ideo clamavit: « Hic est Filius meus » dilectus [1]; « ita-ne alias spoliatus damnum tacitus dissimulasset, ut nec acceptam injuriam cum süismet studiosis conquereretur? Ejus præteritum silentium, si sapis, sectarios accusat, docens haud licuisse sibi in præsenti tacere. Sed neque Justus justus videatur, si ligatas naturas et ipse cogit. Sit enim corpus a natura nocens, sit anima a natura innocens; cuinam operi faciundo allaboret lex? Allaborat tamen, ergo depravatam naturam reformare contendit, et quidem si illa legis secuta ductum auctori suo placuerit, etiam gloriosa resurget.

VII. Item nec, fratres, ille quem Bonum nominant, bonus erit, ex quo ipse similiter leges condere instituit. Leges quippe faciles abrogavit, promulgavit difficiles: quod

[1] Matth. III, 17.

si illas observare grave sit, istas quis observet? Si autem istas observare licuit, quo magis illas? Utrumvis admittant, habentur et capti sunt. Corpora item bestiarum, juxta atque hominum, Dei opera sunt; alia amorem, odium alia provocant. At si earum natura ex materia decerpta est, unde bruta animalia ab invicem discriminentur et discrepent? Sunt enim alia immunda, atque alia munda, esto legem nec oves observent, nec transgrediantur lupi.

VIII. Rursum indicent nobis animæ bestiam informantis originem, et si hæc a Justo ducitur, justus ipse non sit, qui spiritum suum in bestias retruserit; neque Bonus bonus sit, qui res animæ sibi congeneris, habitantis in nobis neglexerit; utrum ex impotentia, an ex invidia, incertum dices. Porro si ex materia crevere brutorum animæ, inde pariter extitere animantes, quæ tamen mundæ dicuntur. At si hoc dicis, explica qua ratione Deo placuit odor hostiæ ex putenti materia decerptæ: omnis quippe victima si ab impura natura promanat, puram animam purumve corpus habere nequit. Et si materia sit corpus, corporis-ne expertes dixeris dæmones ex illa extractos, imo simplices ac puras substantias? quin et Satanam ipsum materiam esse credas? Et si id sit, qua veri specie affirmes ex eo corpus compactum fuisse, cum ille sub aspectum non cadat, et istud conspicuum sit, ac sensibus teneatur? Vel materias forte fingis duas sub communi vocabulo, natura diversas?

IX. Iterum si anima spiritus est, cœlites illos, quos Angelos spiritus dicimus, unde nati? Quod si Angeli e nihilo creverunt, quin pariter etiam anima e nihilo formetur? At si Angeli et anima ab Opifice summo creantur, quid id est, ut Angeli sine corpore proprios explicent actus, nequeat anima sine sensuum auxilio cernere, vel audire? Rursus

si dæmones ex materia geniti sunt, carnem ex eodem elemento coagmentatam utique non magni facient; unde ergo illa a suo Opifice tanti fit, ut in ea habitare velit, postquam suo eam afflavit spiritu? Deinde cur animam sibi cæteroqui congenerem dæmoni non liceat infestare, nedum invadere et insidere? Item si corpus ipsum a se alienum dicunt, quomodo animæ conjunctum putant? O qualem errorum colluviem protulere nobis sanctæ fidei contemptores!

SERMO CXL.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS XLIX.

I. Marcionem pudeat sui, non potuit aliud nomen in nostrum orbem traducere extra nomen Jesu ex lege notum, nomenque Spiritus sancti, unde Prophetæ, velut ex communi thesauro, sua prompserunt oracula, atque nomen Dei, cujus notionem hominum natura parens cuilibet impressit, tria nomina totidem nostræ victoriæ tropæa. Sed est, quod interim vehementer mirere, sanctæ fidei desertores in eam prolapsos stultitiam, ut cum Dei rerum omnium principis bonis nunquam non fruantur, hæc tamen ab ignoto quodam Deo, qui certe nullus est, sibi liberaliter concessa nugentur, quamlibet fictus iste Deus nec extremum digiti sui in aquam intingat, ut flammarum, quibus uruntur, ardorem tantisper compescat. Habentur unde evadere desperent: Jonas de fuga frustratus ipsorum vanam accusat spem.

II. Anhelitus, quem incredulus respirat, frenum esse

puta, quo ad cognitionem Creatoris sui trahitur; esuries camus est ad notitiam Dei victum subministrantis deducens; somnus ipse pedica est, quæ aliorsum vagari volentem cohibet. Vides-ne ut nata in ipso et ex ipso verbera et catenæ protervum admonent nullam aliunde extra Deum sperare rationem talibus se expediendi vinculis? Mirum quantum desipit et caligat oculis, qui non videt se quoque ut cætera omnia pugillo Creatoris teneri, nec intelligit pulveris se esse particulam, aquæ guttulam, quæ mixta simul hominem coagmentant summi Artificis liberale donum! Hic tamen homulus, ex argilla et luto fictus, Opificem negat, atque vinctus et de patibulo pendens etiam pernegat. Huc usque delirantem derident Angeli, subsannant Seraphim, Cherubim traducunt, ipsi insultant montes, quo Creatori obtemperant; maria, quo ejus ductum sequuntur; terra, quo jubenti non resistit; cœli, quo ejus gloriam loquuntur. Tantum-ne audes lutum, unde pereas, ut Conditorem tuum neges, quem mundus universus profitetur?

III. Omnes sectarii scindunt, et commune faciunt nomen indivisum et singulare; et alius quidem inde Deum quemdam excogitavit, quem adversarium et peregrinum nominavit; alii vero ejusdem symmistæ, derivata pariter ab eodem unico principio sempiterno nuncupatione, duo principia commenti sunt ab invicem dissidentia et contraria. Interim ego tuam, Domine, potentiam celebrabo, quæ substantias quidem cæteras indito strinxit compede, animos vero solutos reliquit. Porro si qua alia existit vis, huic animorum motus ciere non licet; ii enim sui arbitrii motus in potestate habent. Tu vero, qui ejusmodi vim astruis, experire prius utrum quæ cernis ligata solvat.

SERMO CXLI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS L.

I. Convictus erubuit Marcion seductus ipse et seductor. Fateri cogitur Summum esse unum, nec habere secundum, qui factis suorum nominum dignitatem tueatur. Nec enimvero ab eo alius quispiam nos creat et alit; punit, et miseretur; castigat, et non deserit; sospitat, et extinctis spiritum refundit, cujus judicium æquissimum sit, pietas liberalis et gratuita. Similiter rubore suffusus conticuit Bardesanes; falsus ipse gregales fefellit suos, plures commentus legislatores, supremæ potestati detrahere ausus est, nec stupidus advertit unam esse veritatem, etsi in suis legibus se multiplicem exhibeat, in suis sententiis latissime se explicet, in suis benefactis magnificam se præstet, suisque in judiciis maximam; individuam nihilominus esse et plane singularem. Telo confossus eodem succubuit Manes, eadem fere correptus lue, qua et suos infecit alumnos, docens ab esuriente Deo cæsarum bestiarum carnes quondam appetitas fuisse. Atqui ignis ille cœlestis, qui hostias consumpsit per deserta vagantis populi, docebit fidei contemptorem victimas a bono Deo depostulatas fuisse eo consilio, ut populum ipsum legitimorum sacrorum objectu a sacrificiis dæmonum prohiberet.

II. Confusi pariter Judæi obmutuere, quippe qui finem legis inspicere et causas assequi minime studuerunt; sed ejusdem vim solvere aggressi, nuda duntaxat verba attenderunt. Adeo piguit rectæ rationis fornacem adhibere ad

excernendum ab errore verum sensum Scripturarum. Consulendum adhuc etiam Manethis familiæ, ejus confracta membra obliganda sunt. De tonitruis et fulgetris Sanctum ad iram usque modo provocant; aiunt ejusmodi aëris passiones amatorias esse voces cujusdam Archontis, puellam nescio quam otiose suaviterque contemplantis. Sic nempe sunt, ut ex nubium fragore, unde eorum pectora disrumpi consentaneum foret, ut inde sui languoris aliquod levamentum haberent, occasionem arripiant ad concitandam adversus se Dei indignationem. Tonitrua pudicitiæ præsidia sunt, adeo ut salacissimus quisque, eo sonitu conterritus, meditati flagitii cogitationem abjiciat. Quis ergo adeo insaniit, ut tali tempore amatoria tractet? Talium consuetudinem cavete, fratres, neque vobis externa species imponat; generis sui auctor serpens hunc ipsis suo veneno colorem induxit.

III. Perge porro, etiam Marcionis domui prospiciamus; scilicet hic est, qui suis in libris Puro et Sancto crimen objicere ausus est, scribens Deum creatorem objectum nescio quod pectore tenus nudatum vidisse, flagitiumque meditantem eo versus convertisse se, quare nec ex proprio ingenio, sed ficte et simulate populo in Sinaï monte castimoniam commendasse. Atqui si ille nunquam non studuit impuros Hebræos pudicos efficere, quam oppido eum castum sanctumque fuisse oportuit? Rursus naturalem Spiritus super aquas incubationem aliam oppido diversam interpretantur atque admodum turpem. Insuper Deum peregrinum in Dei creatoris exitium perpetuo incumbere fabulantur. Fugite, fratres, ejusmodi hominum colluviem, neve deinceps vos fallat illuvies, quam extrorsum ostentant; umbra nimirum est sordium, quas introrsum clausas celant.

SERMO CXLII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS LI.

I. Bonus, qui bona promittit lætabilia et jucundissima, qua putas ratione ductus gravissima et horrenda mala minatur? Etiam sic est medicus namque sapientissimus, qui non ignorabat varia et diversa medicamenta pro morborum qualitate adhibenda esse, suavia lenitudinis pharmaca, aspera disciplinæ remedia composuit, unicuique ægroto congruentem medicinam facturus. Cum igitur populus ille, futurus Christi interfector, maledicentiæ scabie et arrogantiæ simul inflatione laboraret, animadvertit statim divinus Medicus ejusmodi ægritudinem antidotum esse doloris et ignominiæ metum. Minas itaque protulit, disciplinæ videlicet caustica, ratus acribus utendum remediis ad extirpandos morbos ab usu liberi arbitrii contractos. Quocirca Esaias [1] in suorum oraculorum libro, Hebræos ubique exagitat, terretque horrendis præsagiis. Insanabiles dicit evasisse morbos, et ultra modum provectam fuisse eorum adversus Deum contumaciam, propterea que beneficiorum ejus copia fore mulctandos, immedicabiles ægrotos esse, quorum vulnera latius in momenta serperent; perennem quippe esse fluentis tabis scatebram. Philisthæi [2] certe saniore consilio, cum in anu mulctati fuissent, confestim opportuna malo remedia quæsiverunt, quibus adhibitis etiam depulere morbum; languores medicatura suos attulere munera, petitæ curationis pretia Deo insidenti in arca Testamenti sui, esto sibi minime conspicuo.

[1] Isaï. xiv, 6. — [2] 1 Reg. v et vi.

II. Aliam inire viam placuit optimo Medico Medici absconditi filio. Is siquidem pro sua benignitate sibi designatam a patre legationem suscepit, et in terras descendit humano generi laturus opem, tum maxime Hebræorum populum afflictum relevaturus, thesauros suos aperuit, egentium inopiam suorum donorum copia sublevavit. Sic optimi Medici cura respirarunt ægri, qui tamen accepti beneficii immemores crucis supplicium benefactori rependerunt. Cæterum ulcus tale erat, ut nullo modo obligari posset, aut ulla arte coalescere; nam et affectis membris bonus Medicus balsama liberaliter infudit, incassum tamen, sanies inde copiosior scatere cœpit, vicit artem morbus, ipsis exasperatus remediis. Curationem nihilominus ille continuavit, nec ideo cessandum putavit: diu duravit ibidem, nec ullum remisit tempus, nec ullam prætermisit medicinam, contentionem non relaxavit, dissimulavit defatigationem, requiem non admisit, descendit, inquam, obumbrata tantisper majestate, qua abdita quæque et remota comprehendit, populum clementer tractavit errantem et socios in errorem trahentem, sibique nihilominus indita ab externo cultu spe mirifice blandientem: aspera lenibus temperavit, quo medicinam æger haberet efficaciorem, latentem languorem expugnare orsus est, etsi non ignorabat populum suam amare ægritudinem; æger nimirum erat qui sanari nollet. Et luxata quidem coagmentantur membra, et coëunt ulcera; at ægram voluntatem persanare opus summi laboris est, debet ægrotus medentis voluntati se tradere, si pernosse velit quantum ille in arte excellat sua.

III. Pravus corporis habitus quandiu latet, difficillime curatur; insidiosus est et fallax; medico non semel imposuit; lethifer morbus occulte serpit, invasit cor, extrorsum integer introrsum contabuit æger. Hoc significabat Dominus, quando Judæos sepulcris dealbatis similes esse affir-

mabat[1]. Qui quidem pro sua bonitate salutis thesaurum cunctis promiscue patere voluit, edixitque omnibus, ut pro ea, qua quisque pollet potestate eligendi quod velit, antidotum sibi congruentem acciperet. Medicus quippe est qui nostris neutiquam lætatur in malis, quare nec molestas sectiones probavit, nec acerba caustica præscripsit; mitissima remedia ad sananda vulnera ñostra composuit et exhibuit. Et sane si ille Bonus nec assuetus terrere minis, nec turbare quemquam, ægrotis quantumlibet protervis sævas incisiones decrevisset, potiones injucundas, et diras ustiones, servi sibi legem fecissent Domini exempla, decernentes duro deinceps veritatis ferro, et severitatis asperis remediis curandos esse peccantes.

IV. Hic Marcioni exoptare liceat pœnam maledicis a Domino denuntiatam, ex quo Creatori suo obtrectare ausus est, impie garriens curationem, ad fugandum maledicentiæ morbum inventam, sibi præter jus fasque adhibitam fuisse; et quoniam Chirurgum repulit, ex eo languore nunquam convaluit, plagam quam acceperat secum abstulit moriens, imo ad posteros transmisit. Sic a Domino comminata lues Bardesanem etiam corripuit septenorum principiorum repertorem : malum, quod veritatis ferrum dolaverat, intulit garrulo sophistæ, qui signa zodiaci prædicavit, et observavit horoscopos, septenaria laudavit, et captavit horas, septem accepit plagas, suisque alumnis ex testamento transcripsit.

V. Sceleratus Manes omnes in se uno coëgit pestes a Domino denuntiatas; quippe qui ab Auctore suo defecit, et Sancto impie detraxit, ausus opprobriosis appellationibus ejusdem violare majestatem; quin et furiis agitatus iisdem in Mosen et Prophetas insiliit, et contumeliosis impiisque dictis invectus est, dumque piam Medici manum

[1] Matth. XXIII, 27.

recusat, concidit; nemine ejus commiserante casum, suum portavit judicium, et decessit; morbi hæredes scripsit nepotes. Nec vero minus dira Dominus minitatur iis, qui claves occultant, prohibentque parvulos ab aditu salutis, quem, patefacto ostio, veritas venientibus offert, mox beatæ etiam vitæ usuram collatura : perditos hujusmodi homines, et ad quodlibet audendum projectos, per avia errantibus similes puta, quorum errore in fine maximus justo criminum Vindici ingentem materiam dabunt; pœnam siquidem ab iis duplicem repetet, quod sibi, quodque plurimis exitium attulerint.

VI. Vides ut simplici animadversionis denuntiatione morbos cohibuerit depuleritque; Medico videlicet mitissimo asperas adhibere sectiones minime allubuit. Quin etiam sermones admiscuit ad ædificationem audientium compositos, curationem accipientibus læta proponens, tristia respuentibus : incassum tamen omnia; stultissimi quippe homines aliquam alicubi sibi impensam fuisse curam plane negarunt.

SERMO CXLIII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS LII.

I. Bardesanes adhuc premendus est ut fateatur hominem nulla ex tribus, quibus constat, formis posse privari, quemadmodum nec igni quis adimat formam, quin ipsum ignem extinguat; adeo necesse est homini constare partium numerum, dum vita constat; sic enim illum natura coagmentavit ex triplici, ut dixi, forma. Scitum est canem

heriles amare fores, quandoque tamen ventris vitio et gulositate incitatus, discessit ab ingenio, et nativam indolem exuit. Et nunc mutorum quidem canum ingens numerus est, nec minor eorum qui domesticis allatrant. Custodes gregis opitulantur lupis, adeo pecori infesti sunt, postquam assueverunt in caulas irrumpere, et oves agnosque rapere.

II. Excessit Marcion domesticis exactus furiis; Manes autem etiam a seipso discessit: ambo, relictis gregibus, lupis adjunxere sese; mox, facto agmine, cum latronibus furibusque adversus pastores concurrerunt; sic se suique Domini limina funestarunt, cujus etiam notitiam delere laborant et nunc vacua prædonum spelæa occupant. Postquam grassatorum antra Christi Ecclesiæ antetulerunt, palabundi cæcorum more errant, ut facile sit suismet ratiocinationibus delirantes revincere. Homines vesani et furiosi ab avium ovis exempla petunt, dumque per cæcos tramites fugam ab aspectu veritatis moliuntur, in ejusdem ædem, facinorum et sceleris vindicem impegerunt, continuo deprehensi meritas dedere pœnas. Interea vero dum Justo proprii capitis commentationes objiciunt, objecta idem retorsit in auctores, suisquemet rebelles confodit telis.

III. Primus Marcion, dum divina sceleratus petit, vinolentorum et furentium more verba minime expendit, mero quippe plenum mentis destituit sensus. Suis dictatis sumptas a rebus factis similitudines rebus creatis immiscuit, tractatum de rebus divinis a glumis et ovis exorsus. At quis homo sit iste, qui Boni arcanum factarum rerum in imagine repræsentare cogitavit? Næ ille vel hoc ipso indicio explodendus venit, quod divinum Opificem suo cum opere composuit. Sua protervos exempla refellunt, corpus ovo comparant, pullo animam; nec examinant ossa et

carnem ex ovo existere. Verius ista soli proposita natura explices; clausum quippe intra terræ sinum corpus exanime, animam olim sub Christi adventum resumet, tumulum terramque findet et evolabit.

IV. Quanquam ea comparatio etiam aliunde labascit; binas siquidem pullus sortitur generationes, alteram a coitu, ab incubatione alteram; venter a concubitu concipit fœtum et parit, citra concubitum terra, avium videlicet more, et hunc in modum eadem corpus olim in resurrectione regenerabit. Ergo age videamus quonam symbolo Salvatoris nostri factum exponant; etenim si ille corpora secuit, indeque animas exclusit, hanc sectariorum comparationem Dominus facto suo laudavit. At si sepulcra velut ova rupit, indeque extracta corpora suscitavit, plane adjudicavit nobis Dominus noster coronam victoribus propositam, quandoquidem sua similiter putamina semen humi deponit. Aliam adhuc proferunt comparationem. Spicam et aristam dicunt esse corpus. Audis-ne perturbatæ mentis ratiocinationes, imo delirantium nugamenta? Quin corpus comparant grano frumenti, quod natum, ut dixi, putamina in terra relinquit; sed duo, quæ dixi, inducunt symbola, neque vident quod si spicæ, vel glumis corpus comparant, idemque rursus cum arista componunt, inepte loquuntur, nihilque explicant non ambiguum ac dubium.

V. Sed perge, et propositam comparationem expendamus; eo namque trahemus, modo nos illa sequatur, unde cuinam rei aptanda sit, ipsa fateatur. In seminis putamine velut in speculo expressos habes humanos affectus, libidinem, iracundiam, odium, quippe qui corpora nostra vitæ usuram repetentia minime sequentur, sed quasi putamina excussa intercident: quod ergo vides olus Adamo escam datum ab ejus interitu futurum ejusdem reditum semper

testabitur. Dum autem olerum proventum cernis per omnia tempora tempestatesque traduci, cogita id fieri, ut hunc orbem intrantibus in ipso velut limine occurrat, uti mortis, ita resurrectionis documentum; adeo certum est generis Adæ propagationem tum vero tandem desituram, cum protoplastæ coætanea soboles depositas corporum suorum exuvias resumet.

VI. Ova inexperti mortua deputant, mortua tamen non sunt matri ovis suis in nido positis incubanti; extincta hominum corpora vita carere credunt, qui fidei lumine carent; vivunt tamen intra sepulcrum ei, cui omnia vivunt; adeo videlicet miseri delirant, ut neque tanti æstiment illapsum Boni potentis imperare mortuis quibusque rebus celerem ab obitu reditum, quanti ducunt avis imbellis alas. Tria in generali corporum restitutione coibunt, et coalescent in unum, anima, mens, et ipsorum cithara corpus: mens in capite sedet, ejusque sermo in ore; et anima in medio consistens cum utroque omnia communicat: nomina audis diversa. Cæterum non uti facile est eorum significationes pernoscere, sic pronum est persequi facultates.

SERMO CXLIV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS LIII.

I. Ego, fratres, sic mihi persuasi unum esse et unicum principium sempiternum, hujusque semper in fide fui; qualis autem idem in se sit nemo perfecte assecutus est, sed nec assequetur, etiamsi per omnem ætatem omnem operam in ea commentatione ponat; expertus id tandem com

periet plurimum adhuc superesse sibi perquirendum, nullumque ex præterito labore percepisse se fructum, nisi ut non ignoraret Deum esse. Quæ cum ita sint, mirari subit tantam sociorum multitudinem illi vere uni et maxime singulari adjunctam fuisse ab eis, qui tametsi puram religionem abdicarunt, nostri nihilominus fratres sunt, ut qui per unum omnium nostrum parentem Adamum nobis agnatione sunt conjuncti, et communi matre Eva editi sunt. Attamen etsi de eodem luto ficti sumus omnes, nos longe præstantioris vitæ auctorem habemus, cujus stirpe nati a cunctis sanctæ fidei desertoribus discernimur.

II. Præstat hic illorum exitiosa decreta referre : ridebunt profecto insanas hominum voces aures divinæ veritatis tritæ vestigiis, quæ si a suo introitu ostia clausit et obsignavit, id nimirum egit ut, quod infinito odio persequitur, mendacio omnes aditus ad sua castra præcluderet. Sed quandoquidem id cogit charitas, audire vos tædere non debet, quæ vesanos homines effutire non puduit. Finxere primum plura principia contraria, seque mutuo collidentia, in quorum censum duxere stellas, tum præcipue astra, quæ signant solis lunæque vias. His de rerum origine præmissis, corpora nostra ab eo, quod malum principium appellant, compacta fuisse docuerunt, negant autem ea post casum aliquando resurrectura ; animos vero a septem principiis existere et produci. Reliqua illorum dictata narrare piget, ne longius excurrat oratio absque ullo operæ pretio, cum ea dudum in suis disquisitionibus exposuerit Bardesanes. Quanquam ut erat hominis ingenium tortuosum et multiplex, absona et absurda stylo concentuque suavi mollire studuit. Odas idcirco ad hunc scopum composuit, induxitque novos modos, et ad metrum numerumque orationem exegit. Hac scilicet arte sibi utendum judicavit callidus veterator, ut venenum melle dilutum incautis tute propina-

ret, quandoquidem salubriores cibos stomacho laborante fastidiebant; Davidem sibi imitandum proposuit, quod confideret ab exemplaris dignitate sibi multum splendoris accessurum, operæque ex ejusdem imitatione pretium et commendationem.

III. Scripsit itaque Psalmos quinquaginta supra centum; Prophetæ sententias suppressit, expressit numeros; neque enim Davides apostatarum carmen cantavit, quorum cithara mendacio servit, vel usquam nominavit, quam laudat Bardesanes, substantiam sempiternam; noverat quippe principium rerum unum esse; hoc profecto nomen omnem a sectariis superinductam Æonum nomenclationem evertit. Etenim si paria sunt propria rerum nomina, naturas sequitur esse pares. Adeo, fratres, illorum doctrina suomet onere fatiscit.

IV. Hic porro observate quantum caverit Bardesanes ne coæquare videretur substantias, quas tamen æternas appellat, ut inde intelligatis ejusdem imprudentiam, quando earum nomina æquare non dubitat. Sapientibus certe utrinque imminet periculum, uti enim nefas est æquare naturas, ita nomina confundere crimen fuit. Sed cum hæresis suis fautoribus locum negaret, ut adhibito examine causam cognoscerent, neutiquam adverterunt, quod si omnium Æonum unum affirmarent esse commune nomen, et omnes eodem certo et proprio vocabulo appellarent substantias ingenitas ac sempiternas; ex hoc ipso sequebatur unam pariter cunctorum esse naturam; unum enim esse necesse est, cujus nulla causa fuit, quod tamen sectarii plane negant; restat igitur ut fateantur unum et singularem esse Æona, id est, substantiam sempiternam, qualem ipsemet ubique se appellat ille, qui nomine et re est Sempiternus, cujusque, fratres, opera sunt res omnes factæ, quarum esto vocabula consonent, earum tamen na-

turæ Creatoris arbitrio varia frequenter sortiuntur discrimina ac differentias; at vero substantias, quarum causa Creator certe non fuit, quis distinxit et discriminavit? quisve copulavit et confudit? quis natura dissimiles fecit, nomenclatione pares?

V. Moses suo testimonio litem diremit, postquam intel leximus Deum, et si alia aliis nomina sua attribuerit, proprium tamen certum et singulare nomen Æonos nemini nusquam communicasse, ut videlicet inde eximiam ejus benignitatem, hinc sempiternæ ejus naturæ numen apprehenderemus, ac neutrum ignorantes, pie sancteque fateremur utrumque. Porro Mosi manifestavit nomen suum, quando ipse se « Qui sum » appellavit, quod vocabulum ab essentia fluit, et velut certum ac proprium nomen suum illud commune fieri nunquam sustinuit, esto reliquas nomenclationes ad alios bene multos derivasset; satagebat quippe eo incommunicabili nomine nos docere ipsum se esse « Qui est, » talem extra illum neminem.

VI. Sed enimvero cum omnia Dei nomina ob ejus majestatem augustissima sint, et omnium sermone celebranda, hoc unum, quod ad singulare decus essentiæ suæ sibi seposuerat, ipsi invidit diabolus; quare puræ religionis proditores concitavit, induxitque ut suos Æonas sempiternæ ejus naturæ omonymos fingerent. Sic nequissimus veterator communia Dei vocabula simulacris accommodavit, propriumque Divinitatis nomen ad Æonas transfudit.

SERMO CXLV.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS LIV.

I. Cum elaboratas a quodam hujus disciplinæ alumno disquisitiones percurrerem, substiti paulisper in his verbis: «Intelligentiæ Seraphim naturæ sempiternæ proprietates non » attingunt.» Hæc una thesis, (sic mecum cogitabam) si qualis ab ipsis sectariis hic proponitur, talis in omnium aures divulgaretur, haud dubium est quin reconditos illorum sensus propalaret, et hypothesim everteret, cum facile sit vel capite ex hoc uno omnia ipsorum commenta refellere. Etenim si propria substantiæ sempiternæ persequi non possunt, unde sibi nam eam arrogent scientiam, ut audeant componere naturas dispares, dissimiles, et genere disjunctas, easque describere et definire? Aiunt quippe una omnes conjugari natura, singulas tamen distinctis coërceri finibus. Atqui si naturæ ingenitæ, eo ipso quo principio carent, pervestigabiles non sunt, næ qui talia obtrudunt, rem non explicant, sed fabulam narrant, dictaque dictis contrariis revellunt.

II. Rursus asserunt humanum animum, a substantiis hisce ingenitis constitutum, huic tamen propriam substantiam manere usquequaque ignotam, suas etiam naturales facultates et operationes incompertas esse. At vero si quæ sua sunt animus non assequitur, quibus confisi præsidiis oberrant circa illam summam substantiam, ut eam fixo etiam limite definitam esse fidenter affirment? Idem scilicet ipsi et stringunt nodos et solvunt. Unum laudant, cujus excellentissimam præstantissimamque naturam pervestigabilem

esse negant, et huic conjungunt substantias quasdam ipsi quidem coævas et ingenitas, quæ tamen humanæ mentis aciem minime fugiant. Sic illi garriunt, quasi vero nec verum nec indubitabile sit, nomina rerum modo certa ac propria sint, rerum naturas exprimere, cum nomina sint definitiones rerum; unde plane sequitur, si talium quidem substantiarum unum sit nomen, naturam etiam fore singularem et unam. Hinc unam omnium hominum speciem dicimus; quia videlicet uno omnes signantur vocabulo: tutoque credimus unam esse Angelorum substantiam, ex quo supernis illis spiritibus unum nomen inditum est; propterea que nec disparilem esse animarum constitutionem; sic omnis progenies stirpis suæ cognomento censetur. Quanquam si alia quædam nomina audiuntur rebus accommodata usquequaque dissimilibus, id porro a libera Conditoris dispensatione manavit; ille suis sua nomina communicavit servis, deosque atque dominos appellavit, deque Filii sui nomine filios adoptionis et gratiæ nuncupavit, et Spiritus sancti vocabulo incorporearum substantiarum genus decoravit. Ubi vides naturas plane dissimiles ac dispares, eadem nihilominus ornatas appellatione, ut nimirum Conditoris benignitatem laudarent, simul adorarent majestatem.

III. Nunc vero quærendum est a sectariis quisnam illius sempiternæ substantiæ vocabulo Æonas cohonestavit, et siquidem hujus appellationis auctor est qui semper fuit, id gratiæ deputandum; sin autem quispiam alius; quis ille? Domino nempe suo subdolus servus surripuit nomen, quod Æonibus allineret; is profecto herum non amat. Sectariorum istud commentum est vocabulum sine re, nomen inane: Æonas finxere, clepsere vocabula: nomina sunt aliunde derivata, et ad perturbandas hominum mentes composita, cum Dominus rerum omnium unus sit. Tu vero

magnifica fontem, unde gloriosæ fluxere nomenclationes. Et quoniam sua ab ipso nomina avelli non poterant, error liberæ voluntati suggessit, suasitque ut ad propria somnia adoranda nomina traduceret, unde sibi diabolus adorantium obsequia aucupabatur.

IV. Tu autem Deus meus, quia gloriæ nostræ non invides, cum erga nos benevolus et beneficentissimus sis, homines deos appellare a tua dignitate haudquaquam alienum putas; et quia Dominus et facilis et benignissimus es, dominos vocare non dubitas; quoscumque vero tali honore dignatus es, amplissimos inde consecuti sunt honores; quicumque vero, te inconsulto, tuum nomen sibi arrogarunt, explosi sunt, eorumque improbitas et impudentia deprehensa et repressa est.

SERMO CXLVI.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS LV.

I. Oro vos, fratres, pro Bardesanis alumnis propitiare Deum, ut eorum tandem insaniam seu furorem cohibeat; pueri sunt, quæ sua fert ætas loquuntur. Inexplicabile quoddam imaginantur, quod a Patre viventium delapsum in terras descendit: ignotam prolem concepit inde Mater, natum Viventis filium appellavit. Apage ista, sanctissime Jesu, a tuis, qui tuum pernovimus Genitorem et prædicamus. Hunc porro omnium rerum Dominum, quem secta tamen eo asserit impotentem, ut plane nihil valeat procreare, aut generare, aut producere, fingit substantiam esse quamdam natam ex concubitu duorum principiorum, corpo-

rum ad instar coëuntium. Usque adeo insaniunt, ut talia de Domino effutire non dubitent. Atqui si nec ejus quidem corpus duorum corporum coitu generari decuit, ea est ejus puritas, quid inde censes? Annon corpore purior sit divina illius natura, lumen scilicet de lumine manans?

II. Nunc vero erit-ne aliquis qui obfirmet aures et frontem, nec erubescat audiens insanos homines jactantes Spiritum sanctum geminas generasse puellas? sic enim Spiritum sanctum suis blandientem filiabus inducunt: « Quæ te nascendo proxime subsecuta est, mihi filiam, tibi » sororem habeto. » Nam cætera piget retexere quæ in ejusmodi prolis conceptu gesta narrantur. Tergat, oro, os meum, Jesus, qui dum refero illorum arcana, linguam contaminasse meam videor. Geminas, ut modo dicebam, sorores a Spiritu sancto genitas affirmant, et alteram quidem terræ attulisse, unde incestaretur; alteram vero aquæ, unde imaginem quamdam exprimeret. Jam intelligitis qualia veteratores absurda nobis obtrudant. Etenimvero si neque malignorum spirituum speciem exhibere sufficit aqua, quis, quove censes, rapuit furor dementes, ut dicerent hoc elemento ipso Spiritus sancti repræsentari naturam, sensibus minime subjectam, imo nec a supremis intelligentiis comprehensam? Ipsa Bardesanis verba recino ex ejusdem canticis, ubi Spiritum sanctum sic affatur: « Quando nobis tuo accumbentibus epulo intueri licebit convivas, et illam puellam, cui tuis in genibus assidenti blandiri soles, cantuque » mulcere tuo. » Consonant quæ suis disquisitionibus sparsim interserit poëta furiosus et lascivissimus, ausus etiam augustissimum nomen Spiritus sancti, ipso sole splendidius, suis versibus obscurare. Plura non addam, cum ad arguendam eorum impudentiam satis habeamus ea, quæ apud ipsos in clandestinis conventibus canuntur, ubi inducitur fœmina quædam suam lamentans solitudinem hoc versu:

« Deus et rex meus, siccine me solam dereliquisti? » Scilicet, cum poëta dicti turpitudinem erubesceret, tegere cogitavit conficta larva ex verbis Domini similem exclamationem ex divinis Psalmis usurpantis : « Deus Deus meus, » quare dereliquisti me[1]? »

III. Etsi Bardesanes, cui subscribunt ejus discipuli, sacram historiam a Mose se accepisse fateatur, levem tamen ac futilem existimat, dum scribit : « Sedes deliciarum ea est, » cujus portæ matri rerum patuerunt præsidis mandato, » et Paradisum in regione nefanda situm fingit. Primus tamen Pentateuchi liber talium fabularum absurditatem velut objectum speculum repræsentat et redarguit. Item consecratum Sancti Paradisum rejicit Bardesanes, laudat alium, in quo quisque sanus erubescat, illum videlicet, quem dii quidam geometræ architectati sunt : Pater et Mater rerum suo concubitu sata ei dederunt, plantas passibus. Ubi talia somniantibus occurrit ex adverso Moses. Næ ille ista non scripsit! Sacræ Litteræ alia narrant, et hortum deliciarum in regione Eden a Domino consitum fuisse referunt et describunt. Deinde Moses unum indicat Paradisum, isti geminos fingunt, et a diis geometris conditos fuisse mentiuntur; ubinam autem loci statuerint nec dicere fas est. Scilicet serpens, qui Adamo ex arbore fucum temperaverat, composuit Bardesani ex historia Paradisi fabulam.

IV. Solis lunæque meatus admiratus, hanc rerum matrem imaginatus est, illum patrem : deos deasque distinxit, hisque longam sobolem adjunxit, sacra divinaque omnia pleno ore traduxit, laudavit quæ sibi finxit numina, ea solemni formula salutare solitus : « Domini mei, » aiebat, « cœtus » deorum avete, » adeo ut nec talia resonis iterare vocibus vereretur. Machabæi fratres, cum apud Judæos in acie cæsos recondita simulacra gentium reperissent, preces et hos

[1] Psalm. XXI, 2.

tias pro defunctis obtulerunt. Vos autem Boni pia proles, hunc, oro, pro Bardesane propitiamini, qui cum prisco gentium errore decessit, Dominum in ore, dæmonum legionem in corde ferens.

SERMO CXLVII.

ADVERSUS HÆRESES POLEMICUS LVI.

I. Suo Bardesanes pecori propriam impressit notam, suumque dixit gregem; Manethis nomen affictum sibi secta nunc quoque circumfert. Direptæ pecudes infami nota signandæ fuerunt : nostri Servatoris oves ab ejus nomine Christiani audiunt; ipso quippe vocante, in unum coaluere gregem. Manes, atque Bardesanes postquam ecclesiarum thalamos incestarunt, vulgari mœchorum arte mutavere nomina; sua intruserunt, postquam augustissimam sustulere nomenclationem.

II. Christi Sponsæ Sponsi sui manere nomen sanxerunt Apostoli sponsores nuptiarum et veritatis assertores; suum videlicet ille voluit imitari patrem, qui Hebræorum populum Synagogam Domini a Mose nuncupari præcepit. Moses itaque, cujus auctoritatem sancit, quod emicat ex ore jubar, sectariorum audaciam retundit; nec enim ille suum gentem suam celebrare nomen passus est, sed Domini populum appellandam statuit. Prophetæ exemplum secuti, cum divina responsa referrent, Domini Deique nomen oraculis præmittebant; nec ullus quispiam illorum ausus fuit proprium intersercre vocabulum. Uti vero Prophetæ Dominum, sic Apostoli Jesum præfabantur.

III. Quid dicam? omnem-ne eos exuisse pudorem? omni-ne verecundiæ sensu caruisse? quando suis scripturis hominis nomen præfixerunt, audiebantque scribam suppressa veteri formula: «Sic dicit Dominus Deus exercituum:» lectionem his inchoare verbis: «Sic dicit Marcion, ille videlicet furiosus, aut Manes, aut Bardesanes.» Quid multis? cum hæc sola contaminatissimorum hominum commemoratio talium conventuum dedecus et infamiam abunde declaret. Adeo-ne nec Apostoli reveriti sunt sententiam damnantis dicentes: «Ego sum Cephæ[1]?» Quod si Cephæ nomen oves recusare debuerunt, tametsi Apostolorum is esset princeps, et clavium potestatem accepisset, gregisque pastor haberetur, qua execratione quam dira dignus censendus sit, qui oves non suas suo nomine nuncupare minime veretur?

IV. Vos itaque appello oves, agnos, pecus omne a sectariis direptum. Ehodum foras exite, adeste huc, furumque notas, nominaque palam abjicite, atque signatam augusto Dei nomine notam suscipite, ut Christiani deinceps audire velitis, et cum Christi signo et nomenclatione usquequaque in ejus gregem transeatis. Alioquin cum ratum sit nemini fas esse in nomine cujuspiam hominis baptizari, indeque sibi assumptæ religionis cognomentum asciscere. Cumque æque certum sit eum, qui id fecerit, ipso facto suo devinctum teneri in eodem nomine, quod assumpsit, sacro etiam fonte expiari, plane conficitur, ut quoniam hominis nomenclationem ambitis, hominis etiam baptismum cooptetis, vel si Jesu Christi nomen petitis, etiam baptismum suscipere statuatis.

V. O te beatam Christi Ecclesiam! integram et labe purgatam te prædicant omnium ora gentium: tu sordes et lutum Marcionis eluisti, et dissipasti flagitiosas et impias

[1] 1 Cor. 1, 12.

Manethis opiniones : tu spurcissimi Bardesanis putida mendacia, atque Judaicæ culinæ nidorem diluisti : tuum Dominus tuus imperium amplificet, ac remuneretur fidem. Quod nec insani illius Marcionis retines libros, neque deliri Manethis scripta volutas, aut codicem execrandæ mystagogiæ Bardesanis habes : gemina duntaxat Testamenta, Regis, Regisque Filii, tua recondit arca.

VI. Sed tu, Domine, ne, quæso, patiaris labores pastoris tui sua mercede fraudari; nullas in grege tuo concitavi turbas, lupos quantum in me fuit avertere sum conatus, pias commentationes quasi caulas tuis ovibus construxi. Interea dolores me cruciant, terrent me delicta mea, tua clementia me recreet. Næ tu rudem ac tardum discipulum erudiendum accepisti, ut etiam baculum pastoralem jubeas tenere, præparare medentium pharmaca, arma inquisitorum expedire, et cum simplicibus hominum congressus et societatem fugere. Eho, Domine, vas tuo munere plenum exundat; vile est, hoc idem fatetur; gratiæ tuæ fluxum siste, precor.

SERMO CXLVIII.

ADVERSUS HÆRETICOS, IN QUO, TUM EX MARGARITÆ, TUM EX ALIORUM CLARIS ARGUMENTIS OSTENDITUR CREDENDUM ESSE SANCTAM DEIPARAM PRÆTER NATURÆ LEGES DOMINUM AC DEUM NOSTRUM PRO MUNDI SALUTE ET CONCEPISSE ET PEPERISSE.

I. Amo et exosculor tuum Evangelium, Domine, quia me esurientem nutrit. Desidero sermonem tuum, quia, dum sitio, fontis instar mihi fit. Quoscumque volo, ad tua fercula convoco: et plura relinquo quam invenerim. Cum multis comedo, et solus invenior. Bibo cum multitudine, et soli mihi tuam propinas gratiam. « Quid igitur tibi re» tribuam [1], » nisi meipsum in consensionem atque concordiam? Et hoc quidem volo, sed nequeo. Nam Adam pater meus debitum naturæ a me repetit. Conor, et ipse me impedio: quia solutionem quæstionis, quæ in me est, non habeo. Aliis, quæ naturæ sunt, recenseo; et ipse me pravis affectionibus impedio. Video me errare, et cognosco: in aliorum vero reprehensionibus meipsum accuso. Sed quid? tacebo-ne, ut non condemner? Et qua ratione meum erga te studium et amorem ostendam? Loquar igitur, nec desistam: malo enim meipsum damnari, modo tuus minister efficiar. Malo etiam mori, ut tu glorificeris. Novi quod haudquaquam condemnabor, abstinens a reprehensionibus in eos, qui peccant: ât non desino id facere, ut

[1] Psalm. cxv, 12.

te insontem nullaque peccati labe inquinatum demonstrem. Cognoscant Græci amoris vim atque potentiam. Judæi amicitiæ intelligant affectionem : quia absque igne et gladio aliisque tormentis mortem pro te eligo. Fortasse hoc credent argumento, quia propter te fero mortem visibilem atque sensibilem. Sed forte dico, et non facio : vereor enim ne, te absente, vincar a natura.

II. At mihi saltem persuade, quia laborantem me adjuvas : et Græcos in eam sententiam adducam, quod supplicium tolero. Certiorem me fac quod mei patientis miserearis : et jam nunc ad luctandum me accingo. Exuo me cum lictoribus et satellitibus Græcorum. Jam enim tuba Græcos volentes ad bellum evocat, et in Persas e Græcia discursitationem compellat : ac minæ ab occidentalibus supplicium in nos retorquent. Pertimesco, quia peccatores odisti : at rursus gaudio perfundor, quod pro ipsis sis mortuus. Timore perculsus sum, quia homines sensuales atque carnales abominaris : at solatio mihi est, quod naturæ nostræ fragilitatem noveris. Nosti ut conditor, quod creasti; et ut judex, exploratum habes quod condemnes : ac ut homo factus, nosti quod cogitasti. Tu eam mihi immaculatam dedisti : verum pater meus Adam, multis hanc sordibus contaminatam debilitatamque reddidit. Sordibus nexuit delectationem vanitatis : et nunc ego invitus pœnam sustineo. Naturæ ipse corruptionem admiscuit, et ecce ego tempestatis periculum in mari facio. Miserere igitur mei, ut creator : compatere infirmitati meæ, quippe qui propter me homo factus es. Ne me repellas propter vitia atque perniciosas affectiones meas : sed dissipa et disperge eas propter impetum voluntatis. Neque ob sordes me adverseris, at operum sedulitatem intuere. Et licet me ex parte ob cogitationum turpitudinem aversatus fueris, verum in planctum meum respice, et in voluptatis condemnationem.

Habeo propositum : at nescio an etiam vires. Quod habeo, hoc elargior : et si ipse necessarium dare velis indigenti, mentem meam conspicis, quodque sim pauper, et a Dracone spoliatus. Infirmus sum, et a corruptione irretitus. Imbecillis sum, et a peccato in errorem impulsus. Donum tuum perdidi : et ideo perfectam prudentiam non habeo. Perdidi consuetudinem tuam; et idcirco quo vadam ignoro. Nihil ergo habeo; et siquid habeo, tu mihi illud dedisti natus. Extrema penuria laboro : quod si dives evasero, tuum est totum istud munus, et quidem nunc, et olim tuum est. Solummodo gratiam deposco, confitens quod per te servabor, siquidem servabor.

III. Novi quemdam divitem in Scriptura : verum prudens cum esset, teque nosset, pauperem seipsum appellavit [1]. Paupertatem ille sibi ascripsit, potentiam tuam respiciens; et quid ego dicam, aut quid cogitabo? Nostis autem et vos hunc hominem : nam parabolam de illo Evangelium vobis enarravit : quia omnis Sanctorum labor propter hominem susceptus est. Ait autem sic : « Dives » quidam erat, et absconditum in agro thesaurum sciens, » vendidit omnia, et emit agrum illum [2]. » Alius autem idem ob margaritam pretiosam faciebat. Quare utriusque diversitatem nosse, et cujusque vim solvere atque interpretari oportet. Nam duo ista unum sunt. Continet autem brevem interpretationis sermonem margaritæ sententia : ideoque illam cum primis exponamus.

IV. Margarita igitur pretiosa e mari est; magnæ autem æstimationis, eo quod inventu difficilis sit : non tamen cibum præbet, sed gloriam; neque potus oblectamentum affert, sed claritatem nominis. Multæ quidem pecuniæ pondus efficiunt : at illa gravitatem sublevat. Parva cum sit, magna potest; et ad portandum facilis est, facileque in

[1] Matth. XIII. — [2] Ibid., 44.

suum locum restituitur. Facile absconditur, sed difficile invenitur. Sic quoque est regnum cœlorum : sic etiam Deus Verbum, quod breviter et aperte magnam in se mysteriorum vim complectitur. Non proponitur ad manducandum; neque enim ad tempus duntaxat durat. Sed nec pauperibus est ejus usus : verum eorum, qui in cognitione atque scientia divites evaserunt, illius est perceptio. Nullus quippe virtutis inops, illo potiri potest : sed perfectorum est illius possessio. Reperiuntur gradus in loco excelso, per quos ad supremitatem quis conscendit : et in Evangelio similiter, eorum qui ad Deum accedunt, differentiæ sunt. Pauper es? Panis tibi pro consolatione paupertatis erit. Infirmitate laboras? Olusculo te reficit. Sic etiam ex jecinore et ictero morbo laborantibus sinapi et vinum traditur: aliis ut piscis proponitur, aliis frumentum, aliquibus falx putatoria; quibusdam etiam securis efficitur; panesque hordeaceos rusticioribus apponit, et gladium ad chirurgiam adhibet : quosdam flagellis ex funiculis cædit, virgis alios castigat, et faculis fatigat atque exercet.

V. Hæc et his similia pro gradibus habet Evangelium. Sunt autem ista in parabolis dicta. Divites quippe novit virtutibus locupletatos; pauperes quoque virtutum inopia laborantes; novit infirmos, et novit sanos in fide : novit fortes, et novit imperfectos in religione ac pietate. Gladio multos perimit, ab idolis rescindens, et a populo impietatem avertens. « Videt in abscondito[1] : » atque idcirco infert ignem, ut quod occulitur, in lucem proferat, et quod contra scientiam Dei extollitur, absumat. Cauterium adhibet iis, quibus lethali morbo membra depascuntur : et longe a communitate Ecclesiæ separat pestiferas affectiones. Inter ægrotantes est medicus : inter athletas, præmio-

[1] Matth. VI, 4.

rum distributor; inter adversantes, judex; inter iniquos, vindex; pauperum curator efficitur, et viduarum provisor. Adversus tyrannos rex est; et ad humiles, tanquam frater accedit. Peregrinis, ut familiaribus, occurrit; et inter orphanos, ut pater reperitur; ignoranterque maledicentibus, ut idiotam se exhibet. Hæc autem omnia præstat, cum unus idemque sit; quodcumque enim vult hoc potest, omnibusque utilia consulit. Propterea multæ sunt parabolæ: ideo quoque variæ virtutes; et in cunctis ipse idem, non diversus; sed sicut multarum chordarum lyra, diversimode omnibus sua commoda excogitat. Novi hominem, eumdem medicum et fabrum, ferrarium et ædium structorem, œconomum et agricolam, inspectorem et doctorem, argentarium et figulum, coquum et mercatorem, multasque alias artes callentem; verum in nulla earum artium cum versaretur, naturam amittebat. Quomodo igitur non multo magis Deus immutabilis erit, quamvis multa faciat, et diversa velit?

VI. Hæc porro dico, ut ne quis affirmet, sicut in una aliqua harum rerum, ita per figuram hominem apparuisse. Aliud enim natura, et aliud scientia. Aliud figura seu forma, et aliud hypostasis. Faber et agricola, figulus et gubernator, curator et rerum necessarium suppeditator, unus idemque est in his omnibus: non secundum quamlibet professionem gignitur, sed cum semel sit natus, meditatione deinde in singulis hisce artibus sese exercet. At qui natus est homo ut rursus hominem procreet, non id meditatione consequitur, sed natura illum perfectum reddit. Filius igitur Dei non per meditationem et contemplationem didicit apparere hominibus: verum per naturam assumpsit hominem ut fieret quod erat, et inter homines fuit ut homo.

VII. Adversus Marcionem hæc loquor, talia apud suos

nugantem. Contra Manem dissero, deteriora adhuc Marcione de naturæ humanæ assumptione sentientem. Margarita nobis in medium proponitur. Dicant hæretici undenam sit, et quomodo fiat. In ea thesaurum demonstrationis habeo : et pro Scripturis, illam adversariis debitoribus oppono. Dicant nobis quænam sit margaritæ generatio. Ostendant nobis figuram duntaxat ei esse, et non hypostasim. Novi quid dicant : sed et ego aliquam interrogationem faciam. Absque corporum (inquiunt) conjunctione qui natura genitus est, non potest esse homo; et siquidem factus esset, ut Adam, haberet hominis hypostasim. Cum autem ex Virgine sit natus, sine congressu viri, figuram assumpsit. Silebo equidem, o hæretici : habeo enim, qui vobis pro me respondeat. Ego quiesco : nam vobis pro me margarita loquitur. Edissere igitur quomodo nata sis. Tuam expone naturam, et hæreticos confunde : ostende substantiam tuam, et vanas frivolasque imaginationes destrue. Conchæ loquantur generationem margaritæ : conceptionem ipsius recenseant. Qui sub aquis sunt murices, fiant doctores hominum qui se in cœlo versari putant. A rationis expertibus, imo et ab inanimatis erudiantur, qui in caput saltantes, naturas cœlestium sibi exploratas perspectasque jactant : et ab iis quæ neque lege neque ritu utuntur, qui leges aliis præscribunt, legem accipiant. Hæresum enim dedecus probrumque non fero : quia rationem a Divina potentia repetunt, et modum divinissimæ illius actionis curiose nimis inquirunt. Rationem a Deo reposcunt, cum sint ipsi peccato debitores, quoniam animum intendere conantur in sationem et ortum ineffabilis naturæ : damnantque qui rei sunt Judicem, nescientes ipsi pro se respondere. Si incomprehensibile comprehenderitis, non jam amplius incomprehensibile erit : et si quod divinum est intellexeritis, non amplius erit divinum, sed commune

quoddam. Si in «ignotum Deum[1],» ut Apostolus ait, aciem animi defixeritis, divinam potestatem vestra cognitione dissolvetis.

VIII. Refero exemplum, cujus naturam revelare possum: modumque per quamdam similitudinem intelligo, non tamen vim actionis revelo. Margarita lapis est ex carnibus genitus, quoniam ex conchyliis prodit. Quis ergo non credat Deum ex corpore hominem esse generatum? Illam non concharum conjunctio format, sed fulguris et aquæ commixtio. Sic et Christus in Virgine conceptus est, citra aliquam voluptatem, dum Spiritus sanctus ex ejus massa assumptionem Deo constituit formavitque. Margarita neque murex gignitur, neque ut spiritus in figura procedit: sic et Christus non permixtus cum divinitate, neque purus est homo, neque cum immiscibili divinitate commissus, tanquam in figura spirituali est genitus. Margarita in hypostasi generatur, et alium secundum se lapidem non generat. Christus quoque non est alius, nisi qui a Patre genitus est, et ex Maria natus. Non figuram duntaxat dictus lapis habet, sed etiam substantiam: ita quoque Filius Dei in hypostasi est natus, et non in figura. Duarum naturarum est particeps hic lapis pretiosus, ut ostendat Christum; quoniam cum Verbum Dei sit, ex Maria homo natus est: non partialem habuit naturam; quoniam neque aliud animal erat, sed perfectam habet duplicem naturam, ne duas perdat: neque enim una sola natura Deus super terram visus est: neque altera sola homo in cœlos ascendit: verum perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus. Non divisa est caro a Divinitate, neque divinam naturam humana natura oneravit. Non est imminuta propter assumptionis nexum, ita ut perdiderit quod habebat, et quod non habebat fieret: sed perfectum habet, quod erat, et

[1] Act. XVII, 23.

perfectum similiter habet quod assumpsit. Conjunctio non est facta confusio : non enim corpus conjunctum erat corpori : at homo unitus erat cum Deitate. Vinum et aqua commixta perdunt naturam : at vinum et aurum, utrumque simul immixtum, constituunt hypostasim. Tegit enim Deus assumptionem, sicut aurea urna manna. Absconditur divinum Verbum in assumptione, velut urna in arca. Intrinsecum efficitur extrinsecum, et extrinsecum fit intrinsecum : ut et unitas demonstretur, et hypostasis. Manna non est assumptio, at conjungitur urnæ, non ut induens Divinitatem, sed ut margarita ex fulgetro aquæ intrinsecus habens.

IX. Intellige coruscationis et aquæ ordinem, et Christi parabolas admirare. Considera imperfectæ carnis ministerium in margarita : et credas revera ex muliere natum esse Christum. Murex, ne obolo quidem dignus, lapidem multis auri talentis pretiosiorem parit : sic et Maria Divinitatem, cui nulla comparari potest natura, genuit. Non affligitur dolore ostreum, dum margaritam concipit, sed solum accessionis sensum habet ; et Maria beneplacito et consensu Christum concepit, sentiens naturam accedentem. Non corrumpitur murex, neque dum concipit, neque dum parit ; perfectum enim parit lapidem sine dolore : et Virgo sine corruptione concepit, et sine dolore genuit. Non solum concipitur margarita, verum etiam dum accrescit, perdurat : atque etiam extra cochleam, suam potest hypostasim ostendere. Cum autem carne pro hypostasi ad cooperationem indigeat, naturamque nutritivam adhibeat ad perfectionem subsistentiæ, latet tanquam in utero, in sinu cochleæ, et quasi naturaliter ad substantiæ perfectionem insita est. Augmentum quoque accipit per vitalem naturam, et pinguedinem sibi conducentem participat. Natus est etiam Filius non seminatus ex carne : et Filium fructificavit natura, sine viro ad generationem concurrente. O

magna mysteria ! o cœlestia dogmata ! quia peperit natura non proprium : et filius natus est, non ex viro procreatus. Virgo facta est mater, et natura fons; alvus nutrix, et puella adjutrix et cooperatrix. Assumptio ex ubertate naturæ, et generatio ex plenitudine determinata ipsi naturæ. Sola mulier absque viro genuit : nam corruptionis expers erat qui generabatur. Virgo peperit, propter eum qui puritatis ac castitatis fons erat : voluptatis expers, procreationi filii servivit : nam vitiorum superatorem produxit.

X. Quomodo igitur figuram tantummodo suscepit, qui et naturam, et essentiam, et tempus generationis participavit ? Quo pacto igitur homo prodiit, qui omnem creaturæ præbet experientiam, absque corruptione ac partus dolore ? Neque enim passa est Maria, ut mulier; neque partus dolorem sensit, ut virgo : neque aliena a genito erat : nam propter naturam, quæ nutrivit, communicationem societatemque habebat : et mater filii alienæ naturæ erat, propter assumptionis subministrationem. Crevit in utero Christus, cum, ut Deus, nullius indigens esset : et filius ex muliere natus, cum Filius esset Dei. Agnovit Mariam matrem : humanitatem enim per eam complexa est Divinitas. Filius erat ejus, quæ subministraverat : quia non solum fide voluntatem atque electionem præbuit, verum etiam natura assumptionem participavit.

XI. Si figuram Verbum assumpsisset, quid natura fuisset opus ? Si tanquam in specie processit, quæ mulieris necessitas ? Si velut per canalem ac fistulam descendit, cur conceptionis tempore indiguit ? Cur in Virgine tanquam in loco diversatus est, qui esset extra naturam proditurus? Qui sic natus est, ut qui de cœlo delapsus in Virgine habitasset, cur non illico terræ cœlitus apparuit ? Qui naturam humanam non assumpserat, cur subito inter homines ex aëre se notum non præbebat ? Si perfectam œconomiam habebat,

quid ex virginali natura assumebat? Neque supervacaneus est Deus, neque illusor. At supervacanea Maria, si Christus in figura venit. Illuderet etiam Deus, generationem hominibus in præsepi ostendens. Sit ista verborum necessitas, rationum accusatrix. Nam Christum veritatem esse novi, et in margarita cum suspicio, utpote Deum, qui ex Virgine hominem assumpsit.

XII. Habeo porro et aliud argumentum de vera ipsius substantia, incrementum nimirum usque ad perfectam illius ætatem. Nam si figuram habebat Verbum, vestimentis indutum erat. Ostendite igitur vestium incrementum. Et si in figura Christus advenit, ostende tunicam cum eo crescentem, et quæ fulgens efficiatur et non inveterascat. Et si Christus in figura advenit, cum ex infante usque ad statum perfecti adolevisset, quomodo augmentum conceptioni testimonium præbet, et conceptio incrementum testatur? Neque enim illud cito factum est, neque hæc tempus naturæ præbuit. Non sunt figuræ, communicatio naturæ subsistentis, sed velut vestimenta, artis inventa. Quis igitur naturæ usus, dum ars famulatur Christo? Quid opus fuisset conceptione muliebri, cum materia non a vivis hominibus procedat, sed in terra inveniatur? Virgo naturæ Divinitatis ministravit: ac propterea naturam ei incorruptibilem præbuit. Si actio quæcumque fuisset illud munus, etiam homo hanc efficere potuisset. Et si figura fuit illud ministerium, ars igitur hominum Divinitatem juvisset. Uterus Divinitati servivit: et ob promptam obedientiam, mercedem accepit, ut sine dolore esset. Produxit naturam labori atque dolori obnoxiam: et ipsa doloris laborisque eam expertem recepit. Donum infirmum produxit, validumque illud recepit. Dedit uterum labori atque dolori subjectum, et eumdem integrum illæsumque ipsa recepit. Medicus erat, qui natura ejus utebatur; ac propterea sa-

nam illam restituit. Non erat homo, qui Virginem pro Filii generatione adhibere volebat, sed Deus : atque ideo naturæ, quod non habebat, præstitit, ut ostenderet se non venisse ad dirumpendam naturam, sed ut integram atque incorruptam eam conservaret. Margarita erat qui generabatur; ideoque elapsus est, et absque labore atque dolore natus. Neque asper erat, ut terreus; neque fluxus et effusus, ut humidus; neque in multas partes divisus, velut materialis; sed infans Deum perfectum continebat sub natura simplici tectum : ac propterea vi illius qui in ipsa erat, Virgo instar cochleæ naturaliter peperit, et ut mulier nequaquam passa est; rursus natura, sicut conchyliorum plicis ac sinibus usu venit, ad virginalem statum recurrente. Non perdidit sigillum natura Virginis, Christo concepto : et ob id, neque eo genito, reserata est, ut partum in lucem ederet. Neque vero rupta est, dum gigneret.

XIII. Cogor inhærere sermoni, ut omnia commemorans, hæreticis ostendam Christum natum esse hominem, et non qui videretur prodiisse. Nos quemadmodum concipimur, sic etiam generamur. Corrumpitur mater, dum concipit : laborat ac dolet, dum parit; perdit naturæ sigillum, ut concipiat; propterea quoque, dum parit, non modo diducitur, verum etiam ob naturæ imminutionem, flaccessit atque languescit, doloreque torquetur, ut corruptionis, quæ initio accidit, admoneatur. Quoniam, ubi semen processit, et ad maturitatem proseminatæ carnis pervenit, dolores partus comparat. At non sic Christus; sed sine dolore genitus est, quoniam et sine corruptione fuerat conceptus, in Virgine carnem accipiens, non a carne, sed a Spiritu sancto. Propterea et ex Virgine prodiit, Spiritu sancto uterum aperiente, ut egrederetur homo qui naturæ Opifex erat; et Virgini virtutem in suum augmentum præbebat. Spiritus erat, qui puerperam, tori maritalis nesciam, in

partu adjuvabat. Quapropter neque quod natum est, sigillum virginitatis commovit; neque Virgo laborem ac dolorem in partu sensit, divisa quidem ob tumorem geniti filii, sed rursus ad suum ipsius sigillum reversa, instar plicarum conchyliorum, quæ margaritam producunt, et rursus in indissolubilem unionem ac sigillum coëunt (1).

XIV. Novi multos melius id recepisse, quod utendum dederant: quoniam qui utendum sumpserant, cum essent opifices, rei datæ vitium corrigentes, eam sanam et integram reddiderunt. Quanto magis Deus non deterius id quod sanum mutuatus est, sed multo melius reddidit quam accepisset? Propterea que corruptibilem mutuatus naturam, incorruptam reddidit, cum natus est. Mechanici contrario flatu aquas in vasis continere possunt: illas enim per alas quasdam aperiunt et emittunt, et rursus per spontaneos meatus easdem in vasis claudunt. Nonne igitur Deus hominibus artificio præstet, in dilatanda et coarctanda natura, ita ut nulla ex parte labefactetur eorum corporum mole, quæ per medium prodeant? Reges in quibus exaltantur, aut geniti sunt, civitatibus privilegia donant. Filius igitur Dei nonne Virgini matri suæ, cum possit, virginitatem concessit? Alii locorum possessores ac domini loca et fontes excogitant, et naturas aquarum emendant, et cœli temperiem meliorem solertia ac sedulitate reddunt. Et Christus nonne multo magis etiam ea quæ videbantur naturam perturbare posse, correxit ac reparavit? Aut quasi unus ex hominibus, matrem quæ ipsum genuit, tanquam unam ex multis esse permisit? Quemadmodum igitur solus ex Virgine natus est Christus; ita etiam Mariam in partu virginem permanere decebat, matremque absque dolore fieri.

XV. Ne igitur te propria excæcet natura, ut in Deitatem non credas: neque te corpus tuum, perturbationibus

atque affectionibus obnoxium, depravet, ut humanam accuses naturam. Non enim advenit Christus, ut affectionibus serviret, sed ut peccatum exterminaret. Non induit corpus, ut naturæ illuderet. Non fugit assumptionem, ut honoraret figuram. Si per figuram quis voluerit dignum aliquid admiratione facere, multo sane amplius ipse omnino per ipsam egit naturam. Si figuram honoravit naturæ, præclarum sane quiddam est natura, a Divinitate honore dignata. Si autem ob correctionem venit in figura, nobilior sane natura, quam figura, utpote quæ efficaciorem præbet correctionem. Si nihil conferre poterat figura, sine ipsa utique effecisset quod erat propositum. Quod si nihil in figura perfecit, frustra sane ipsa inferebatur.

XVI. Attendite margaritæ, et nolite errare; non enim cessabo reprehendere, donec corrigam accusatores. Cernite non esse figuram, sed substantiam, et naturæ coadunationem suspicite. Indivisibilis iste pretiosus est lapis. Neque enim aliquis Divinitatis assumptionem separabit. Fulgur et aqua in unum consenserunt, et duo se contraria complexa sunt. Quo igitur pacto quod tenes ignoras? et quod non tenes curiose investigas? Ex igne fulgur et ignis: unde et illuminat et inflammat. Conchæ ex aqua et per aquam crescunt. Quomodo ergo coruscatio non comburit cochleæ corpusculum? Quomodo substantialiter atque essentialiter conveniunt aqua et ignis, ac se invicem non corrumpunt? Non potes dicere; sed cogeris credere quod vides et tangis. Sit tibi pro testimonio natura, quam edicere nescis: quia Filius Dei absque semine nascitur. Illic duo sunt contraria, quorum essentialiter concordant hypostases, et in qualibet ostenduntur natura.

XVII. Vestram anteverto accusationem, quod ex vobis quosdam dicentes noverim: Deus ingenitus, caro visibilis; Deus impassibilis, natura passibilis. Quomodo ergo in hu-

jusmodi contrariis concordia atque consensio in unam hypostasim facta est? Habes margaritam, omnium quæ dicta sunt apertissimum explanatorem. Nam ignis Deitatem significat, et aqua assumptionem. Non aqua fulgur assumpsit; gravis quippe est naturæ et ad sublimissimum ignis locum non pervenit. Sed fulgur supervolitans conjungitur aquæ, et concha turbata utrumque simul junctum concludit. Calor corporis unitus est rei quæ advenit, et firmitas plicaturarum quæ committuntur ac coëunt, conservat ac retinet, ne diffluat humor qui intus est. Natura per conjunctionem auget quod inclusum tenebat : progressuque temporis, ex aqua et igni margarita prodit. Sic dicit et Evangelium : « Spiritus Domini superveniet[1] » in Virginem. Cur ita? ut scilicet virtutem acciperet suscipiendi Divinitatem. « Et virtus, » inquit, « Altissimi obumbrabit tibi[2]. » Fulgur tuæ insidebit naturæ : « quia quod ex te nascetur » Sanctum, vocabitur Filius Dei[3]. » Non dixit : quod genitum est iterum gignetur; neque dixit : quod nascetur ex virtute, vel ex Spiritu sancto; sed « ex te : » ut Virginis naturam ostenderet Deitati ministrantem, assumptionemque in ipsa, et ex ipsa, Verbo Deo conjunctam. Nisi enim dixisset, « quod nascetur ex te, » fortasse figuram existimatum fuisset Verbum assumpsisse. Quædam tamen exemplaria non habent illud, « ex te, » ut hæresibus gratificentur. Tametsi autem non habent illud, « ex te, » o hæretice, additio tamen quæ sequitur, adhuc sententiam conservat; ait enim, « ideoque et quod nascetur, » assumptionis nexum significans. Cæterum conceptio naturam arguit, et figuram rejicit; et Archangeli locutio testificatur ob nihil aliud Deitatem Virgini obumbrasse, quam ut nasceretur homo. Potuisset quippe citius universæ apparuisse terræ, nisi per

[1] Luc. I, 35. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

veram hominis assumptionem cum hominibus conversari voluisset.

XVIII. Attende igitur ad margaritam et videbis eam duas continentem naturas. Speciosissima siquidem est propter Deitatem : at candida, ob assumptionem. In candore ergo claritatem cernis : et in virtute inhabitantem potentiam vides. Dura quidem est propter naturam humanam : levis autem ob conditionem cœlestem. Aquatica propter terrenam naturam : ignita vero ob Deitatis hypostasim. Cunctis est consideratio physica : quia unicuique velut in speculo quæ illius sunt resplendent. Specula quidem arte fiunt, ac propterea habent quamdam fallaciam ad rei propositæ perceptionem. At margarita naturalem continet gratiam, utilitatemque innatam. Multa quoque sunt alia, quæ ex duobus aliquibus fiunt quid unum : at non sicut margarita nascuntur; neque ex igne et aqua concipiuntur.

XIX. Vide ne quæras exempla in margaritis quibuslibet : non enim omnes sunt veræ, continentes in se cuncta perfecte quæ diximus : nam magna illarum copia potius terream habet partem. Sunt cochleæ quæ in profundo morantur; aliæ in locis humidis limo et cœno gaudent, diversisque stercoribus vescuntur, et raro bonas margaritas producunt. Habet porro et aliam margarita causam : nam si perfectum non fuerit tempus generationis ejus, velut intempestiva, lapidosa reperitur : quare et multæ ex iis quæ in profunda sunt, improbantur : et si arte non expolirentur, nullus esset earum usus. Cæterum multas ejusmodi non reperiunt, verum ex illis conchis eas colligunt atque decerpunt : perfectæ autem ideo atque probatæ dicuntur, quia dum quasi augmentum perficiunt et substantiam in vim naturæ transmittunt, non auferuntur, verum generantur : atque illæ valde quoque pretiosæ redduntur. Et ut

discas animalia in mari etiam ex aqua constare, legem revolve et Deum attestantem audies, quod aquis imperaverit ut inter cætera producerent etiam mytulos et conchas [1]: nam hæ quoque ex illorum sunt genere, quæ in aquis repunt. Et margarita ex immundis est animantibus : quoniam et Christus ex natura sordibus obnoxia natus est, quæ purgationibus per visitationem Dei indigebat.

XX. Quemadmodum autem fulgur universa explorat, sic etiam Deus: et sicut illud occulta illuminat, ita quoque Christus recondita naturæ purgat. Ideo Virginem purificavit; et sic natus est ut ostenderet ubi Christus est, ibi omnem puritatem operari. Mundavit eam in sancto præparans Spiritu et sic ipsum purificatus concepit uterus. Mundavit eam in castitate ac puritate : ideoque natus Virginem ipsam reliquit. Cochleæ ostendant atque declarent non per fœmineum membrum concepisse Virginem: nam illæ duabus explicatis commissuris non carneam constitutionem præbent, sed secure solutum habentes corpus, repente fulgure replentur. Ita quoque Virgo Dei Verbum toto suscepit corpore, simplicitateque naturæ, et non curioso ac redundante motu, Deitate impleta est : intellexitque ex conditione humana se assumptionem suscepisse. Cognoscebat conceptionem; at viri congressum et consuetudinem ignorabat: intelligebat quidem absconditum in se pondus; sed appetitum superfluæ corruptelæ experta non erat; omniaque ad pudicitiam concurrebant membra, proprii impetus et appetitus oblita. Etenim ad ortum solis cuncta redduntur splendida; apparensque foris sol illuminat universa : quid agat in cubiculo totus ad unum admotus? Si Paulum Christus de cœlo illuminans, ad pietatem transtulit, fecitque ex lupo ovem, ex persecutore Apostolum, misericordem e crudeli, et ex ino-

[1] Gen. I, 20.

bediente atque intractabili obedientem et tractabilem, quanto magis intus in Maria cum esset divinum Verbum, ipsam ab omni corruptione atque mutatione alienam fecit. Pro arrhabone fidem accepit puellæ, et non amplius propendens erat gratia; sed dum jure optimo incorruptionis vim illi præbet, fides naturam adduxit, et hanc excipiens gratia non amplius esse corruptibilem passa est; verum sibi ipsam adjunxit, sicut rex vas privati alicujus hominis proprium sibi faciens. Atque ita facta est Maria non jam mulier sed Virgo per gratiam, sicut cibus jumentorum regius efficeretur, si rex ejus particeps fieret atque eo vesceretur. Non dico immortalem illam fuisse; sed quod ab appetitu seducta eversaque non fuerit, gratiæ vi illustrata. Rubiginem, quam natura habebat ferro adhærentem, gratia mundavit: voluptate affecit, ideoque conservavit.

XXI. Amo et exosculor evangelicum lapidem, quia cibus animæ meæ factus est. Suspicio ac collaudo margaritam, quia de Christo loquitur mihi narrationes. Adhibui parabolam, quia duplicem mihi cognitionem contulit. Cognovi in ipsa naturæ commixtionem et Deitatis virtutem. Intelligo contrariarum rerum consensionem, ac permutationem naturalis constitutionis. Considero cœlum cum terra simul uniri. Video duo sæcula in unum coaluisse vinculum. Obsignavit gratia concordiam; neque invenio qua ratione cujusque substantiam separem. Intelligo vim differentem, et margaritæ circumferentia abducit mentem meam, ne comprehendat quo pacto in unum simul convenerint atque conjunctæ sint. Æqua est undique margarita: etenim Christus inæqualitatem abstulit et velut artifex duo sæcula æqualia reddens, in unum conglutinavit, nemoque est qui ea separare possit. Concharum commissuræ dirimuntur, at margaritæ dimensiones sunt inseparabiles. Illæ sectionem admittunt, ista vero insecabilis est: ut in-

telligas duas quidem Legis tabulas, sed Evangelii rectitudinem sphæricam esse perfectamque ac præstantem figuram. Terrena quidem lex continet; at Evangelium cœlestia. Ecce concha et margarita, quas simul conjunxit Christus. Per gratiam ad generationem recurrens, et intellectualis margaritæ naturam exquirens, agnovi virtutem, intellexi connexionem, et naturam deprehendi. Volo rursus considerare sapientissimi Artificis opificium.

XXII. Intelligo igitur rerum omnium Opificem agricolam esse; simulque intelligo non ab eo agros hos terræ, sed naturarum consensionem coli. Non ille seminando et metendo intentus est; non vindemiando et ex torculari magnum proventum comparando; sed prius utendum naturæ humanæ dat Filium, et fœnus per ipsum exigit, universam animæ libertatem. Propter debitum omnia terrigenarum pascua sibi vindicat, et brevi commercio Dominus omnium efficitur, non solum ut Creator, sed etiam ut Redemptor, non modo ut Deus, sed etiam ut qui sudoribus emit, tradit margaritam, ne et ipsum naturæ obolum deperdat. Filium tradit, ut servum submittat. O maximam benignitatem! o periculorum contemnentem conatum! Conchæ enim committit margaritam, et pro obolo lapidem pretiosum contemni permittit. Cernis mercatorem? Consideras eum qui omnia vendit, ut margaritam emat? cognoscis divitem, quomodo cuncta vendat, ut agrum et qui in eo continetur, thesaurum comparet. Hic est Pater qui per Filium suum omnia emit naturæ humanæ utilia. Cunctas suas terrenas possessiones vendidit, ut jugerum terræ, quod ipse condiderat, compararet. Illud ipsi Adæ tradiderat; at hic vanarum rerum cupiditate ipsum perdidit. Emit vero agrum, non propter terræ usum, sed ob thesaurum in eo reconditum.

XXIII. Quis igitur iste est ager? corpus hominum, et

anima est thesaurus. Siquidem propter animam, quam «ad imaginem et similitudinem suam ipse fecit [1], » vendidit omnia, et ad comparandam possessionem misit Filium. Non igitur Divinitati vendidisset tyrannus, nisi illa tulisset et objecisset humanitatem. Noverat enim potentiam, ac timebat venditionem; sed homini vendebat, sciens ejus infirmitatem, cognoscensque se, quando vellet, rursus per vim auferre posse possessionem et thesaurum. Mittit ergo suum Filium ad tyrannum, dicitque ad ipsum : Trade illi possessiones reliquas, de quibus non est controversia, quia meæ sunt. Solus autem homo voluntate libera dominium meum facit ambiguum; per confessionem autem et negationem thesaurum habet ad exemplar expressum. Verum quia ad gloriam meam pertinet ut non perdam quod mihi ipsi ad obsequium meum ac ministerium procreavi, da ipsi jumenta et cuncta rationis expertia; solum autem hominem redde liberum. Præbet igitur ei porcos in regione Gerasenorum; emitque agrum cum thesauro, ac hominem ex dæmonis potestate redemit. Porci, asini, tauri, atque leones nullam præbent gloriam possidenti; homo autem magnam tribuit, quia ejus sacrificium non est ex cibis corruptibilibus et esculentis, verum ex cœlestibus thesauris. Hic thesaurus est hic ager, cujus quidem mercator est Pater, et mediator Christus. Accessit ut hospes, coëmit tanquam mercator; auctoritatemque exercuit velut dominus, quoniam ipse et Pater unum sunt in Divinitate. Auctoritatem et potestatem exhibuit in natura assumptionis; porro mediatoris functus est munere in actione, qua emit; potentia autem superans, accepit agrum, et cum tyrannus non cognosceret, etiam thesaurum divendidit.

XXIV. Assumpsit hominem tanquam servum; ignorabatque inimicus se etiam peculium vendidisse ipsi; politus

[1] Gen. 1, 26.

enim homine Christus, simul accepit etiam in seipso cuncta quæ servi sunt. Omnia rationis expertia animantia mancipata Adamo erant; at inimicus sibi ea videbatur vindicare, pro Adæ corpore illa usurpans, itaque una cum domino vendito illa quoque simul abierunt, naturale dominium agnoscentia. Vendidit ergo tyrannus etiam hominem cum cunctis animalibus ratione carentibus; nam homo sponte illa Deo obtulerat, ideoque ad extremum cunctas sibi gentes cum Israëlitis acquisivit. Coëmit agrum in cruce Christus, pro pretio suum ipsius præbens sanguinem. Resurgendo in pascua intravit, tyrannos ejiciens et suos introducens. Ager enim erat universa terra, et thesaurus qui in ea occulti latent Sancti. Accepit interim possessionem quæ conspiciebatur, ut quando vellet, acciperet etiam qui tegebatur thesaurum. In pascua venit vivorum : comprehensos vero etiam mortuos, qui non apparebant, extulit, interim non accepto thesauro, ut illum in resurrectione accipiat. « Peregre profectus est [1] » aliquantulum, custodibus thesauro et œconomis agro adhibitis, ut quando jusserit, thesaurus per resurrectionem præsentetur regi. Thesaurus ergo in testa, velut in vase, servatur; ager autem figuli est tanquam officina : quemadmodum Prophetæ dixit Dominus : « Ingredere in agrum figuli » [2]. At cujus figuli nisi Dei? quoniam ipse est qui ex agro isto resurrectionem facit. Ergo usque ad consummationem, luteum efficit agrum in humanis corporibus; post sæculi vero consummationem, lutea efficit vasa; Sanctorum quidem per gratiam, at peccatorum per gehennam ignis.

XXV. Modus ergo margaritæ jam patefactus est; non enim in agro defossa remansit, sed illico a mercatore excepta est. Atque ipse est primitiæ crucis, ac propterea etiam solus resurrexit, quia et solus emerat; non post

[1] Matth. XXI, 33. — [2] Jerem. XVIII, 2.

mortem emit margaritam, quoniam in cruce inimicum profligavit, quo devicto armaturam ipsius accepit, et sic eum spoliavit. Atque ideo ait : « Potestatem habeo ponendi » animam meam et sumendi eam [1]. » Quia potestatem habuit mortis, et antequam moreretur, visa est detineri margarita, non quidem ab hoste, sed a natura ; et dum adhuc illa esset in terra, commercium et commutatio facta est; mercesque mediatoris margarita facta est. Nam stultus eum esse dominum ignorabat quem despuebat. Accepit mercedem Christus, accepit agrum, accepit et pretium agri; simul enim secuta est natura rationis expers ducem, quem habuerat ab initio. Habet ergo vivorum potestatem in agro, habet et mortuorum dominium in thesauro. Habet assumptionem in margarita perpetuo mansuram. Habet arrhabonem, gratiam sancti Spiritus, ungentem Christi corpus ad certamen contra tyrannum. Hoc enim Pater ad victoriam proponebat, et præmium victori dabat.

XXVI. Verum paulo altius et ab initio repetentes cognoscamus quæ dicta sunt, ut quasi summatim intelligamus singula sicut oportet. Siquidem Deum Patrem, agricolam, et opificem, et mercatorem, et figulum, mediatorem, ac creditorem, præmiorum distributorem et honoris cupidum nostra appellavit oratio. Magnum sane Domini verbum, duobus verbis tantam scientiæ vim concludens. Rursus margarita sit nobis Evangelium; quia simplici ac minuta littera tantam mysteriorum vim continet, et in vili abjectaque chartula cœlestis comprehenditur doctrina. Asserunt hæretici Filium Dei indignum censuisse naturam hominis assumere. Cœlum Deus chartæ commisit; et Filium humanam sumere naturam non permisit? Non propter æqualitatem hæc dico; sed Patris erga nos benignitatem demonstro, qua se ita demisit et commercia nobiscum

[1] Joan. x, 18.

junxit. Non igitur in figura visus est Christus ; absit : non enim in figura vili ac miseranda incederet Divinitas, ut in terra versaretur. Naturam Domini terræ assumpsit naturæ Dominus, ut dominium Adamo redderet, quod per seductionem amiserat. Quod si in figura Christus apparuit, etiam in figura Filius erat Dei.

XXVII. Cernis quo pacto corruant hæretici, dum periculose tentant Christi negare substantiam. Attende eorum dementiam, quoniam linguam duntaxat habent et non mentem, loquuntur quæ volunt, et non intelligunt quæ consequentium sit intelligentia. Etiam tibi fœneratorem ostendam Deum, o hæretice, et quomodo in Virgine excoluerit margaritam; et commonstrabo tibi præterea quo pacto agricola Deitatem mutuam dederit naturæ. Voloque ostendere mercatorem, quomodo socium mercaturæ hominem nactus, dives uno extiterit obolo, ita ut et fœnus abduceret et hominem coleret et regnum Dei in dominium stabile ac firmum haberet. Accepit natura mendica Divinitatem et decertavit adversus tyrannum. Communicavit Filius consilium cum Patre, et sudavit ut peccatum ex mercatura ejiceret, licitans illam per gratiam. Illud affectibus ac passionibus pelliciebat; ipse autem peccati pretium augebat. Tyranno naturam exhibuit, et ut ille humanitati illuderet persuasit. Ostendit homini gratiam, ac per Patris providentiam annuntiavit; dolorem item intellectualium potestatum et adversus terrena inimicitiam. Persuasit propitiationem, ad reconciliationem mediator fuit ; promisit placationem, modumque significavit, quod per crucem fieret; ac servum, ut ad Dominum recurreret, præparavit Filiumque ut patrem recognosceret. Et contra tyrannum propugnator effectus, Patri dominium confirmavit et servum revera ab acerba tyrannide liberavit.

XXVIII. Audi etiam agricolæ artem : nam in utraque

dignitate modus dispensationis Christo erga humanitatem extitit, bellumque adversus peccatum. Ne ergo admireris varietatem interpretationis. Nam Deus diversorum egregiorum operum fons est : et quantam quis vim habet intelligendi, tantum se extendit, et simul invenit quoties quis intelligere potest. Insevit naturæ Virginis Divinitatem, ac tanquam in rimam quamdam et scissuram suum inclusit Filium, ut qualitatem participans, naturam redderet communem in assumptione hominis. Fuit igitur Maria Patri arbor, Filio mater, hominibus fons Spiritus æterni et incorruptionis oriens. Habet porro pro vinculis hæc insitio Prophetarum testimonia : et rimula sive scissura pro divisione habet naturæ spatium. Agricola falcem habet, quæ mundat et expolit, præparationem scilicet et virtutem Spiritus sancti : arborque ad melioris naturæ susceptionem facta, sanctæ mulieris Virginis fidem habet.

XXIX. Ne vacilles igitur, o homo, circa ea quæ dicuntur ; fide enim res invisibiles cernimus. Ne suspectam habeas narrationem, ex te ipso discens quisnam sit rerum status atque conditio, quæ sub aspectum non cadunt. Nam si in te non esset anima, non cerneret oculus, nec auris audiret, neque guttur gustaret, aut manus operarentur. Itaque anima facit omnia, corpus autem cooperatur. Ita etiam considera in stupendis operibus divinam potestatem, occulta atque ineffabili quadam ratione cuncta dirigentem. Ego vero a terrenis quoque artibus ac dignitatibus, generationem persuadere volo : ideoque varie expono, non ut ex multis, sive ex uno assequar, verum ut multa sapientiæ inscribens, varium Divinitatis artificium ostendam, qua ratione singulis ætatibus proprio quodam modo sese peccato opposuerit. Et in nativitate quidem, tali modo : aliter post nativitatem : aliter in adolescentia, aliter vicissim in ætate virili : ac suo deinceps modo nosse

par est, qua ratione quolibet tempore se gesserit. Cæterum antedictis fidem habe : nam et ipse ait Salvator : « Ego » sum vitis, et vos palmites : Pater autem meus agricola[1].

XXX. Possum porro etiam tibi ex arte confirmare antedicta. In amygdalis quippe optimarum arborum germina inserunt : alii etiam ramos cum frondibus inserunt : et in vitibus similiter faciunt. Cur ergo præter fidem sit, si etiam Deus in iis, quæ sub aspectum non cadunt, simili arte utatur, sive in Verbo, quemadmodum assumptionem insevit, sive in assumptione Divinitatem? Verumtamen non ex superinducto semine Virgo peperit : absit ; sed suam ipsius substantiam sine motu carnali commodavit, et non lapidibus ascia vel securi dolatis Sapientia sibi domum ædificavit. Non est auditus ferri sonus in ædificio : neque enim vir in Maria ministravit, sed sola Virgo. Politi per se ac jam dolati lapides erant, non ab hominibus præparati : ita etiam in Maria assumptio non virili opera facta est, sed ex natura nostra delecta per castissimam Virginem. Sicut e terra sumpti sunt lapides, ita et assumptio aucta est per naturam, et Divinitas mansit immaculata propter incontaminatam naturam. Absque ferro ædificatum est templum, et sine corruptione atque dolore natus est Christus. Sola terra ministravit, sicut et sola Virgo concepit. Non est scissa petra neque sentit lapidum abscissionem terra : et Virgo neque mota est, neque ex voluptate concepit. Non aliunde terra lapides acceptos præbuit ; verum ipsa eos sine labore atque experientia ex seipsa suppeditavit.

XXXI. Similiter quoque in Virgine non superinductus quispiam assumptioni fuit, sed ab ipsa assumptus est. Nam alioquin nutrix fuisset, et non mater; custos depositi et non fons præstantissimæ filii procreationis. Evangelium illam matrem appellat, et non nutricem. Sed et Josephum

[1] Joan. xv, 15.

quoque patrem vocat, cum nullam in ea generatione partem haberet: non enim propter Christum dicitur pater, sed propter Virginem, ut non ex fornicatione putaretur peperisse, sicut Judæi ausi sunt dicere. Non appellatio naturam tribuit; nam et nos crebro patres nuncupamus, non quidem genitores, verum senio conspicuos. Porro ipsi Joseph natura appellationem indidit, honoremque tempus præbuit: quoniam Virginis et Joseph sponsorum arrhabones, ut hoc nomine vocarentur, effecerunt; patrem autem, qui non genuerit. Palmarum mares, qui dicuntur, dum obumbrant fœminis, fructuosas illas efficiunt, cum tamen neque illis misceantur, neque ullam ipsis substantiam præbeant: et ficulnearum quoque nonnullæ fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur. Quemadmodum igitur ista, quamvis non generent, patres appellantur: ita et Joseph pater est dictus, licet Virginis vir non esset. Magnum mysterium, ad quod perscrutandum oportet omnem vocare creaturam. Major natura, quam ut eam cogitatio ac mens assequi possit. Majus omni imaginatione atque opinione, quod factum est. Cur ergo omnis natura rationalis non persuadet hujusmodi argumentis? Deus erat, quod factum est: et cuncta ut mancipia præsto sint. Deus erat homo natus: et omnis comparere debet creatura, ut suum admiretur Creatorem, et obstupescat quomodo omnia procreavit: et credat ea, quæ secundum naturam sunt impossibilia, ei esse possibilia. Intelligat id fieri quod ipse vult, neque ipsum indigere natura. Doceantur gentiles eum non per materiam cuncta fecisse, sed quia ipse voluit. Persuasum sit iis absque materia factum esse mundum et quæ in eo sunt. Ecce enim sine conjugali natura conflavit hominem, qui sæculum continet invisibile et visibile.

XXXII. Solus tantæ rei enarrandæ non sufficio. Loquantur igitur mecum, et quæ naturæ sunt, et quæ artis,

quæque operationis intellectualis. Dicat cœlum, quod stellam præbuit testem, quam non accepit cum sole et luna. Testetur æther in fulguratione, quæ in cochleis insilit, exemplum ejus qui nasciturus erat ex Virgine. Proclamet terra thesaurum absconditum, et mare margaritam non apparentem, agricultura et ars ædificatorum, studium atque diligentia mercatorum, solertia piscatorum, regum consilium, ducum acies, hominum contradictio, sapientum inventio, astrologorum comprehensio, tyrannorum perturbatio, pessimorum sacerdotum malum consilium, infantium confessio, pastorum prophetia, cuncta veniant atque concurrant ad Dei natale, ut vel sic hæretici credant Christum non in figura apparuisse, sed in humana natura ex Virgine natum esse.

XXXIII. Dicunt quoque Judæi se non credere Deum cum hominibus conversatum esse ut hominem. Attamen credunt eum in divina arca conclusum fuisse. At quid majus, arca, an homo ? Si credis Deum in arca fuisse conclusum, cur non credis super terram inter homines ipsum versatum ? Nos, inquiunt, non credimus eum, si Deus erat, crucifixum fuisse. Sed cur in eo non es incredulus quod arca, quæ Deum continebat, ab alienigenis capta sit [1] ? Nam sicut illa videbatur sustinere ignominiam ; ita etiam Deus Verbum, quamvis impassibilis esset, per assumptionem tamen injuriis et contumeliis affectus est, dum ipse etiam crucifigeretur. Et quemadmodum inter alienigenas arca Dagonem destruxit atque subvertit [2] : ita etiam in cruce Christus diabolum profligavit, et blasphemos corripuit, cognitionemque divinæ suæ potentiæ infidelibus vel invitis præbuit. Non creditis Christum tertia die resurrexisse ? Cur ergo creditis Jonam post tres dies salvum et integrum e ventre ceti exiisse [3] ? Non creditis

[1] 1 Reg. IV. — [2] Ibid. V, 3, 4. — [3] Jon. II.

quod Virgo hominem genuerit et Deum? Cur ergo creditis templum illustre ex lapidibus non dolatis factum, in cujus universa structura ferrum non est adhibitum [1]? Et fuit illud omnium ædificiorum templorumque pulcherrimum.

XXXIV. Non fero Judæorum debacchationem atque temulentiam, quia demonstrationes tenent, et non credunt. Non fero hæreticorum dementiam, quia gentilibus atque paganis potius fidem præbent, quam divinis Scripturis. Si domus absque ferro fabricata non est, templum dico ad Dei ministerium, etiam Christus in figura venit. At si etiam nunc fundamenta ejus subsistunt, nolite contendere, sed credite. Ego vero etiam mori pro hac fide expeto. Miscete me cum ethnicis, quod non opto: et facite quod opto, ut scilicet pro Christo moriar. Ego quidem, quod ad me attinet, mortem pertimesco: verum spes atque fiducia mea Christus est. In me timeo: at in illo subsisto. In me confundor: at in illo confido. Ipse est margarita, ego vero lutum. Ipse thesaurus, ego autem cinis. Ipse vita, at ego mors. Ipse justitia, ego autem peccator. Ipse veritas, at ego mendacium: quia ob vanitatis dilectionem, veritatem sponte repudiavi. Ipse naturam mihi concessit; ego vero eam pravis affectibus desolavi. Ipse mihi sufficientem liberam voluntatem donavit: ego autem illam mutilam reddidi, peccatis eam implicans atque involvens. Ipse est, qui ad mare descendit, margaritam per varia inde pericula eruens; simulque aderat Divinitas in tentationibus, et assumptionem in cœlos e terra secum sustulit. Ipse est, qui sæpe multumque in agro fodiebat, et in cruce laborabat, ut thesaurum Sanctorum e sepulcro eductum, sibi ipse vindicaret. Allaboremus porro etiam nos, ut participes mercaturæ atque negotiationis Salvatoris nostri Jesu Christi evadamus: quoniam ipsum decet gloria, honor, et

[1] 3 Reg. vi.

adoratio, una cum principii experte ipsius Patre, et sanctissimo, bono, atque vivifico ejusdem Spiritu, nunc et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CXLIX.

DIVINÆ DISPOSITIONIS CONTEMPLATIO I.

I. Me, Domine, de mira dispositione tua concionem habiturum tuæ gratiæ torrentes inundent : indue me lorica inexpugnabili, qua duce, ratio calcitrantes stimulos retundat. Auge, Deus optime, largitatem tui muneris : me infirmum adjuva, ut convalescam : terge maculas, et da mihi ut debitum solvam, quod exolvere nonnisi ex ærario possum tuo.

II. Cum ditissimus esses, nulliusque rei inops, paupertatem adamasti : nulli obnoxius aut sensui, aut dolori, doloribus, acerbissimisque cruciatibus subjici dignatus es : perfectissimus, ac ævi integer, pueruli instar, educari, teque circumcisioni ac legi subdere voluisti. Tu fortis radix « Jesse, qui stas in signum populorum [1] », cujus et potestas est, et imperium, et in cujus arcu sagitta electa; tu, inquam, Paradisum te diligentibus, et gehennam te contemnentibus præparasti.

III. « Omnes semitæ tuæ pacificæ [2] »; tuam in humilitate gloriam reposuisti : tuam credentibus prompsisti beatitudinem : tu omnium moderator e sublimi cœlorum vertice descendisti. En copiosa tua reparatio perpetuam nobis asseruit felicitatem. En tua crux corona est victoriæ nostræ. En tua charitas justorum decus est et ornamentum.

[1] Isai. xi, 10. — [2] Proverb. iii, 17.

IV. Tui vultus præstantia fundamentum est gloriæ nostræ, quam probi omnes oblinebunt. Nam legitime certantes, et lumbos præcinctos habentes, quoniam socii fuerunt passionis tuæ, sic erunt et resurrectionis; unde ad regale Agni convivium lætissimi accumbent. Brevissimum sane erit certaminis tempus, sed æternum victoriæ præmium.

V. Tua bonitas speculum est; beatus fortunatusque, qui in ipsam obtutum frequenter defigit. Nam cum immensa sit hujus amplitudo, ideo ejus suavitas uberrimam orationis segetem præbet. O ter felicem, qui eamdem debito cum obsequio contemplatur! In ipsa quippe Dei Patris gaudia degustabit, perque ipsam Filii similitudinem induet, quæ divitias solet suas in pauperes spiritu large effuseque conferre.

VI. Coronidem tuis nectis digitis, qua ornabitur quicumque de hostibus triumphaverit. Justitia tua victorum labores æquissime consolatur, de quibus compensandis dum agitur, abundantissima est. Hæc vero in præmiorum distributionibus æquitas ad improborum interitum fatalis erit, quos æterna privabit beatitate. Tunc enimvero quam peccatores criminibus impleverunt mensuram, eadem tota in ipsorum gremium effundetur.

VII. Quis nunc, Domine, tuam dimetiatur magnitudinem? Quis Divinitatem comprehendat? Omnes quantalibet scientia præditi, nihil omnino sunt coram te. Horum enim scientia futilis est, et angustis limitibus circumscripta. Angeli ipsi, qui tuam propius imaginem exprimunt, cum res creatæ sint, tuam nequeunt increatam substantiam comprehendere.

VIII. Desipit profecto quisquis te attigisse putat, quique sua hac stultissima opinione ductus de se elate nimium sentit, seque magnifice ostentat. Temerariam esse ipsius arrogantiam, ex humanæ naturæ fragilitate satis aperte

constat. Quam quidem naturam Deus signis quibusdam, doloribus nimirum, morbis, incommodis, esurie, aliisque innumeris ærumnis notavit, ut qualis est hominem ostenderet, ne videlicet, perspecta suæ conditionis humilitate, inaniter intumesceret.

IX. Nostra, Domine, ratio exilis est et angusta, atque ad tua gesta enarranda prorsus inepta. Tu occultissimos animi nostri recessus penetras, quin tuorum nos arcanorum divitias investigare possimus. Insulsis indignisque modis nosmetipsos extollimus; et gloria nostra omnis in vanitate et erroribus innititur. Prudens is est, qui in omnibus bene se gerit, nec comparationes instituit, nisi proficuas ac salutares. Idem tempus tacendi, in quo solum Deum alloquatur, sapienter discernit; nec propterea tempus illi deficit ad comparationes faciendas, et ad rudes animos informandos, et ad fratres juvandos suos.

X. At quoniam prudentes non sumus, omne tempus in supervacaneis curis insumimus. Nunquam nobis fragilitas nostra succurrit, ideoque ad interitum quotidie magis accedimus, illuc abituri, quo majores abierunt nostri. Mors nobis terrorem insinuat, quia peccavimus, nec mores pœnitentia correximus. Pulvis in terram, unde exivit, revertetur, et Infernus domus nostra erit. Omnes quotquot semper victuri vivitis sepulcrum audite clamans : Quantocius huc venietis.

XI. Te, Domine, laudare non desinam, quamvis levissimum mearum laudum pondus esse sentiam, cum peccator sim. Te solum dignæ sunt laudes illæ, quæ a justis tibi hominibus exolvuntur, quorum optimi fructus optimam arboris naturam indicant. Sequitur proinde, ut pura sint, tibique gratissima, vana vero tuisque auribus ingrata oscitantium præconia. Nihil est tamen cur peccatoribus sit a tuis laudibus abstinendum, cum idipsum potius eos

peculiariter deceat, utpote qui delictorum acceptam veniam totam clementiæ debent tuæ.

XII. Quæ cum ita sint, excipe exiguum quod tibi offero munus, quod quamvis ad justitiæ lancem expensum minus sit, tua tamen misericordia pondus augente, erit et magnificum, et perfectum. Per te sincera sit mea peccatorum confessio, quamvis exigua in se, et prorsus inutilis : efficax mea sit pœnitentia, licet ex se tenuis, atque levissima; dolor, quo flagitia detestamur, tua humanitate leniatur ac mitigetur.

SERMO CL.

DIVINÆ DISPOSITIONIS CONTEMPLATIO II.

I. Jesu Fili Dei, qui ab æterno existis, cujus æterna generatio omni principio caret, in tuo nomine gloriabor, et in Patre tuo tutissimum quæram perfugium. Tu primogenitus ante omnem creaturam, primogenitus in tempore esse voluisti [1]. Temporale principium ex davidica sobole sortitus es; æternæ vero generationis nullum agnoscis causæ initium. Utraque ergo sanctissima generatio omnium linguis ac sermonibus celebretur.

II. Homo ego vulgaris sum, abjectus, et tuæ magnitudinis inelegans indisertusque præco: immensa vero et infinita est magnitudo tua, per quam nequit obscura hominum intelligentia permeare. Exigua nimis est mentis nostræ acies, quæ in te, veluti aquæ stillula in Oceano, tota dis-

[1] Eccl. XXIV. 5.

perditur. In vastis tuæ sapientiæ adytis sola veritas emicat; dolus vero, fumi instar, obscuratur et evanescit.

III. Decem maledictiones comminatus es, Domine, totidemque benedictiones, ac beatitudines promisisti, facta hominibus potestate, ut quas vellent pro libito eligerent. Horum plerique vitiosis operibus maledictionem, et detrimenta elegerunt; perpauci vero fuere, qui saniori consilio oblatas benedictiones beatitatesque amplecterentur. Maledictiones, de quibus loquor, illi sibi ut plurimum inferunt, qui nimium audacter altiora se quærunt, non ii, qui divina quæque omnia devota fide profitentur.

IV. Cæterum non omnes, qui vulgo sapientes putantur, sapientes reipsa sunt. In hoc sita est vera sapientia ut huic ætas nostra sese ad æternam felicitatem disponat, et optimum sortiri exitum contendat. Qui doctrina sapiens errat moribus, nequidquam sapit. Hoc adeo verum est, ut inter sapientissimos jure habitus fuerit Josephus, quod pudicitiam innocentiamque suam ex impuris ægyptiacæ fœminæ unguibus incolumem traxerit; Salomon vero, qui doctrina sapientissimus, ut egregiam ipsius Parabolæ fidem faciunt, concubinis alienisque uxoribus adhæsit, ex sapientum albo erasus fuit, et inter insipientes merito annumeratus.

V. Jam vero, fratres carissimi, si viri alioquin doctrina celeberrimi desipiunt, quinam perfecti erunt, quos consulamus, sapientiæ magistri? Nullum esse scio, qui sapientiæ magisterium sibi vindicare valeat, præter divinum Præceptorem, quem unice vobis omnibus audiendum propono. Ille nos scientia, qua plurimum abundat, augere potest; illius præceptis Beati, qui in cœlo sunt, acceptam referunt quam obtinent felicitatem. Omnes tantum adeamus magistrum, qui est ipsa æterni Patris sapientia, miro divinæ fœcunditatis sacramento, seclusa omni vel temporis, vel nu-

meri mensura, genita; cujus majestas sub hominum et Angelorum linguis posita vilescit; cum sublimis ista materies non sit humano captui congruens, nec valeat citra temeritatis notam pertractari.

VI. Tuam, Domine, divinam hanc generationem, una cum temporali illa pro nobis suscepta colimus et admiramur : et stuporem consequitur admiratio, ut immensa tibi resultet laus. Affulgeat, quæso, lux patens tuæ humanitatis, luceatque latens tuæ Divinitatis splendor, atque ita, utraque in unam coëunte luce, justitiæ Sol apparebit.

VII. Quatriduanum e sepulcro mortuum evocasti, quo tuæ vocis imperio obtemperante, ingens prodigium omnes sunt incredibiliter admirati. Clamavit cæcus, eique lucem restituisti, ut hinc mortalium fiducia in te augeretur. Audivit te cæcus, et visum recuperavit; audivit te mortuus, et ex tumulo ad vitam emersit. Quod dum mecum ipse animadverto, mihi succurrere solet tua illa terribilis vox, quæ mortuos aliquando excitabit. Quare, Domine, quemadmodum Lazarum, ac cæcum duplici tuæ potentiæ miraculo adjuvisti, nos etiam densa caligine obrutos, et jam omnino extinctos adjuva, ut huic tuæ voci assuescamus.

VIII. Tua voluntas sibi perfectissime constat, cùm tua ipsa natura sit. Quamvis autem omnia velit, et omnium sit causa, una tamen est et immultiplicabilis, quam nullus hominum judicare valet et reprehendere. Tua voluntas eadem est cum tui Genitoris voluntate.

IX. Id a te modo enixe poscimus, ut quemadmodum nos, nostraque omnia nullum præter te principium agnoscunt, nullumque Deum ac Dominum, ita nostra tuæ obsequatur voluntas, quam ut in omnibus regas ac dirigas votis omnibus imploramus. Et sicuti menti nostræ cogitationum omnium dominæ sensus, cæterasque omnes tam interiores, quam exteriores corporis facultates subjecisti, ita

mens ipsa sub tua potestate ultro libenterque maneat. Nostros itaque, composita prius mente, compone sensus, quos veluti odoratas frugum primitias tibi mens offerat.

X. Voluntas nostra mundam animi conscientiam, tuæ gratiæ ope, tibi exhibeat : cor ad te erigat noster hic cœtus, suaque crimina aperte atque ingenue confiteatur. Et ut gratæ tibi sint precationes nostræ, nostram dele turpitudinem. Grex iste tuus tuam bonitatem assidue laudet, et ad tuam gloriam prædicandam peculiari quodam studio ac voluptate pertrahatur.

SERMO CLI.

DE DEI JUSTITIA, ET MISERICORDIA.

I. Tuam, Domine, Justitiam laudamus mortalium omnium parentem, quippe quæ dum humanissima ac liberalissima est in augenda filiorum dignitate, est et in ipsorum vitiis puniendis acerrima.

II. Tuam pariter commendamus Misericordiam vitæ magistram quæ etsi virgam teneat ad objurgandam discipulorum socordiam tarditatemque, eorum tamen diligentiam præmio vacuam esse non patitur.

III. Hoc tuæ Justitiæ proprium esse gaudemus, ut non alia ratione improbos exterreat, « quam ut fugiant a facie » arcus [1] » et in Misericordiæ sinum, tanquam in portum sese recipiant.

IV. Hic autem portus etsi latissime patet, tamen perpaucos defendit, si prudentes exceperis. Ipsi enim soli Misericordia sapienter utuntur; primo quidem quia pravita-

[1] Ps. LIX, 6.

tem oderunt; deinde vero quia si forte erraverint, ipsis etiam errantibus pœnitendi locum relictum esse vident. Hoc illis insuper gloriæ tribuitur, ut cum persuasum sibi habeant stultissimi hominis esse divina ad peccandum abuti clementia, exinde crimina evitare, et vitam laude dignam gerere apud semetipsos proponant.

V. Id contra adolescentibus videtur esse a natura inditum, ut ubi Misericordia eorum memoriæ subeat, rationem bono consilio ab immortali Deo datam in fraudem convertant; ex quo fit ut gravissimam sibi criminum sarcinam imponant. Proh miseri atque infelices, quippe qui salutari medicina gratis tradita ad propriam perniciem impudentissime utuntur!

VI. Nunquam satis commendari potest divina Providentia, quæ duo impiis remedia præscripsit, miserationes videlicet et pœnas; ut quos Misericordia audaces reddit, pœnarum metus coërceat.

VII. Eadem singulorum hominum mentem libero arbitrio donavit. Quod ubi depressum jacere novit, illud sua celeriter gratia elevat; ubi vero extra rationis septa egredi insolenter videt, illud idem Justitiæ viribus in officio continet.

VIII. Qua de re jure homines Justitiam reverentur; quandoquidem hæc calamum et atramentum ad improborum flagitia notanda in promptu habet. Illi sceleribus scelera contexunt, ista describit. Quis autem non metu corruat, si Justitiæ ingens volumen contempletur, in quo singula, aut ore prolata, aut opere completa designantur? Quis hujus rigorem sustinere queat, dum vel unicam lacrymarum guttulam, vel minimum oculorum obtutum in quæstionem vocabit?

IX. Huc agite, auditores carissimi, et mea verba attento animo dum accipitis, timorem, si licet, excutite. In eo

codice relatum est quidquid manus, oculi, aures et pedes egerint, quidquid animus aut cogitaverit, aut concupiverit. Cumque Justitia judicium instituet, nihil inultum prætermittet et nihil obliviscetur. Qui autem aliter crederet, gravissimam illius perfectioni injuriam faceret.

X. Ob eamdem quoque rationem Misericordia læderetur, si nostris ipsam sceleribus cedere, aut debilitari opinaremur; finita enim res tanti non est, ut quodlibet infinitum exhauriat.

XI. Quæ cum ita sint, dum Justitiæ rigorem mecum ipse memoria repeto, in luctu versor, in quo hoc uno solatio utor, quod nimirum, ut mox innuebam, divina nequit Misericordia ab hominum malitia defatigari.

XII. Igitur, fratres amantissimi, quamvis formidanda Justitia sit, magnum tamen solatii argumentum vobis est, Misericordiam habere vestræ salutis conservatricem, ad cujus consilium nutumque singula vere pœnitentium flagitia condonantur, et perpetuæ mortis infamiæque sententiæ abrogatur.

XIII. Ne tamen hoc ipso, quod effugium vobis Misericordia præbet, audaciores fieri velitis; quandoquidem nullis fas est veniam in judicio sperare, quin prius ab improbitate decesserit, suamque mentem mutaverit. Vos admiratione compleri oportet, dum justitiam ac misericordiam durissimas simul ac suavissimas esse audieritis, improbis scilicet severitatis, probis vero suavitatis plenissimas.

XIV. Quidni igitur, Deus optime, gratias misericordiæ tuæ maximas agere debeamus, quæ Justitiæ severitatem tot condimentis humanitatis mitigat, ut parentis amantissimæ potius, quam ultricis ac vindicis, vices gerat? Gratias etiam Justitiæ referimus, quæ Misericordiæ lenitatem ita moderatur, ut depravatorum hominum morum correctioni inserviat.

XV. Nos, Domine, tibi in perpetuum summo beneficio obligatos esse profitemur, qui diversissimos hosce auxiliorum fontes omni laude dignissimos invicem copulasti, ita ut Misericordiam a Justitia, Justitiam a Misericordia divelli minime sinas.

XVI. Meæ, quæso, fortunæ utraque misereatur, dum me macie tabeque confectum videt, ut in me divinum illud effatum impleri sentiam; qui lepræ morbo totus laborat mundus sit in lege tua. Et alterum illud: « Ubi abundavit » delictum, ibi superabundavit gratia. [1] »

SERMO CLII.

CUR ALIQUIBUS DEUS PETITIONIBUS ANNUAT, QUASDAM VERO REJICIAT?

I. Mirum sane videri cuiquam potest Zebedæi filios, ad suas Christo preces porrigendas, verborum subsidium emendicasse, cum non ignorarent penitiores cordium latebras ipsi luce clariores esse. At non mirum si hujusmodi preces nullam apud eum vim obtinuerint; quod quidem ideo accidisse credendum est, ut compertum nobis foret, quæ fundimus vota, minimi haberi nisi prius ipsorum naturam studiose perpendamus.

II. Enimvero cum Deum infinita sua virtute ac potentia omnia facere posse juventus, quantumvis infantissima, perspectum satis habeat, hinc fit ut ineptissimis eum obsecrationibus importune, si ita loqui fas est, obtundat, cum illud minime animadvertat Deum omnia miro quodam

[1] Rom. v, 20.

ordine et consilio regere, et quanquam facere quæcumque possit, tamen ea tantummodo efficere, quæ magis expedire intelligit.

III. Quia discipuli nullo consilio postularunt, idcirco sapientissimus Præceptor vacuos summo cum dedecore tristitiaque his verbis dimisit: « Nescitis quid petatis [1]. » Qua gravissima objurgatione ostendit quamlibet imprudentem petitionem supplicibus mœstitiam parere, animique tranquillitatem perturbare.

IV. Quandiu a petendo discipuli abstinuere, facilem illum ac benevolum senserunt, omnibus nempe congrua expetentibus benigne annuentem. Ex quo vero immoderatam, qua flagrabant, cupiditatem manifestarunt, eos severe corripuit, quo videlicet exemplo nos monitos voluit ne nobis, si minus consentanea postulemus, res prospere eventuras blandiamur.

V. Quod si Dominus noster, futura probe sciens, discipulis restitisset, cum nondum orationem absolvissent, asserendum videretur januam nostris ipsum vocibus obstruere. At modo manifestissime patet supplices ipsos sibi repulsam consciscere ob preces non minus imprudentes, quam detestandas.

VI. Hujusmodi vero eorum in primis orationes sunt, qui inter preces innumeris ad purgandam malitiam suam utuntur excusationibus, quas nemo potest brevi verborum circuitu comprehendere. Is enim Oceani latitudinem profunditatemque dimetietur, qui certorum hominum stultitiam in orando valeat dicendo consequi. A recto siquidem virtutis tramite declinantes ea persæpe postulant, quæ si Deus concederet, concitatis ad interitum pedibus properarent.

VII. Sed redeamus unde digressi sumus. Divinus anima-

[1] Marc. x, 38.

rum Medicus animadvertens filiorum Zebedæi mentem superbiæ veneno vitiatam corruptamque, sua statim occurrit antidoto, ne si diutius medicina protraheretur, in reliquos discipulos virus serperet, qui de tam perniciosa facilitate jure conqueri potuissent. Itaque maximum illud discrimen, in quo cæteri etiam positi forent, illico avertit et pestiferum morbum radicitus amputavit.

VIII. Hinc tu, quisquis es qui preces nimias adhibes, disce, antequam largitorem adeas, tuæ petitionis conditionem mature expendere, sit-ne inutilis, an vitiosa; si enim causa, ex qua oritur arbor, sit exitiales germinans fructus, nihil est ad tuam salutem accommodatius, quam ut fatalis ista arbor, ea quæ Zebedæi filios sanavit, dextera excidatur.

IX. Age vero Christi providentiam ac justitiam serio considerandam tibi propone, cum id non minus æquitati quam rationi consentaneum sit. Ille quanquam præstare omnia possit, a sua tamen dignitate alienissimum judicat ea, quæ vel minimo cuiquam detrimento esse possunt, concedere. Potest profecto debita gratis omnino dimittere; verum ab hoc ejus justitia quam longissime distat. Potest veniam rogatus denegare, at ejusdem misericordia non patitur.

X. Quæ quidem etiam os nostrum, ex quo voces effluunt omnes, timore simul et amore dirigit; timore quidem, ne turpia effutiat verba; amore, ut caute, verecunde, prudenter loquatur. Quemadmodum enim divinæ justitiæ metus nos ab imprudenti elocutione absterret, ita lenitatis amor ad honeste dicendum allicit.

XI. Os autem illud, quod nec justitiæ nec amori pareat, indomito ac refractario equo aptissime comparatur, cujus ferocitatem nisi eques fræno coërceat, facile est ut ambo in præceps cæco impetu corruant. Quamobrem præter fræni moderamen calcaria etiam stimulique adjunguntur

ut equus non quo itur, sed quo eundum est, sine ulla offensione gradiatur.

XII. Unum eumdemque Dominum nostræ petitiones respiciunt, cujus est proprium admittere quæ commoda humanæ saluti sunt, noxia vero rejicere et repudiare; ideo si quis aliqua cum vero bono pugnantia flagitet, non impetrabit.

XIII. Quæ recta petuntur fide, felici exitu non carent. Per ipsam enim vota oblationesque implentur; per ipsam humana mens omni prorsus diffidentia liberatur, qua de medio sublata, facile quidquid a Deo poscimus, obtinemus.

XIV. Incredibilis porro est vis petitionum, quæ ab integro sinceroque animo eliciuntur; de quibus hoc unum satis dixisse erit has Deo summopere in deliciis esse, qui si aliquando illas exaudire æquissimis rationum momentis distulerit, non ideo dolendum nobis est. Nam sicuti messorem non piget tamdiu expectare, donec quas seruit, fruges plenam maturitatem attigerint; ita nec nobis quidem ægre ferendum est, si nostras Deus preces nondum maturas ad opportunius tempus protraxerit, ut sua nobis munera tempestive largiatur.

XV. Beneficentissimus Dominus precum conditionem temporum circumstantiis metitur. Quemadmodum enim fructus præposteris temporibus excerptus valetudini officit, sic et petitio intempestive oblata pro auxilio detrimentum parit. Hoc in causa est, cur divinus Largitor, antequam supplicum preces exaudiat, moras solet utiles interponere.

XVI. Cum enim Deus infinita sua sapientia preces cæteroquin honestissimas, aliqua ex parte, aut ad salutem parum utiles, aut petentibus obfuturas deprehendat, beneficia sua in aliud tempus differt, quanquam id nobis

displicere sciat; eo plane modo, quo in infantibus alendis se gerit nutrix. Hæc siquidem puerorum necessitati, non cupidati sese accommodat, et si lacte opus esse videat, ubera ipsis admovet; sin minus, licet interruptis illi vagitibus lac inhient, provida tamen mulier adduci nequit ut incautis eorum studiis obsequatur.

XVII. Justitia est veluti fluctuosi hujusce maris portus, ad quem preces omnes appellunt; hoc tamen discrimine, quod optimæ in eo quiescunt, imprudentes vero tanquam in scopulo confringuntur. Et jure quidem; nam si omnes promiscue supplicationes admitterentur, hoc inde enorme incommodum sequeretur, quod supplices oratores sese mutuo contemnerent, et infausta sociis sæpenumero per invidiam precarentur.

XVIII. Itaque laudibus illum extollamus, cui prætterquam quod cuncta innotescunt, etiam precum conditionem sedulo intuetur, quas, ut modo ostendimus, si perfectæ sint, exaudit; si vero dolosæ, respuit; in illis enim vita, in his autem mors continetur.

XIX. Cujus rei veritas magis elucescet, si sacrum Evangeliorum codicem attentius pervolvamus. Quis, amabo, illa Simonis verba notatu dignissima: « Absit a te, » Domine, non erit tibi hoc[1]; » quibus scilicet divinum Præceptorem a perferenda morte avocare conabatur; quis, inquam, verba illa fraudem redolere suspicaretur? Quis prima fronte non eum laudandum existimaret, ut fidelissimum amatorem? At vero blandæ illæ voces nonnisi stupidas aures demulcerent; Christus vero, qui postulationis pravitatem apprime noverat, eam despexit, et Simonem Satanæ vocabulo nuncupavit.

XX. Gratias igitur divinæ clementiæ majores in dies referamus, quæ nobis salutaria concedit. Studio etiam,

[1] Matth. XVI, 22.

quo fieri potest maximo Justitiam veneremur, quæ insanissimæ hominum voluntati parere refugit. Hoc autem certissima fide teneamus Deum, qui bonorum omnium inexhaustus fons est atque thesaurus, nunquam sua contrahere dona. Quod si interdum accidat ut supplices videatur repellere, id ab eo hujusmodi ratione fit, ut nimirum et donum in pretio sit accipienti, et ut idem sit orationi assiduus. Nam si statim vota impleret nostra, fortasse laudabilem orationis usum prætermitteremus.

SERMO CLIII.

OMNIA A DEO DISPONI AD HOMINUM SALUTEM.

I. Deus, qui in consiliis ditissimus sua nobis aliquando auxilia contrahit, aliquando vero largiter profundit, nos æque diligit, cum errantes quærit, ac cum quærentes fugit. Dum fugit, sui desiderium in hominum mentibus altius imprimit. Quemadmodum vero qui quempiam studiose quærit, se procul ab eo vivere non posse ostendit, ita et Deus nos investigando de nostra absentia sollicitum se esse aperte satis declarat.

II. Optimus siquidem ille aliquando a nobis fugit, ut nostra imbecillitas ipsius pulchritudinis cupiditate intensius inflammetur, adeoque solertiores prudentioresque evadamus. Hæc enim vera prudentia est, hæc saluberrima deliberatio, illius nimirum, si recte sapimus, bonitatem, quæ latissime patet, ex animo prosequi atque adamare. Nam si nostrum erga se studium imminui, aut prorsus elanguescere animadvertat, sua statim gratia nobis occurrit.

Quam quidem non minus impertitur, dum nostram vitat consuetudinem, ac dum nos oberrantes insequitur, cum certum illi sedeat quoslibet, vel invitos in tutum perducere.

III. Minam a divite non petit, nec talentum ab inope. Si dives talentum ipsi offerat, benigne accipit; si pauper unius drachmæ munusculum, æqua benignitate suscipit. Si vero dives levissimum quid tribuat, humanissimus ille non improbat, dummodo a cordis simplicitate, sinceroque studio proficiscatur.

IV. Vidit Deus omne hominum genus, pecudum more, ad hostias olim dæmoni immolandas ferri. Ut igitur illos vel minus opinantes sibi devinciret, hoc prudenti usus est consilio. In eam omnes opinionem adduxit, ut putarent sacrificia sibi pergrata esse. Id autem etsi veri speciem præ se ferat, nullam tamen reipsa habet. Neque enim humana Deo sacrificia placent, sed tantum immaculati Agni oblatio, victimarum cruore designata, vim apud ipsum maximam obtinere valet. Quocirca illorum abominationem toleravit, eo ferme pacto, quo solers medicus se ad ægroti insaniam accommodat, non alia certe ratione, nisi ut obductam cicatricem sanet.

V. Quin et ipsi dæmones immundissimi nullam ex victimis delectationem, aut utilitatem capiunt; non enim esuriunt, ut exaturari postulent, cum spiritualis eorum natura nullo indigeat nutrimento. Solum itaque hominem prædari concupiscunt, ut nempe servum possideant, qui sibi dominum novit divinitus constitutum. Quapropter dicendum est sapientissimum Dominum homines per sacrificia ab ethnicorum superstitionibus deterrere voluisse.

VI. Divinorum sermonum virtus optimo jure cæteris morborum curationibus comparari potest. Nam sicuti istæ specie diversæ sunt, fine autem, id est, sanitate, invicem

convenire dicuntur; ita divini sermones, divinæque historiæ aptissime inter se cohærent; quamvis si easdem litigiosi homines ad propriam libidinem extorqueant, mutuo sibi contradicere ac reluctari videantur.

VII. Lanam etiam diversis coloribus imbui posse nemo inficias ibit. Hujusce vero naturam variabilem esse quis asserat? Hæc proprium nunquam amittit colorem, licet ad omnes recipiendos indiscriminatim se habeat. Unica ergo est et multiplex; unica, ratione naturæ; ratione colorum, quibus potest circumvestiri, multiplex. Sic et veritas, quamvis unica revera sit, tamen ad plures voces diversasque significationes traducitur.

VIII. Porro petulantia non desunt ingenia, quæ individuam veritatis vim temere dividunt, et eam sibi adversari compellunt. Veritas in veridicis hominibus quietum jucundumque, in doctis sanum ac integrum locum obtinet, in contentiosis molestum intolerandumque; cum ipsam interpretando sibimetipsis invicem convenire non possint.

IX. In auditu sano concordant sermones; unde sapientem illum virum dixeris, qui, ingeniosi opificis instar, suum ita ædificium nectit expolitque, ut nihil ad perfectam ejus elegantiam desideretur. Qui vero artis imperitus omnino est, audientium plausus delicatis voculis aucupatur, ne latentem dolum excludant.

X. Sacri oratoris ac egregii viri præclara munera quis omnia referat? Ipse siquidem optimus interpres est et conciliator earum sententiarum, quæ stultis dissonæ apparent. Illas enim vel consonas explicat, vel dissentientes ratione conjungit, et concitatas auditorum mentes componit. Quod ubi præstiterit, statim et sermones inter sese firmissimo concordiæ vinculo copulantur.

SERMO CLIV.

DE DIVINA GRATIA.

I. Enitere ut divinam Gratiam in mente tua habeas, ne illudaris. Cole illam ut custodem, ne injuria affecta relinquat te. Venerare illam ut magistram invisibilium, ut ne, illa absente, verseris in tenebris. Sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas. Sine comitatu illius, virtutis semitam ne ingrediaris, nam Draco insidias tibi struet. Absque consilio ipsius, non tractes quæ ad animam pertinent; multi enim sunt, qui specie recti mentem depravant. Illa tibi naviganti nisi affuerit, vani labores tui erunt. Hac nisi adversus inimicos tuos inunctus fueris, multis frustra susceptis laboribus, turpiter victus lugebis. Illam nisi sociam tibi habueris, dolos serpentis ignorabis.

II. Cum promptitudine igitur animi, morem ipsi gerito, et cuncta tibi perspicua reddet. Studiose præcepta illius imbibe, et cito absque ulla sollicitudine eris. Illam tibi familiarem atque domesticam facito, et consuetudinem ejus honorificam experieris; nec te illudet. Sororem tibi assume illam (ut monet Scriptura) et semitam patris ostendet tibi[1]. Filium Altissimi efficiet te, si illam tibi sororem adjunxeris. Instar matris, ubera præbebit tibi, et velut infantem ab insidiatoribus custodiet te. Tanquam parvulum incautum gubernabit te, et in virum perfectum te formabit. Amori ejus fidem adhibe; ea enim omnis creaturæ principium est. Nondum ejus erga te amoris vim cernis,

[1] Prov. VII, 4.

quoniam et lactantes pueruli matris erga se ignorant sollicitudinem. Patiens esto et illius te submitte consilio; atque ita ejus fructus utilitatemque percipies. Nesciunt quomodo nutriantur et infantes; at ubi paulatim adoleverint, virique evaserint, naturæ vim in se admirantur. Sic et tu, si perstiteris, ad perfectionem pervenies.

III. Quod et ex Joseph intelligere potes, dum oves pasceret; non enim subito ipsum ad summa perduxit, sed multis quasi præparationibus exercuit. Non agnoscebat adolescens quid fieret, sed se ab illa regi sinebat ut vellet. Quando autem diadema illi, ut regi, imposuit, tum demum utilitatem ejus intellexit. Quando in regio eum solio collocavit, tunc ideo se captivum fuisse rescivit, ut ab ea exploraretur. Sicut mater artibus imbuit; ita illum per patientiam pietatem edocuit. Ut magister proprium filium instruit; sic illum in servitute exercuit. Quemadmodum pater filium percutit, ut fiat sapiens; sic ea ipsum laboribus objecit. Bonis ejus consiliis ille morem gessit, et ut filius primogenitus ab ipsa honoratus est. Ostendit illi Gratia cujus naturæ esset, et filium jam effectum regem constituit. Simul cum illo regnavit, et idcirco ad finem usque eum direxit. Non illum reliquit in principatu, quia nec ipse ab ea deflexit, cum tentaretur. Honoris et æstimationis ejus studiosa fuit; quia et ipse illam in necessitate coluerat. Ejus correctionem ut matris tulit, et decoris illius hæres est factus. Ipsius tanquam magistræ reprehensionem pertulit, et doctrinam atque sapientiam rerum invisibilium acquisivit. Quæ ad singulos pertinent antea nesciebat; et obediens ei, cognovit quæ ad homines spectent universos. Quid ageret ignorabat, et ad extremum ipsis etiam regibus quæ facerent suasit. Ubi versaretur vix intelligebat, et quid quovis tempore cunctis eventurum esset hominibus prænuntiavit. Quousque alieno subderetur imperio

ignorabat, et quanta, et qualia adhuc restarent tempora aperte respondit. Quodque absque Gratia, nemo unquam ea viderit quæ oculis cerni non possunt, ex iis quæ ab eo gesta sunt, facile constare potest. Sapientes erant Ægyptii, sed absque ea, stulti et insipientes. Videbantur et rerum sub aspectum non cadentium, velut incantatores, tenere scientiam; verum illorum scientia inscitiæ et tenebrarum erat plena. Affirmat et Paulus «spiritalia nequitiæ esse [1] »; ut discamus et eos, rerum quæ oculis cerni nequeunt, scientiam habere, at incertam et impropriam; quoniam nihil plane norunt.

IV. Discere quoque licet, ex gestis Joseph, quod Gratia Dei quascumque res superet invisibiles. Hanc nihil latet, et idcirco qui illam sibi vendicat, non succumbet tentationibus. Ipsa autem latere nequit: est enim lux quæ a tenebris non comprehenditur, et Paulus de iis qui Joseph sunt similes, loquens: «Spiritalis», inquit, «homo omnia »judicat, ipse autem a nemine judicatur [2]. » Si quodnam sit Dei judicium sciremus, mundi judicium damnaremus. Magistri infantium erant Ægyptii, quos et Joseph ne bonos quidem discipulos esse posse ostendit. Si enim magistri fuerint insipientes ac stolidi, multo magis discipuli ipsi tales erunt. Quibus nulla vis est, verbis illi utuntur bene sonantibus. Et meretrices, licet deformes, fucum ad fallendos homines adhibent. Joseph juvenis erat absque litteris; tamen eadem adjuvante Gratia, senes ægyptios superavit. Apostoli etiam idiotæ erant, et illitterati, sed et loquaces Pharisæos vicerunt, cum dicerent: « Si justum est non »loqui quæ novimus », aut non facere quæ ad curam atque medelam hominum didicimus, «vos judicate [3]. » Ad quæ illi subticuerunt. Eadem Gratia et in Sanctis fuit: « Spiritus »enim sanctus », inquit Christus, «docebit vos omnia quæ

[1] Ephes. VI, 12. — [2] I Cor. II, 15. — [3] Act. IV, 20.

» ventura sunt[1]. » Quin et Apostolus affirmat nos Dei Spiritum habere, per quem omnia novimus; et iterum : « Non » habemus spiritum mundi[2] »; quo quidem spiritu edocti, novimus sapientes Ægypti nihil scivisse. Et spiritum quidem etiam mundi spiritum appellavit; nam et homines et bestiæ animam habere dicuntur. Non infert præjudicium Gratiæ Dei nomen; non enim ex nominibus censentur res, sed ex rebus nomina.

V. Intelligite ex justo Joseph per tentationes nos oportere ad agnitionem pulchritudinis Gratiæ pervenire. Novi permultos optare se Gratiæ filios esse; sed quid illis prodest velle, nisi accedant et facta? Novi multos etiam per fidem Gratiæ filios esse appellatos; sed non multi propter negligentiam illa potientur. Non omnes postquam viri evaserint, suas matres reverentur. Itidemque Gratia licet multos enutrierit, a paucis tamen honoratur. Pariendi dolores laboresque educationis non omnes intelligunt. Ita et pauci sunt inter nos qui bene ad Gratiæ sint munus affecti. Si nosse cupitis quid operetur Gratia, nobis id optime declarabit Joseph. Cunctorum et bonorum et malorum curam gerit ut mater. Quapropter et Ægyptios sustentavit. Paucos hæredes habet, quorum delectetur consuetudine; eosque si a recta vitæ semita deflexerint, adhuc sustinet. Sin se impios ostenderint, aversatur; nec tamen sua ipsis recludit viscera, ne moriantur. Quod si talem se gerit erga ingratos, cur consuetudinem ejus subterfugimus? Si erga contumeliosos benignam se exhibet, quare non intelligimus quod universas bonitatis suæ divitias in amantes effundat? Quare, si aliquando sese occultet, desidiæ atque torpori ne succumbamus; et si nos tentari permittat, animum ne abjiciamus. Quid expediat nobis optime novit. Mensuram cujusque exploratissimam habet, et quantum

[1] Joann. x, 26. — [2] 1 Cor. II, 12.

cuique satis est largitur. Beneficium quandoque differre videtur, atque supprimere; quod nobis ita expediat. Querimonias nostras tolerat, ut solent medici, cum ægrotantibus usum vini ac cibi auferunt.

VI. Intelligite quæ dico; ne in rebus claris tempus conteram. Quæ est Gratia? quæ natura? quæ cognitio? quæ electio? quæ firmitas atque constantia? quæ communicatio? Ipse Paulus astruit Gratiarum esse divisiones, easque ad utilitatem singulis distribui. Ne igitur increduli simus, non accipientes; neque cum accipimus, similia requiramus. Ne propter varietatem donorum, dubitemus. Verum tempora et conditiones hominum, moresque attendamus oportet. Neque nunc Ægyptius dominatur, neque fame premitur Chananæus. Non est jam justus Jacob, neque Israëlis populus, qui sit egressurus ex Ægypto, ut Chananæi adeat hæreditatem; non fratres pastores; non mercatores Madianitæ; non Joseph conjector somniorum. Ex reliquis tamen sacrorum voluminum locis, et eamdem esse Gratiam, et eamdem esse fidem credimus. Si enim cuncta ejusdem essent generis, atque similia, tunc res non providentia, sed natura sic disponi censeremus. Abel acquisivit Gratiam, quippe qui per proprium sanguinem moriens, Deo conjungi meruit. Enoch translatus est, ne videret mortem. Et Noë in Gratia salvatus est a diluvio. Magna in præsenti vitæ statu cernitur varietas, quoniam et diversa est electio. Ex Gratia probationis etiam differentiam intelligemus. Non iisdem omnes subjecti sunt tentationibus, quia nec eodem omnes præditi sunt ingenio. Una quidem cunctis corona est proposita; sed ad quam variis certaminibus contendimus. Idque ex navigantibus in mari intelligere licet. Unum est mare, sed navigantium cursus est diversus. Naves cunctæ sunt similes, sed quædam etiam secundo vento utentes, naufragium faciunt; aliæ vero

summmis periculis jactatæ salvantur. Et multæ ab uno eodemque vento diversimode commoventur; loca enim et promontoria ventos movent et fluctus, ipsamque gubernatorum artem nunc impediunt, nunc dirigunt. Non parum etiam refert cujus formæ sint naves, quæque earum vela, et quæ gubernacula; ut vel hinc vobis innotescat quis præsentis vitæ nostræ sit status.

VII. Si quid adhuc jam dictis addendum videbitur, vos supplete. Ego enim ut artis imperitus, parendi desiderio adductus, quæ sciebam scripsi, licet fortasse paulo arrogantius; quod tamen citra omnem indignationem boni consuletis, spero. Cum enim recusare non possem, quæstionis partem aggressus sum; quam dum accuratius explicare vellem, par est me lapsum esse. Non nego infirmitatem naturæ; non de operibus meis glorior; non repeto similitudinem: sermo meus vester est minister. Si vita non comprobat, orationem admonentem excipite. Esto sermo meus vestræ speculum naturalis actionis. In illo tanquam in pellucida materia virtutem vestram cernite spiritalem. Miramini vos ipsi recognoscentes, et scribentis errata reprehendite. Quæ orationi desunt, factis corrigite. Imperitiam arguite illius, qui virtutis formam describere non vereatur. Respuite hominem qui, verbo imperfecto, virtutis perfectum exprimat simulacrum. Studium ac bonam voluntatem agnoscite, et ignorantiæ parcite. Imperitiam cognoscite et studium ne rejicite. Et quia ex paupertate mea, vobis quod potui libenter dedi, vos ex divitiis vestris, precationis et paternæ charitatis munera nobis abundanter rependite. Ego quamvis inops, divitibus mutuum dedi. Non sortem volo, sed fœnus repeto; non laudes, sed preces deposco: non mercedem, sed mutuam benevolentiam exigo. Nescio an opus meum jussu vestro dignum sit: novi autem onus hoc mihi a vobis impositum, non quod admo-

nitione indigeretis, sed ut in me potius liberales essetis. Qui fontem habent, gutta non indigent. Non egent lacte qui gregem pascunt. Qui panem frangunt, micis non habent opus. Qui mel conficiunt, iis non est necesse ut mellis saporem explorent. Qui margaritam possident, illis, ut vilem acquirant obolum, non est laborandum. Vos ex agro vestro quem colitis, fructum nobis aliquem afferte, quoniam Paradisum obtinuistis. Præbete animæ cibum, quos lignum vitæ sustentat : quemadmodum enim, ea quæ videntur caduca sunt, ita et nostra ad vos oratio. Sed vos ista operibus perficientes, sempiterna reddite.

SERMO CLV.

DE NOSTRA LIBERTATE, ET QUOD LIBER FACTUS EST HOMO.

I. Deus hominem liberum condidit, ratione ac sapientia decorans, ante oculos ejus ponens vitam et mortem, ut siquidem velit per liberum arbitrium viam vitæ ire, vivat in sæculum : si vero ex mala electione pergat per viam mortis, in æternum puniatur : quæ enim ad naturam spectant, mutari non possunt ; neque honoribus, neque suppliciis digna sunt. Nemo enim incusatus fuit unquam quod albus esset, aut niger, aut quod fuerit longus, aut exiguus. Non sunt namque nostræ electionis.

II. In nostra electione autem sunt supplicia et præmia : utrorumque enim usus et nostri consilii est, et voluntatis, ac divini auxilii, et defensionis : etenim altero deficiente, alterum vim exercet. « Quos prævidit Deus, hos et prædefinivit,

» atque vocavit; sed qui secundum propositum vocati » erant[1], » sicut ait Apostolus, hoc est, secundum voluntatem et consilium. Nam illos, qui noluerunt, sinit ambulare juxta eorum voluntatem. Non enim cogit, neque vitiat ipsum, et suam imaginem hominem. Ipse invisibilis est; sua autem imago homo visibilis. Quodcumque igitur aliquis homini fecerit sive bonum, sive malum, ipsi refertur. Ideo ex ipso judicium omnibus pro meritis retribuens exhibit; suam enim vindicat imaginem.

SERMO CLVI.

DE LIBERO HUMANÆ VOLUNTATIS ARBITRIO I.

I. Quis dabit hominem[2] ea instructum patientia, ut tuam, Domine, persequi patientiam sustineat, qua irrogatas tibi injurias toleras? Non nos puduit esse sceleratos, quæcumque in homine perdito crimina deprehenduntur, omnia in nobis redundarunt. Placuit esse sceleris aliquando puros, et noxæ integros; statim quæ homines probos infestare solet, incessit animum superbia. Alius in alium cæco impetu incurrimus, tantaque est in plerisque improbitas, ut aliorum secundis rebus offendantur, et gaudeant adversis. Jure optimo vitæ nostræ spatia intra angustissimos terminos contracta sunt, cum vitia nostra latissime manarent: intra septuaginta annorum periodum ætatem nostram vel maxime diuturnam coëgisti. Quid inde? Nostra in te peccata ad summam septuagies septies ætate majorem exaggeravimus. Scilicet gratia, non pœna

[1] Rom. VIII, 29, 30. — [2] Vid. D. Guillon, tom. VIII, p. 246.

fuit, quod nobis vitam breviaveris, ne videlicet peccandi spatia produceres. In tua, Deus, misericordia, quam tuæ oppono justitiæ, præsidia omnia constituo ad omnes casus. Enimvero etsi impurum quemque sui similium consuetudo minime delectet, licet puritas in te tanquam in sua sede consideat, hanc tamen hominum colluviem tu minime fastidis. Jam et illud vehementer admiror, tuam justitiam a tua clementia minime dissidere, cum non ferendum videatur, quod crescente scelerum cumulo, bonitatis tuæ lenitas nunquam minuatur, sed neque hanc ab illa aliquando fuisse reprehensam, quod illatas tibi injurias vindicare passim detrectet, adeo ut etiam offensoribus impunitatem procuret.

II. Et tu quidem honore et opibus supra modum nos extuleras, ipsi nos sine fine depressimus : quæ honesta rationique consentanea erant, præcepisti, præcepta contempsimus, et his contraria duximus nobis potiora : inditas a nostra conditione nomenclationes rescidimus, et exuimus imaginem tuam, ad quam nos e limo formaveras. Hinc incidit rursus magnopere demirari bonitatem tuam, tuamque justitiam sine fine laudare : etenim si hanc offendimus, insistimus statim, precamurque ne persequatur injuriam; si autem contingat quempiam in nos minus æquum fuisse, tum ei obstrepimus, quod offensorem impunitum dimiserit. Abnuit illa tamen, et instat accusatori, ut det sponsorem fore ut ipse prius acceptas remittat injurias, neque velit debita prius repetere, quam reddere : causam itaque actori communem cum reo fecit, ut offensus prius offensorem absolvat, quam absolutionem ipse ab ipsa petat. Sic suomet judicio nequitia nostra absolvitur et damnatur; quo enim supplex debita sibi dimitti rogat, absolvitur; damnatur simul, ac deprehenditur ea debere, quæ repetit.

III. Hic porro tortuosum et multiplex nostræ voluntatis ingenium observo; nam si ipsa facit injuriam, propriam statim imbecillitatem et vires tenues excusat; si accipit, accusat offensoris improbitatem : nec cæca videt, sumptis consequentia esse contraria; etenim si accusator infirmus est, et ideo se commiseratione dignum affirmat, fortis certe non est, quem idem accusat, et ipsum de venia interpellat. Erramus, et in non errantem errorem nostrum rejicimus. Si humanæ naturæ lapsa est valetudo, et consenuere vires, absolvendus est, qui in nos peccavit ; si autem adhuc illa suo pollet robore, nimium est quod petimus, si nobis peccantibus ignosci rogamus. Novit Dei justitia nos de nostro revincere; enimvero si peccantibus a natura defuere vires, defectus utique peculiaris non fuit, nec unus modo delinquens excusabitur ; si autem nullus intercessit defectus, sed natura potens et robusta potuit omnino non peccare, commune omnibus arbitrium omnes accusat.

IV. Cæterum unde judicas inimicum tuum, quod in te exercet odium, cohibere posse, inde voluntatem tuam liberam esse testaris, et arguis eam utique ad non peccandum impotentem non fuisse; etenim si tuo adversario integra est eligendi potestas, eadem certe tibi imminuta non est. Jam si cum læsæ divinæ Majestatis rei arguimur, infirmitatem nostram causamur, manifestus profecto naturæ defectus nobis nostram nostrique offensoris imbecillitatem exploratam et ratam facere debet; ergo cum legis transgressor, Dei misericordiam propitiaturus, propriam obtendit infirmitatem, suum quodammodo absolvit offensorem ; contra dum nos in eos, qui injuriam fecere, judicio agimus, actio nostra nos reos facit.

V. Liberi arbitrii natura simplex et una est, ac proinde in omnibus hominibus eadem; quocirca si in isto singu-

lari homine infirmam fingis, talem ponere debes generatim in omnibus; sin contra robustam et plane expeditam huic concedis, reliquis inepte negas; vel igitur fateri debes talem accepisse omnes, vel negare cuiquam fuisse datam.

VI. Cibus natura jucundus quantumvis palato sano sapiat, ægro tamen insipidus est. Talem finge tibi potestatem esse arbitrii; homines vitiis corruptos facit acerbos et asperos, integros contra mites et mira quadam morum suavitate jucundos. Jam si quis saporis qualitatem dignoscere studet, non hanc in ægro corpore explorat, non est laborantis palati dijudicare sapores; hoc enim homini gustus sani minimeque depravati competit, extra hunc nemini. Si ergo potestatem arbitrii discere cupis, inepte agis, si qualis ea sit in homine impuro disquiris; is nempe sanitatem amisit et desipuit: homo igitur frugi, qui bene valet et recte sapit, sit ignis, quo statuas tibi explorandam voluntatis humanæ vim.

VII. Et sane si ægrotus quispiam cibum potumve per se dulcem, sibi amarum redolere saporem renuntiet, invaluisse morbum inde recte colligis, alioquin esculentum suapte natura suavissimum, tale esse fateretur: similiter si quis tibi obstrepat, garriens voluntatis nostræ detritas esse vires, jam habes quantum is saluti suæ desperet, qui liberum arbitrium humanæ naturæ thesaurum exhausit.

SERMO CLVII.

DE LIBERO HUMANÆ VOLUNTATIS ARBITRIO II.

I. Omnes homines video bello implicitos. Quem enim auri cupido non quatit, superbia fatigat? Quemve arrogantia non inflat, inflammat amor habendi? Quicumque tamen in hac acie cadit, ab eo, qui hostèm fortiter superavit, redarguitur, propria ignavia prostratus suaquemet sponte, cervicem supposuisse jugo. Vafrum est mali hominis ingenium et subdolum; cum ipse ea, qua pollet eligendi potestate, turpis esse velit, malitiose crimen in Conditorem suum detorquet; natus in imo corde dolor libere peccantis malitiam arguit. Nam si hominis natura ex propria conditione mala est, quî fieri dices, ut eum a perpetrato scelere statim suffundat pudor et dolor, qui certe bonus et laudabilis est, et hominem ornat, atque ad expetendum honestum, et inhonestum fugiendum impellit? Sic ingenita homini formæ dignitas inductam turpitudinem, non suam manifestat. Succenso rogo proximus de natura ignis nullus dubitat; suum hic nempe calorem vimque statim prodit. Talem cogita esse liberam voluntatem, intrinsecam nec separabilem vim obtinet: quanquam ignis natura libera non est, cum arbitrii potestas nunquam non libera sit, et vix unquam sibi similis. Modo invidet et æstuat, modo timet et alget, modo desidet et languet, modo concitatur et ardet.

II. Haustam minusculi digiti summitate maris guttam delibas, inde deducis omnes maris aquas similis esse saporis. Sic homine ab uno disce omnes, ut necesse non sit ire

per singulos explorando, utrum collato pede valeant diabolum superare ; unus namque si hunc adversarium dejicere potis est, consequitur nemini hanc potestatem fuisse negatam. Noëmum contemplare ; is profecto omnes ætatis suæ mortales revincit eos scilicet felicioribus usuros fuisse fatis, si modo ipsis libuisset; liberi quippe arbitrii vires illis ac Noëmo fuere pares. Quo factam tibi ab altero injuriam clamas, te ipse accusas, et publicas integrum tibi fuisse nec hominem, nec Deum offendere ; idque fatereris, si humanis ingeniis parata simulatio non esset; quotus enim quisque est, qui ad libidinem verba non fingat ? qui si deliquerit, non propriam infirmitatem prætexat, contendatque naturæ, non voluntatis vitio factum fuisse, ut peccaret ? Sin contra erraverit alter, errorem in naturam per se infirmam ab illo derivet ? Hic homini sensus adeo insitus est, ut si forte criminosum quempiam Deo supplicare auscultes, audias plerumque duas ejus deprecationem habere partes ; sic enim supplicat, ut suas elevet vires, alterius invidiose extollat, propria peccata tegat, aliena propalet.

III. Quam viam in hoc bivio sibi tenendam putet ipse dijudicet : nam si culpam naturæ imbecillitati ascribi rogat, hoc non magis sibi quam alteri rogat. Sin autem se esse nocentem negat, superbus est, et judicis iracundiam inflammat; ut alterutrum assumat, certe causam cum adversario sibi communem habet : urget utrumque virium defectus, utrumque ornat expedita potestas consulendi quid velit. Quare obliquos hosce anfractus fugere cum oportet, qui ad rectam venire studet, quisquis sibi peccanti misericordem postulat judicem, et alteri postulat. Qui autem alteri severum criminum ultorem optat, talem habebit ipse sibi. Utrumvis eligat eo certe se obligat, nec enim alia lege secum agendum speret; si sibi mitem et placidum judicem

cupit, alteri implacabilem optare non debet. Ecce autem paratum tibi utrumque, quid velis, quidve recuses. Oras ut judex tibi clementiam adhibeat, alterum eadem æquitate tractandum pronuntias; instas illatam tibi injuriam ut vindicet, clementiæ locum esse negas, adeo tibi tuus proximus usquequaque conjunctus et intimus est.

IV. Rursus cogita tuos offensores illic morari, ubi sedet clementia, tua autem peccata in unum conglomerata teneri, ubi sontes coërcet justitia; fieri non potest ut clementiam exoratum adeas pro delictis tuis, quin simul eamdem pro tuis offensoribus quadantenus interpelles. Ratum denique habeto tibi alterutrum obventurum, vel ut appellando clementiam adversarios tuos absolvas, vel appellando justitiam te ipse reum ad pœnam deposcas.

SERMO CLVIII.

DE LIBERO HUMANÆ VOLUNTATIS ARBITRIO III.

I. Hoc, precor, honore, Deus, dignare me, ut placeat tibi me tuas modulantem laudes audire; hanc scilicet gloriam indignum me mea crimina clamant. Cum omnia noris, utique non ignoras orantium patrocinium suscepisse impudentiam; hac enim interveniente, clausa ostia patefiunt; victa vincit; audacia fecit, ut peteret, miseria facit, ut impetret; sic miseram esse juvat. Tua quidem janua nemini clausa est, nobisque semper patet, nisi nostri obstent mores; quod si nobis quandoque occluditur, id utique sapienter agis, inque bonum nostrum ordinas, tuam idcirco laudo sapientiam, simulque suavem providentiæ modum

admiror, quo pacto videlicet ista fores seris firmatas resecret, et illa liberæ arbitrii nostri potestati thesauri sui clavem tradiderit. Et quoniam hæc una nobis obstat porta, obviis quibusque difficultatibus obluctandum obnitendumque velis et remis, ut oblatum aditum teneamus, occurramus occasioni, ne cunctantes prætervolet.

II. Suos gratia motus habet ratos et constantes, justitiæ fores frequens invisit; altera nimirum alterius ædes frequentat, et consilia promovet. Et gratia quidem hominem vel reluctantem facere justum potest; recusat tamen, nec exequitur omne quod suæ potestati subesse novit, ne videlicet rationem ac mentem, qua hominem ornavit, extinguere velle videatur; sed et a simili vi nos item cavemus homini, qui accenso lumine oculos claudit, nec invitum cogimus intueri solem. Alterutram profecto notam meretur ille, qui ducem parat homini minime cæco tenebras in meridiana luce captanti; nam si id serio facit, hunc nec pueri sensum habere dices; sin autem joco, ut hominem aliis irridendum objectet; id porro contumeliam sapit, et illiberale jocandi genus est. Nec alia sane inurenda nota fuerit ei, qui non videat apertos habere oculos eum, cui se spondet viæ ductorem. Apage nefarium dictum, ut blateres Deum irridendum se præbere voluisse, dum se ducem obtulit homini acutissime cernenti, perinde ac si oculos, quos ei dedit, ipse non cerneret.

III. Idem profecto judicium ferendum aio de illo, qui homini integras et expeditas manus ambas habenti, et earumdem usum recusanti, tertiam ad sumendum cibum et potum depostularet. Næ tu stultum et fatuum hunc argues; quin ergo talem habebis multo etiam potiori jure, qui similem agendi rationem Deo affingeret, postquam homini liberam potestatem dedit consulendi quid velit. Quod si malit ipse externa vi, quam libera sua voluntate duci, di-

vinæ gratiæ ingratus arguendus est accepti beneficii immemor : sique a facinorum vindice justitia plectatur, ipse coëgit invitam. Quare si liberum arbitrium attente inspicias, manui simile esse deprehendes, quam tibi integrum est ad quodlibet fructuum genus porrigere, et sicut ante tibi liberum fuit frugem letiferam decerpere, sic modo licet tibi pomum mortis antidotum auferre.

SERMO CLIX.

DE LIBERO HUMANÆ VOLUNTATIS ARBITRIO IV.

I. Si natura mali sumus, in Conditorem, qui tales condidit, culpam licet conferamus; sin malitiam invexit concessa nobis potestas consulendi quid velimus, næ nos iniqui sumus, si extra nos cuipiam alteri succenseamus. At enimvero si libera nobis eligendi optio non est, cur nostra accusatur voluntas? Si hæc libera non est, nec justa fuit judicis eam plectentis sententia; æqua hæc fuisset, si illa faciendi quid vellet arbitrio donata, peccare maluisset. Pœna libertatem sequitur et premit; eam ab ista dividi jura vetant; una modo libera voluntas accusatur, quæ legislatoris decreta violavit; quorsum itaque summus ille rerum Conditor, quo nemo magis candidus et apertus, ea arte uteretur, ut etsi eligendi potestate nos carere vellet, lege tamen obstringeret?

II. Enimvero si auribus fidem negare non possumus, multi a multis seruntur sermones scitantibus utrum, qui nobis existentiam dedit, liberum arbitrium negaverit, et si quidem hoc ille decreverit, decreti causam disquirere

cuilibet statim occurrit. Age jam si nulla nobis inest consultandi deliberandique potestas, quonam ille consilio nobis indulsit, ut circa talia disceptaremus, vel tales haberemus quæstiones? Quæstionem enim et disceptationem sola parit libera voluntas; germanæ sorores ambæ et liberi arbitrii filiæ censentur. Non vacat ire per ambages et ratiocinationes, ut sciendi studium ex libera voluntate manare sciamus; res per se liquet, nec scitari jam licet utrum libero arbitrio ornati simus. Etenim si rogaris utrum tui compos sis ac tuus, alter te item rogat tua-ne voluntas, an potius externa quædam vis hoc de arcano scitetur; utrum autem quæstio ab altero proponatur, vel a tuo arbitrio fluat, id sane ignorare non potes; intra te quippe res agitur. Quod si neutrum te nosse dicis, testaris nec utrum existas tibi esse notum, adeo tibi ipse non constas, quare nec mirum si deliras, et pugnantia loqueris, fingens illatum nobis ab externa potestate organum, per quod incertus auctor scitetur et disputet: sive de te uno, sive de pluribus narres, idem concludis; quod igitur de te ipse fingis, de omnibus fictum puta.

III. Constat tamen ubique secum pugnare eum, qui hæsitat, et quærit an homini sit potestas eligendi quid velit, quidquid tibi suadere contendat, quidquid proponat, suam ipse sententiam oppugnat; unde consultat et deliberat, indidem docetur se ingenua naturæ suæ virtute esse liberum; et ubi animi anceps consultat in utramque partem, in medio habet summum de tota controversia judicium, et velut supremi tribunalis sententiam. Quapropter quærere si potis es, quærere absistito; nec enim tibi quærere opus est; si autem quærendi consultandique facultate cares, arbitrii potestate cares; voluntas, ligata ad unum, non deliberat; naturæ liberæ proprium id est, quæ juris sui sit, et plane sua.

IV. Duo quæ dixi, ex duobus exemplis disces, scilicet a notioribus ad ignota pernoscenda quærendus est aditus. Mutus utique disceptare non potest, linguam nempe impeditam habet; potest loqui et disputare, qui ejusmodi impedimento caret, linguæ nempe suæ dominus est. In muto naturam agnosce impeditam quominus quod libeat facere possit; in eo, qui linguam solutam habet, voluntatem contemplare sui compotem suique juris atque arbitrii: uti loquendi facultatem expeditam habenti sermo solutus est; sic liberæ voluntati decernendi quid velit, inest libera potestas; qualis mutus, talis est natura minime compos sui; nec ille linguæ usum habet, nec ista arbitrii potestatem. Ex his quæ hactenus disserui, liberum arbitrium tu in te ipso cognoscito; ipse te consulito utrum tui juris sis, utrum tibi integra sit eligendi facultas, nec-ne. Ex te videlicet, et in te ipse habes, unde plane apprehendas liberi arbitrii potestatem.

SERMO CLX.

DE INSPIRATIONE.

I. Anima ita est in corpore, ut naturale vinculum solutu difficile. Ejus autem separatio ostendit vinculum, quod sic relinquit integram compositionem, ut ostendat non esse tanquam carnis partem, sed propriam habere subsistentiam. Ita in omnibus operatur, veluti dominatrix in corpore. Ita vitam in carne operatur, ut naturali vinculo detenta. Non cibi opus habet; sine ipsa vero caro vesci non potest. Non enim est alia anima in sensibilibus agens, alia

vero in intelligibilibus. Congenita est enim anima, sed non conseminata. Cum corpore condita est, sed propriam habet subsistentiam. Natura enim est nexus, quæ in corpore per semen infunditur, et animam una conditam continet. Semen ex copula; sed hominis formatio ex divino Spiritu. Tunc simul creatur anima, cum et corpus hominis imaginem suscipit ad discretionem confusi seminis. Extra speciem est copula: tribuit enim Creatori formationem. Quod sine membris immissum est, caro est informis. Non enim potest natura sine Deo hominem constituere. Ipse enim Hieremiæ dixit: « Priusquam te formarem in utero, novi » te [1]. » Quid igitur est natura? Materiæ conformatio, quæ conditorem ad subsistentiæ largitionem et divinum Spiritum ad generis perennitatem invitat. « Inspiravit Deus in faciem » Adæ [2]. » Ex præcipua parte vultus ostendit animæ dignitatem, quod per ipsum toti præest subsistentiæ. Dixit autem, quod « factus est in animam viventem [3], » significans tunc eum in animam viventem factum fuisse, et non ante aliquod tempus.

II. Dixit: « Posuit illum, ut operaretur, et custodiret » Paradisum [4], » indicans per corpus animæ operationem. Dixit: « et dedit ei præceptum de ligno duplici, » subindicans antea nullo modo didicisse animam quid sit cognitio boni et mali, quoniam neque erat.

[1] Jerem. I, 5. — [2] Gen. II, 7. — [3] Ibid. — [4] Gen. II, 8, 15, 16.

SERMO CLXI.

DE IIS QUI DICUNT RESURRECTIONEM MORTUORUM NON ESSE.

I. Cum ethnicis sentis, et dicis mortuorum resurrectionem non esse. O os abominandum et Deo inimicum, per quod diabolus loquitur, et mendax, et mendacii auctor! O os mendax, aut verius sepulcrum patens, « ex maligno » thesauro cordis malignum afferens [1], » et dicens quod mortuorum resurrectio non sit. Quomodo non tremuisti hoc tuum indoctum os aperire, et contumeliis Christum afficere primogenitum mortuorum? Quomodo non dehiscit terra, et absorbet te vivum? Quomodo non percussit te Angelus, qui resurrectionem prædicavit, dixitque mulieribus, quia surrexit Christus ex mortuis, primitiæ dormientium? Ubi te statuemus? cum gentilibus, an cum Christianis? Quem te appellabimus? paganum, an Christianum? Sed absit a me te sic sentientem Christianum nuncupare: qui enim ita sentiunt, Christiani dici non debent. Si vero et se Christianos appellant, « ipsi se seducunt [2]: » non enim pars ipsorum erit cum Christo vero Deo nostro, qui nobis donavit resurrectionem: sed in gehenna illorum portio erit, ubi vermis eorum non moritur, et ignis ipsorum non extinguitur. Qui enim resurrectionem non sperat nec credit, melius esset ipsi quod natus non esset.

II. Quid te igitur nunc dixero, qui ita mentem obscuratam habes? Quem te appellem? Sadducæum-ne, an Judæum, an Samaritanum, an utrumque? An potius Saddu-

[1] Luc. vi, 45. — [2] Joan. i, 8.

cæcum, aut Samaritanum? Nam etiam hi negant resurrectionem, et tu, quibuscum et pars tua erit, nisi resipiscas. Cujusmodi tenebræ tuos obtexerunt oculos? Quæ obstinatio tuum cor occupavit? Quomodo te rapuit lupus ex ovili Christi? Quomodo depravator separavit te ab orthodoxa fide? Qualis doctor cordi tuo inseruit hujusmodi blasphemiam, teque a catholica avulsit Ecclesia? Quo pacto audes, miser, contueri cœlum? et Christum abs te violatum invocare? Qua fiducia, miser, teipsum Christianum nuncupas? Christum sprevisti, Spiritum sanctum contumelia affecisti. Quomodo manifestabis te sanctis Apostolis, et Prophetis, miser, qui quidem annuntiarunt nobis resurrectionem, et in omnes fines terræ? Quomodo igitur ingredi audebis Ecclesiam, ubi Isaïas propheta exclamat, dicens: « Resurgent mortui, et expergiscentur, qui in mo» numentis sunt[1]. » Qua, inquam, fronte ingredieris in aulam Christi, ubi Sancti libere nobis resurrectionem annuntiant, Prophetæ prædicant, Apostoli tradunt, Evangelistæ nuntiant? Cujusmodi oculis spectabis sanctissimum et immaculatum Corpus Domini nostri Jesu Christi, qui mortem destruxit, et diabolum conculcavit, et tertia die resurrexit, et vitam atque resurrectionem mundo donavit? Quod quidem cuncti fideles participantes in fide clamant: « Expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi » seculi. » Ibi Paulus, orator pietatis, disciplina sacrorum imbuit fideles, dicens: « Ecce mysterium vobis dico: Om» nes quidem non obdormiemus, sed omnes immutabimur, » in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim » tuba, et mortui resurgent incorrupti[2]. » Et rursus reprehendens, et confundens negantes esse mortuorum resurrectionem, adjungit, dicens: « Si autem resurrectio mor» tuorum non est, neque Christus resurrexit: si autem

[1] Isaï. XXVI, 19. — [2] 1 Cor. XV, 51, 52.

» Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, » inanis est et fides nostra; inveniemur autem et falsi testes » Dei, qui prædicavit resurrectionem in fines orbis [1]. » Et denuo idem Paulus quemadmodum tales derideat atque subsannet, ait : « Si omnino mortui non resurgunt, man» ducemus et bibamus : cras enim moriemur [2]. »

III. Quod si omnino, ut tu dicis miser, mortui non resurgunt, cur baptizaris ? Quamobrem immaculata participas mysteria ? Hoc vero nosce quod quandiu ita sentis, non in peccatorum remissionem participas; sed in judicium et condemnationem, et in augmentum peccatorum. Si enim, ut dicis, indigne, mortui non resurgunt, quamobrem te jejuniis, vigiliis, et orationibus maceras? Quorsum virginitas ? Quorsum certamina cum lacrymis ? Si omnino, demens, mortui non resurgunt, omnia scripta tam in veteri, quam in novo Testamento falsa sunt, sicut dicis : et Martyres decepti sunt, tradentes propria corpora tam multis tormentis, ob futuram vitam, et omnes Sancti. Vides, miser, quot quantosque Sanctos mendaces scelesto et impuro illo tuo ore feceris; neque solum Sanctos sed et ipsum omnium Sanctorum Dominum ? Quid ages, miser ? quoniam omnium Sanctorum inimicum te fecisti, et a Christo alienum, « sicut et reliqui illi qui spem non habent [3]. » Quem deinceps invocabis ? Ad quem confugies ? Inimicum enim te et Deo et Sanctis reddidisti. Non te pudet ingredi Ecclesiam Dei, in qua Paulus clamat dicens : « Quoniam ipse » Dominus, in jussione, in voce Archangeli, et in tuba Dei, » descendet de cœlo; et qui mortui sunt in Domino, resur» gent primum : deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, » una cum ipsis rapiemur in nubibus, in occursum Domini, » in aëra, et sic semper cum Domino erimus [4]. » Cujusmodi

[1] 1 Cor. XIV, 12, 13, 14, 15. — [2] Ibid. 32. — [3] 1 Thess. IV, 12. — [4] Ibid. 15, 16.

manibus suscipies pretiosum Corpus Dei, et admovebis impuro et blasphemo tuo ori, quod ipsum Dominum violavit?

IV. Desiste posthac, o miser, desiste ab hac gravi blasphemia. Desine contumeliis afficere Sanctos, et Deum negare, Deoque contradicere et ea quæ non decet effutire. « Qui enim resistit Potestati, Dei ordinationi resistit [1], » ut inquit Apostolus. Quid igitur illi eveniet, qui Deo ipsi resistit? Qui terreni regis mandatum non suspicit, non retinetur in vita : qualia ergo supplicia apprehendent non obedientem mandato Regis cœlestis, hoc est immaculato ejus Evangelio? Quomodo patitur clementissimus Deus, et est longanimis? Quomodo sustinet, et non e vestigio obstruit talium impiorum ora? Quomodo terra suum non aperit os, et similes absorbet vivos? Dominus dicit : Resuscitabuntur mortui; et tu dicis, resurrectio mortuorum non est? Verbo Domini ex non subsistentibus ad esse producta sunt omnia, cœlestia atque terrestria, visibilia et invisibilia, sive Archangeli, sive Principatus, sive Potestates. Cuncta per ipsum, et in ipso condita sunt, « portat» que universa verbo virtutis suæ [2], » sicut scriptum est : « Cœli verbo ejus firmati sunt, et terra super aquas fir» mata est [3], » cœlestia ac terrestria, et quæ subtus terram sunt, et omnes abyssi verbo ejus obediunt, et cum tremore auscultant; et tu non credis? Væ qui judicatur ab eo, qui illum finxit. Time, o homo : « durum est tibi con» tra stimulum calcitrare [4]; » convertere ad Dominum, homo : et « noli esse incredulus [5]. » Qui enim fidem non habet Filio, non aspiciet vitam : sed « ira Dei manet super » ipsum [6]. »

V. Non igitur sis incredulus; sed crede, ut cum fide-

[1] Rom. XIII, 2. — [2] Hebr. I, 3. — [3] Psal. XXXII, 4. — [4] Act. IX, 5. — [5] Joan. XX, 27. — [6] Id. III, 36.

libus connumereris. Crede in Dominum nostrum Jesum Christum, doctorem omnis boni ; et audi ipsum dicentem: « Amen amen dico vobis; quia venit hora, quando mortui » audient vocem Filii hominis, et qui audierint, vivent [1]. » Et rursus ait : « Cum venerit Filius hominis in majestate » sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super thro- » num majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes » gentes [2], » a mortuis videlicet resuscitatæ. Audi iterum Dominum ipsum dicentem : « Cum enim a mortuis re- » surrexerint, neque generabunt, neque generabuntur, ne- » que nubent, neque nubentur, neque enim ultra mori » poterant : sed sunt sicut Angeli Dei in cœlis [3]. » Annon sufficiunt ista ? Num persuasimus nobis ut a blasphemia discedamus ?

VI. Nemo igitur sit, qui non credat resurrectionem mortuorum. Quis Deo fidelior testis ? Ipse Deus testatur ; nemo maneat incredulus : sed omnes simul una voce acclamemus: « Credimus in Dominum, ipsumque adoramus, dicentes : » Adoro, et credo videre resurrectionem mortuorum, et vitam » venturi sæculi. » Cernitis quomodo convertitur quis retrorsum? Omnis qui sentit talia, Christum exuit. Quod si quæ in verbis, ejusmodi sunt, quæ in rebus cujusmodi erunt ? Quæ si velimus in medium adducere, et omnia enarrare, universum mihi tempus non suffecerit ad cunctas absurdas explicandas insolentias, quibus recte depositis atque abjectis, iterum male implicamur : et quæ recte obliti eramus, rursus male in memoriam revocamus, conversi retrorsum; rursus eadem assumpsimus opera impiorum hominum, habitus, et negotia, et verba, et actiones, quæ quidem pudor foret revelare, et in medium afferre.

VII. O improbum dæmonem ! O honestatis inimicum et hominum, et immundum spiritum ! Quomodo unumquem-

[1] Joan. v, 25. — [2] Matth. xxv, 31. — [3] Id. xxii, 30.

que fraudulenter supplantat, ac fallit, et nequiter persuadet? Clamat Dominus per Prophetas, et per Apostolos, et per Evangelia, et ex multis pauci attendunt. Vocat diabolus per citharas, per tripudia, et cantilenas dæmoniacas, et multitudinem congregat. Humani generis Amator invitat quoscumque, et dicit: « Venite ad me omnes[1]; » et nemo est qui obediat, nemo qui studiose contendat: hominum hostis diabolus exhortatur, et omnes accurrunt. Si quando autem prædicari contigerit jejunium, aut vigilias, cuncti consternantur, ac deplorant, et veluti mortui redduntur. At si quando denuntientur prandia, aut cœnæ, aut citharæ, aut cantilenæ dæmoniacæ, omnes hilares fiunt, ad cursum agiles, vigiles, et se invicem convocant, simulque ad malum cursum concurrunt, et malum certamen decertant, non amplius honeste, sicut decet Christianos, sed sicut ethnici; non amplius ut Dei ministri, sed ut servi et fugitivi; et frequenter per totos dies laborantes propter ventrem, totamque noctem insomnem ducunt in perditionem animarum suarum, ludentes et illusi, aliudve nihil ex labore et vigiliis lucrifacientes sibi, præter væ: quemadmodum ait Dominus: « Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis[2]. » Nam qui hic noluerint modicum lugere, ibi plorabunt in omnem æternitatem. « Nemo vos seducat, [3] « fratres. Non Christianorum hæc sunt, sed infidelium gentium: sicut dixit Dominus: « Ne distrahamini; hæc enim cuncta gentes mundi » faciunt [4] » quibus non est spes salutis, neque desiderium æternorum bonorum. Nobis autem dictum est: « Nolite di» ligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis » autem diligit mundum, non est charitas Patris in eo : quia » omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, » aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non » est ex Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et con-

[1] Matth. XI, 28. — [2] Luc. VI, 25. — [3] Ephes. V, 6. — [4] Matth. VI, 31, 32.

» cupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet » in æternum[1]. » Nostis, fratres, quod « quicumque in Christo » baptizati estis, Christum induistis[2], » Quomodo igitur Christum induti, diabolo inservitis? Nescitis imaginem et gloriam Dei vos esse? Quo pacto ergo imaginem Dei ferentes, eam non honoratis, verum inhonoratis ipsam rebus gentilium.

VIII. O quibus quantisque bonis privamur per has ipsas res! Jussus es, frater, ab Apostolo, « omnia in gloriam Dei » facere[3] : » tu vero rebus ethnicis diabolum oblectas; hominum autem amatorem Deum ignominia afficis. Admoneris ut assidue ores; tu autem assidue distraheris. Jussus es mundanas abnegare concupiscentias : mandatum a Domino accepisti, « ne in altum extollaris[4] »; tu vero ad hæc non attendis, sed auditum avertis : postea vero felle acerbius reperies, acutumque magis gladio ancipite. Talis enim est peccati natura : delectat parum, cruciat multum : delectat ad tempus, cruciat in perpetuum. Vultis ut planum faciam vobis idololatriam esse in lusibus positam? Audi quid dicat Apostolus : « Nolite fieri idololatras[5], sicut scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere[6]. » Vide igitur ne, dum ludere appetis, inveniaris cum idololatris. Unusquisque enim proprium onus portabit, et quisque metet quod seminavit. Vide ne hic seminaveris spinas, risus, distractiones, et ibi metas lacrymas atque suspiria.

XI. Multa habeo dicere, sed nequeo in præsentia cuncta referre. Hoc autem norit quisque quod definitus certusque Deo statutus sit dies, quo judicabit mundum; verum longanimis est, « nolens quemquam perire, sed omnes ad pœ» nitentiam venire[7]. Veniet autem dies Domini, quo cœli

[1] 1 Joan. II, 15, 16, 17. — [2] Galat. III, 27. — [3] 1 Cor. x, 31. — [4] Psalm. LXXIV, 6. — [5] 1 Cor. x, 7. — [6] Exod. XXXII, 6. — [7] 2 Petr. III, 9. 10.

» conflagrantes solventur [1], » uti scriptum est; et omnes, velimus nolimus, ibi congregandi sumus, statuendi ad tribunal Christi. Ubi etiam Angeli cum timore astant. Ubi aperientur libri, quos nunc legentes et audientes non suscipimus; hos illic videbimus, dum aperientur atque legentur, et condemnabunt nos, sicut ait Apostolus : « In die qua » judicabit Deus secreta hominum, secundum evangelium » meum [2], » Et Dominus dicit : « Sermo quem locutus sum, » ille judicabit mundum in novissimo die [3]. » Videte quoniam secundum Evangelia sumus judicandi in die illa. Attendite diligenter quæ scripta sunt, et non despexeritis. Væ contumelia afficientibus Scripturas sacras. Multi namque sunt vaniloqui, seipsos decipientes, qui, si quando de judicio et supplicio audierint, deridentes dicunt : « Numquid ego melior sum toto mundo? Ubi universus mundus, et ego. Præ toto mundo quid mihi accidere debet? Fruar interea hujus sæculi bonis, et sicut totus mundus, et ego. » Tandem completo vitæ suæ termino, venit missus Angelus severus, ipsius animam repetens, dicensque : « Completa est tua via, in hac vita; veni igitur ad alium mundum, veni ad proprium locum. » Deinde relinquent illum oblectamenta vitæ hujus, quibus existimabat se perpetuo fruiturum, et abit, tractus ab angelis malis in locum supplicii : quem aspiciens, contremiscet, verberabitque manibus faciem suam, et circumspiciens huc illucque, effugere volens, non enim reperit ibi aufugiendi modum : nam detinetur arcte constrictus ab iis qui eum adducunt ad tormenta.

X. Tunc dicunt ei angeli, qui ipsum tenent : « Quid contremiscis, infelix? Quid turbaris? Quid dolore angeris? Quid vereris, miser? Quid, miser, extimescis? Tu tibi ipse hunc locum præparasti : tu jam mete quod seminasti. Audiebas de formidabilibus tormentis et deridens dicebas : ubi mun-

[1] 2 Petr. III, 10. — [2] Rom. II, 16. — [3] Joan. XII, 48.

dus totus, et ego. Et nunc quid tremis? non es solus, ne fleas : ubi totus mundus, et tu. » Deinde ingressus in locum illum volens nolens, acriterque tortus, incipit miserabiles emittere voces, et obsecrare eos qui in judicio ipsum sistunt, ut vel exiguam impetrent relaxationem. Et respondent ei : « Quid clamas? Numquid tu melior es mundo? Ubi totus mundus, et tu, sicut ipse aiebas. » Tuncque ex profundo cordis suspiria ducens, ait : « Et quid mihi profuit universus mundus? Væ mihi, quia deceptus sum illusus. Justum est judicium Dei. Nunc cognovi ego miser quoniam quod « seminaverit homo, hoc et metet[1], » et quod ligaverit onus, hoc et portabit. Væ mihi, quia audivi, et non suscepi. Quot decertantes vidi, et vigilantes, ac jejunantes, misericordiæque opera exercentes? et cunctos maledictis incessebam, et irridebam! Quot ego spectabam gementes et flentes? et omnes illudebam! Væ mihi, quia illusus sum. Utilius mihi fuisset centum ibi annos luxisse atque plorasse, et jejunasse, ac potius lapides mandere, quam venire in hunc locum tormenti. Quis mihi dabit tempus pœnitentiæ trium dierum in illo sæculo, quod male consumpsi miser? Verum panegyris atque celebritas jam soluta est, et non est amplius pœnitentiæ tempus. » Hæc et similia dicturi sunt in tormentis, qui sacras hic Scripturas subsannant. Timeamus igitur minas illorum suppliciorum, desinamusque inhonorare Deum, quem decet omnis gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gal. VI, 7.

SERMO CLXII.

DE SACERDOTIO.

I. O miraculum stupendum[1] ! O potestas ineffabilis! O tremendum Sacerdotii mysterium, spiritale, ac sanctum, venerandum et irreprehensibile, quod Christus in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus est. Genu posito, lacrymis atque suspiriis oro ut hunc Sacerdotii thesaurum inspiciamus, thesaurum, inquam, his qui eum digne et sancte custodiunt. Scutum siquidem est refulgens et incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum, ac stabile, a terra ad axem usque cœli pertingens. Quid dico, fratres, excelsos illos axes contingi? Imo in ipsos cœlos cœlorum sine impedimento, atque labore ascendit, et in medio Angelorum simul cum spiritibus incorporeis facile versatur. Quid dico in medio supernarum virtutum? Quin et cum ipso Angelorum Domino, atque Creatore, datoreque luminum, familiariter agit. Et quantum vult, confestim quæ postulat, facile et suo jure quodammodo impetrat. Non desisto, fratres, laudare et glorificare illius dignitatis profunditatem, quam Adæ filiis sancta elargita est Trinitas; per quam mundus salvatus est, et creatura illuminata : per quam montes et colles, rupes et valles illustri, ac veneranda politia sanctorum, inquam, monachorum impleta sunt. Quemadmodum et Propheta Esaïas sonora voce reboat, dicens : « Quo-
» niam de vertice montium vocem suam daturi sunt homi-
» nes, in gloriam, et laudem altissimi Dei[2]. » Hac quoque im-

[1] Vide D. Guillon, t. VIII, p. 308. — [2] Isaï. XLII, 11, 12.

pietas e terra sublata est : hac et continentia in terris commoratur. Hac et diabolus e cœlo decidens subactus est : lascivi vasa facti sunt sanctificata : et fornicatores casti et impolluti : insipientes veritatis et justitiæ duces facti sunt : et improbi, boni ac pii. Per hanc et mortis potentia destructa est, et inferni vires propalam deperditæ; ipsaque Adæ maledictio exterminata atque soluta; et cœlestis thalamus apertus est et adornatus. Per hanc quoque humana natura in incorporeorum convertitur virtutem. Quid dicam? Aut quid laudibus efferam? Excedit quippe orationem atque intellectum, omnemque cogitationem, donum dignitatis sacerdotalis. Et sicut arbitror, hoc est quod Paulus, quasi in stuporem mentis actus, innuit exclamans. « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus[1]! » Altivolans e terra in cœlum nostra postulata Deo celerrime defert, et Dominum pro servis deprecatur.

II. Intendamus igitur mentem, fratres, clare ac liquido ad mysticam hanc formidabilemque narrationem; quoniam absque venerando Sacerdotio, remissio peccatorum mortalibus non conceditur. Attendite, fratres : vos etenim pietatis amatores estis, qui lumen doctrinæ contemplamini. Hæc sunt, quæ prius de mysterio Sacerdotii commemoravimus. Palmes, vitis, et granum frumenti, necnon Sacerdotium inter se conveniunt. Palmes et frumentum sunt velut pedissequæ; at Sacerdotium est liberum. Cæterum ubi tria hæc ut simul sint, inter sese concordiam inierint : tum supra thesauros offert regi unumquodque virtutem propriorum fructuum in odorem suavitatis. Palmes præcedit sanguinem; similiterque frumentum, panem. Sacerdotium vero audacter e terra sursum in cœlum volitat, donec ipsum contueatur invisibilem; procidensque

[1] Rom. xi, 33.

instanter pro servis orat Dominum, lacrymas et gemitus conservorum deportans; proprioque similiter Domino ferventem deprecationem simul et pœnitentiam offerens, misericordiam et indulgentiam a rege misericorde postulat, ut Spiritus sanctus pariter descendat, sanctificetque dona in terris proposita. Cumque oblata fuerint tremenda mysteria immortalitate plena, præside sacerdote orationem pro cunctis faciente, tunc animæ accedentes, per illa tremenda mysteria macularum purificationem accipiunt. Cernitis, Deo dilecti, quomodo hæc duo non operentur in terra, nisi cœleste advenerit suffragium, sanctificetque dona. Vides homo illustrem miraculi editionem, cernis sacrum gradum, quam facile sordes animarum eluat. Benedicitur Salvator, qui fecit in terris superillustre hoc, et purgativum donum, in gratia sacerdotes illuminans, ut sicut luminaria in mundo luceant. Populus, qui ante nos erat, cornu olei ferens, ad Sacerdotium promovebatur: nos vero servi inutiles Dei benedicti, non cornu, non oleum sensibile sumimus: sed ipse, qui est brachium excelsum atque tremendum, e cœlo descendens, suum nobis per impositionem manuum donat Spiritum, qui ignis instar venit super Apostolos. O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum sacerdotum! O quam magnam in se continet dignitatem formidabile et admirabile Sacerdotium? Felicem illum, qui in hac ipsa dignitate administrat pure et irreprehensibiliter. Petrus dictus Cephas, qui aliquando captus est ad littus maris, quique a magno testimonium accepit Pastore, quia « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam[1], » per Sacerdotium et claves regni cœlorum accepit, tanquam dignus. Similiter autem et Paulus[2], qui prius quidem persecutor erat, hoc quoque charismate ha-

[1] Matt. xvi, 18. — [2] Act. ix, 1.

bitus dignus, celer universum terrarum peragravit orbem, prædicans annuntiansque resurrectionem mortuorum.

III. Cæterum revertamur ad justum Abel, qui in principio creationis Sacerdos factus est; discamusque ex ipso, quando in principio victimam suam sacrificavit Deo, nonne ignis e cœlo descendens, ipsius sacrificium devoravit? Quando autem « obtulit Deo de primogenitis gregis sui[1], » ut inquit Scriptura, respexit e cœlo Deus sanctus in oblationem Abel; in sacrificium vero Cain respicere non bene ei complacuit. Rursus autem et Noë, qui in arca salvatus est[2], quando cessavit aqua, seditque supra in montibus Ararat, hujus quoque fuit muneris particeps, obtulitque Deo sacrificium pure in odorem suavitatis; unde et cum ipso pactum statuit Redemptor, de non amplius diluvio inducendo super terram; sanctam quoque ei dans benedictionem ut cresceret et multiplicaretur. Aspicis mirabile Sacerdotii opificium. Vides primum Sacerdotem Abel in priori creatione, quo pacto ignis cœlitus in terram deciderit, propter irreprehensibile ejus sacrificium. Cernis iterum Noë Sacerdotem venerandum, in secunda creatione, quomodo pactum cum ipso statuerit Deus. Hoc quoque et Abraham reputatus est dignus[3] ut illius fieret particeps, Deoque offerret dilectum Isaac, et sacrificaret viscera propria. Ibi ostendit ei Deus miraculum magnum, Christi scilicet generationem in planta Sabec, in ictu incrementum, ipsamque benedictionem, qua ipse benedixit : « In semine » enim tuo, » inquit, « benedicentur tribus omnis terræ[4]. » Quin et hoc ipso munere divinus Moyses habitus dignus, ascendit in montem Sina ad Deum; accepitque legem, unde facies quoque ejus glorificata est, ut videretur sole pulchrior : similiterque Aaron hoc eodem dignatus, lega-

[1] Gen. IV, 4, 5. — [2] Id. IX, 8, 9. — [3] Id. XXII, 2, 10. — [4] Id. XXVI, 4.

tione pro peccatis populi ad Deum functus est; « Moyses » enim et Aaron in sacerdotibus ejus[1]. » Similiter etiam Phinees in hoc vere honorabili Sacerdotio, mortem a populo illo cohibuit. Helias quoque eodem amictus, in igne exauditus est, sacerdotesque infamiæ jugulavit gladius.

IV. Discamus igitur, fratres, quoniam magna est et multa, immensa ac infinita ipsius Sacerdotii dignitas. Gloria Unigenito, gloria et soli Bono, illud suis præbenti discipulis per sanctum suum novum Testamentum, ut et ipsi nobis per impositionem manuum suarum super dignos exemplum demonstrent. Cuncti ergo honoremus, cuncti hac venerandi Sacerdotii dignitate decoratos prædicemus beatos; certo scientes, quod si quis amicum regis amet, hunc ipsum multo amplius a rege amari. Quocirca amemus sacerdotes Dei, siquidem amici ipsius sunt boni, et pro nobis ac mundo deprecantur. Honora sacerdotes, Christi mandatum explens, quod dicit; Quoniam « qui Prophetam » cum gaudio « recipit in nomine Prophetæ, mer» cedem Prophetæ accipiet[2],» Quod si de illo qui sacerdos est, ignoras dignus-ne, an indignus sit tanta dignitate, tu ob præceptum ipsius Christi, cave despexeris. Etenim sicut fulgidissimum aurum, licet luto contaminatum, non percipit detrimentum, neque speciosissima margarita ex contactu quarumdam immundarum specierum; ad eumdem modum nec Sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quantumvis etiam indignus sit is, qui illud suscepit. Porro si quis ad hanc dignitatem velut dignus repertus sit, in eaque sancte et irreprehensibiliter ambularit, vitam et coronam immarcescibilem sibi ipse conciliat. Sed si indigne quis hanc ipsam sibi usurpare sit ausus, tenebras is sibi exteriores, judiciumque absque misericordia consciscit.

V. En aliud tibi exemplum, o homo, ne tu indigne au-

[1] Psal. XCVIII, 6. — [2] Matth. X, 41.

deas et arroganter obrepere ad dignitatem Sacerdotii; cum non bene sibi complaceat Deus purus in arroganter ordinatis. Nosce quid miseri illi sint passi, qui olim restiterunt Moysi et Aaron [1], suaque temeritate ausi sunt impudenter atque præfracte sacrificare Deo; nonne ignis e cœlo devoravit omnes, qui ad illam dignitatem ascendere supra se sunt ausi? Rursus autem et Maria Prophetissa Dei, quod brevi quodam sermone Moysi de Sacerdotio improperaret, talem ei reprehensionis notam statuit Altissimus, ut tota leprosa septem diebus ejiceretur extra castra. Idcirco hæc nunc, o fratres, pure administrate, imitantes Moysen et Aaron, atque Eleazarum. Considera pios sacerdotes, quomodo in ipso Sacerdotio sacrilega hostium castra sint ulti. Hoc possidens Moyses, manus ad Deum sustulit, percussitque Amalec plaga incurabili. Hoc quoque circumamictus Abraham, reges in fugam vertit. Hoc ornatus Melchisedech, Abrahæ benedixit electo benedictione eximia. Dignatus es, frater, dignitate Sacerdotii? Stude complacere illi, qui te elegit, ut sis ipsi miles cum puritate et justitia, ac sapientia divina, illustrique virginitate. Esto fervens æmulator ut temperans Joseph, et castus ut Josuë, hospitalis ut Abraham, paupertatis amator ut Job, indulgens ut David, et mitis ut Moyses. Errantem reducito, claudum confirma, erige cadentem, succurre infirmis, et alia his similia.

VI. Ego vero obstupesco, fratres dilecti, ad ea, quæ soliti sunt quidam insipientum audere, qui impudenter ac temere sese conantur ingerere ad munus Sacerdotii assumendum, licet non asciti a gratia Christi, ignorantes miseri quod ignem et mortem sibi accumulent. Non dico tibi, homo, non solum Sacerdotium temere non assumendum; sed neque cæterorum quidpiam ex vasis vere vene-

[1] Levit. IX, 10.

randi cultus divini contingendum. Siquidem legisti quid passus sit Oza, eo quod arcam Dei tetigisset. Hujus tu semper memineris, dilecte frater, horribilis videlicet verbi Dei excelsi, quod ore Isaïæ Prophetæ pronuntiatum est: « Super quem requiescam ego, nisi super mansuetum, » humilem, tranquillum et trementem sermones meos[1]? » Hujus, inquam, semper memineris vocis, et attende ut possideas thesaurum, animum tranquillum, quo possis spiritaliter in metropolim Hierusalem supernam ascendere, spiritaliaque sacrificia regi Deo inaccessibili offerre, ubi texuntur coronæ immarcescibiles et incorruptibiles, ibique tu coram Angelis a Christo coroneris corona immortalitatis, ipseque cum supernis choris hymnum victoriæ decantes sanctissimæ Trinitati in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CLXIII.

S. P. N. EPHRÆM SYRI INTERROGATIONES AC RESPONSIONES.

INTERROGATIO.

I. Quomodo blasphematur Deus? et quænam repetit is, cui omnis honor et potentia, quippe omnis santificationis dator est?

RESPONSIO.

II. Dominus per Prophetam ait: « Væ his, per quos nomen meum blasphematur inter gentes[2]. » Hæc igitur

[1] Isaï, LXVI, 2. — [2] Id, LII, 5.

minæ in dedecorantes imaginem Dei conveniunt. « Cum « ad imaginem et similitudinem suam [1] » ipse nos fecerit; debeatque propterea omnis Christianus seipsum servare ac custodire, et in semetipso imaginem Dei honorare, ac sanctificare per bona opera; ut dicere queat : « Sanctifi- » cetur in me nomen tuum, Domine[2]. Sic luceat lux vestra » coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glori- » ficent Patrem vestrum qui in cœlis est[3]. » Cernitis quo pacto glorificetur Deus per opera bona; et quemadmodum operibus bonis Deus glorificatur; ita contra, malis actionibus blasphematur, et ignominia afficitur. Nam cum infideles atque gentiles intuentur Christianos, quod instar ethnicorum et infidelium ipsi quoque in crapula et ebrietate vitam degant, ludentes atque saltantes cum citharis et tympanis, cum tibiis ac choris : non amplius dictitant quod insensati sint Christiani, dum legem atque præcepta Christi transgrediuntur : verum blasphemantes, asserunt eos, sicut a Christo traditum mandatumque acceperunt, ita et facere, cum eis non liceat sermonem, mandatumve magistri sui transgredi : atque ita existimant sese habere Christi doctrinam atque mysterium. Sicque blasphematur propter nos Dei nomen, atque ita impletur in nobis quod scriptum est : « Væ per quos nomen meum blasphematur » inter gentes [4]. » At nos, fratres, hæc relinquentes iis qui illa expetunt, per bona opera sanctificemus nomen Dei. Cui omnis gloria in sæcula sæculorum. Amen.

INTERROGATIO.

III. Quid sibi vult dictum istud Apostoli : « Per præva- » ricationem legis Deum inhonorare [5]? »

[1] Genes. I, 26. — [2] Matth. VI, 9. — [3] Id. V, 6. — [4] Isaï. LII, 5. — [5] Rom. II, 23.

RESPONSIO.

IV. Quemadmodum qui regis litteras accipit, et in iis versatur, si omni cura, honore atque timore, et studio eas suscipiat, revereatur et amplectatur, et expedite sibi præscripta atque mandata expleverit, in regem gloria et honor redundat; quod si rejecerit, atque contempserit litteras, et tabellarium contumeliis et ignominia affecerit, in regem ipsum contumelia vergit; ad eumdem modum violantes Scripta magni Regis, immaculatum videlicet ipsius Evangelium, sua ipsi transgressione præcipientem Christum contemnunt. Sic et de Judæis oportet intelligere, qui cum Scripturas digito ipsius Dei exaratas accepissent, tabelliones contumeliis affecerunt, verberibus exceperunt, lapidarunt, et occiderunt; sicque prævaricatores divinæ se legis ostenderunt dicentis: « Justum et insontem non occides [1] » : ipsumque auctorem vitæ sanctum et justum contumeliis affecerunt, et alapis percusserunt, conspueruntque sanctum et mundissimum, tremendumque ejus vultum, coram quo contremiscunt cœli et terra, et mare, et cuncta quæ in eis sunt. Quamobrem et ad ipsos ait Salvator : « Ego honorifico Patrem, et vos » inhonorastis me [2] : » denique vero etiam occiderunt.

V. Intellexistis quomodo per legis transgressionem inhonoretur Deus. Ita quoque filii, et qui dicuntur Christiani, dum incaute et inconsiderate hic vivunt, prævaricatione Evangelii ipsum Deum dedecorant, contraria divino mysterio facientes, Salvatorisque nostri Jesu Christi præcepta nugas æstimantes; et « a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, » sicut præmonuit Apostolus : « Quoniam veniet tempus, quando sanam doctri» nam non sustinebunt [3]. » Et ecce id quod ab Apostolo di-

[1] Exod. XXIII, 7. — [2] Joan. VIII, 49. — [3] 2 Tim. IV, 3, 4.

citur, reipsa jam cernimus comprobatum. Quis etenim tolerat Scripturas divinas? Quis Christi præceptis est intentus? Quis sapiens, et custodiet hæc? Quis ostendet non esse nos prævaricatores legis?

VI. « Multi sapientes secundum carnem, multi nobiles, » multi docti, ac scribæ[1], » et legisperiti, et reges, et principes, et divites et pauperes, et servi et liberi, et doctores, et monachi, et virgines, et connubio juncti. Quis horum omnium poterit affirmare aut ostendere christiano homini licere citharœdorum more ludere, aut tripudiare, aut cymbala pulsare, aut choreas ducere, aut acclamare, aut aruspicem agere, aut phylacteria quæ vocant facere, aut furari, aut dæmones consulere, aut ebrietati studere, et his similia? Quis ista Christianorum esse ostenderit? Quod Evangelium? Qui Apostolorum libri? Quis et qualis Propheta? Ecce enim per universos fines orbis terrarum divina Scriptura in Ecclesiis legitur, lex, Prophetæ, Apostoli, ipseque universorum Dominus: et nusquam reperitur Christiano ista licere. Sed unusquisque a propria errat via, transgrediturque, et est transgressor legis, cujus prævaricatione inhonorat Deum, et ea, quæ constituta sunt a lege, Prophetis, et Apostolis. Ecce habetis quo pacto ignominia afficiatur Deus. Quare desine prævaricari, Deumque inhonorare, o Christiane. Desine deinceps gentilium formas induere, et paganos imitari; ut non illuc abiens, in varias necessitates, angustias, et ignominias incidas. Vis scire quomodo velit Dominus Christianum choreas ducere, atque saltare? Audi: « Beati qui » lugent. Beati qui esuriunt, et sitiunt[2]. » Hæc prima est Christiani festivitas. Et rursus: « Contendite intrare per an» gustam portam[3]. » Et iterum: « Amen dico vobis, quia lu» gebitis vos et flebitis, mundus autem gaudebit; vos vero

[1] 1 Cor. I, 26. — [2] Matth. V, 6. — [3] Luc. XIII, 24.

» contristabimini[1]. » Et denuo ait : « Nolite altum sapere, » hæc enim omnia gentes hujus mundi faciunt[2]. » Ne igitur assimilemini illis. Audire vis catalegmata et saltationes Prophetæ David? Audi quid dicat : « Lugens et contris- » tatus incedebam, et in jejunio operui animam meam, et » posui vestimentum meum cilicium : et factæ sunt mihi » lacrymæ meæ panis die ac nocte, et cinerem tanquam pa- » nem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam. » Et iterum ait : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, » lacrymis meis stratum meum rigabo. » Et rursus : « Oculi » mei semper ad Dominum. » Et iterum : « Ab omni via mala » prohibui pedes meos[3]. » Intellexisti quo tripudii genere sit usus David? Sic igitur et tu choreas duc, Christiane.

VII. Vis quoque nosse beati Pauli festivitates, dissolutiones, delicias, atque saltationes? Huc agite, audiamus, fratres, quid suadeat beatus Paulus. Agite, audite quomodo adhortetur nos, admoneatque dicens : « Imitatores mei » estote, fratres[4]. » Sed quid Paulus egit, ut nos imitemur, ut et digni ejus parte habeamur. Siquidem a multis dici audio : « Apostolum ego ausculto, et sicut docuit, ita facio. » Attende quid dicas, ne mentiaris, neve aliud dicas, aliud agas. Quoniam si verax fueris, beatus eris, et in præsenti et in futuro sæculo. At suspicor, vereorque ut non repeririaris mendax : quoniam « diminutæ sunt veritates a filiis » hominum et omnes declinaverunt[5]. » Verumtamen beatus Paulus omnes cohortatur, dicens : « Imitatores mei estote[6]. » Imitare Paulum, Christiane, qui dicis quia omnia, quæ ait Apostolus, amplector facioque. Qui Pauli vult esse imitator, in terris non tripudiat, non lætatur, non deliciatur. « Imitatores mei estote, fratres. » Numquid choreis, num-

[1] Luc. VI, 25. Joan. XVI, 20. — [2] Rom. XI, 20. Matth. VI, 31, 32. — [3] Psal. VI, 7 ; XXIV, 15 ; XXXVII, 7 ; XLI, 4 ; LXVIII, 11 ; CI, 10 ; CXVIII, 101. — [4] 1 Cor. IV, 16. — [5] Psal. XI, 2. — [6] 1 Cor. IV, 16, et XI, 1, et Philip. III, 17.

quid cithararum lusu delectatus est Paulus? Numquid diabolica cantica cecinit? Absit. Unde igitur suas didicere choreas, qui se Pauli doctrinam sectari asserunt? Quis talia Christianos edocuit? Non sane hæc eos docuit Petrus, non Joannes, sed quis alius divino numine afflatus. Verum ista draco antiquus docuit, eorum qui vere sunt Christiani inimicus, magister omnis impuritatis; qui docuit fornicari, docuit etiam cymbalis canere : qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. Idcirco Apostolus idololatras ludentes denominavit, dicens : « Neque idololatræ efficiamini sicut » quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est : Sedit po» pulus manducare et bibere, et surrexerunt ludere[1]. » Audite igitur vos qui luditis, aut potius qui ludibrio estis, quod inter idololatras vos retulerit Paulus.

VIII. Quare deinceps erubescite, atque desinite ab ethnica, et impia hac rabie atque insania. Paulus ista non edocuit, neque mater nostra Ecclesia. Quicumque sanctorum Apostolorum fieri cupitis imitatores, ab hac idololatria recedite. « Nolite seduci fratres[2] : » non enim sunt ista discipulorum Christi : non sunt ista Christianorum; non sunt ista piorum ac religiosorum hominum; non sunt ista salvari, vitaque æterna perfrui cupientium. Hæc enim cuncta gentes, quibus nulla salutis spes est, faciunt; hæc, quibus ante oculos futura vita, Deique timor non est, agunt. Rursus Paulus clamat : « Nolite fieri idololatræ, sicut quidam ex ipsis. » Et quinam isti? Clarum, quod Judæi. At quomodo idololatræ facti sint, dic, Paule? « Sedit, » inquit, « populus manducare, et bi» bere, et surrexerunt ludere. » Sed numquid sufficiunt ista? Nonne alia adjecit? Certe et illa audire volentibus suffecerint. Quicumque enim Pauli sunt imitatores, credent ipsi. Quotquot imitatores Christi, audient omnino. Quemadmodum ait Theologus : « Nos ex Deo sumus. Qui

[1] 1 Cor. x, 7. — [2] Id. xv, 33.

» novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos [1].»

IX. Agite igitur Pauli imitatores, et Christi discipuli : Agite, audiamus rursus quid clamet Paulus ; ecce namque cohortatur, dicens : « Imitatores mei estote, fratres, » sicut et ego Christi [2]. » Sed dic, beate Paule, quî possit quis tuus imitator fieri ? In medium tuam sanctam doctrinam profer ; tuas nobis expone actiones, delicias, dissolutiones, atque saltationes, ut percipiamus, imitemurque. Novimus siquidem cuncti te beatum esse et cum Christo regnare in sæcula sine termino. Dic ergo nobis quo pacto certaveris, illaque dignatus sis gloria ? Edissere nobis, Paule, ut et nos imitemur te, dignique tecum efficiamur bonis illis æternis. Quod si choreas duxeris, tripudiabimus ; si fleveris, flebimus ; si jejunaveris, jejunabimus. Quæcumque peregeris fidei, dicito, et faciemus. Dic, inquam, nobis, Paule, quomodo oporteat Christianos sese hic gerere, ut alii quidem te non audientes pudore suffundantur ; alii vero iis, quæ abs te dicuntur credentes, confirmentur. Ad quæ respondet Paulus, et dicit : « Testificor in Domino, ut » non deinceps ambuletis, sicut et cæteræ gentes ambulant » in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intel» lectum, alienati a gloria Dei. Deponentes mendacium [3], » loquimini veritatem. Sol non occidat super iracundiam » vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, non » amplius furetur. Omnis sermo turpis ex ore vestro non » prodeat [4]. » Ubi jam sunt, qui diabolica cantica canunt, et sibi Paulum imitari videntur ? Paulum ipsum dicentem audite : « Omnis sermo malus, ex ore vestro non procedat : » sed si quis bonus ad ædificationem. Omnis amaritudo, et » ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis » cum omni malitia [5]. »

[1] 1 Joan. IV, 6. — [2] 1 Cor. IV, 16 et XI, 1. — [3] 1 Pet. II, 1. — [4] 1 Eph. IV, 17, 18, 25, 27, 28, 29. — [5] Ibid. 31.

X. Sed dic, Paule, majora. Jam dixisti : « Imitatores mei » estote ; » at nunc majora edissere. « Imitatores » ergo « Dei estote, ut filii dilecti [1]. » Audite et contremiscite qui vultis esse Christiani, et a gentium operibus recedite. Estote igitur imitatores Dei. Quin et rursus clamat Paulus : « Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia, neque no» minetur in vobis , aut turpitudo , aut stultiloquium , aut » scurrilitas [2]. Nolite inebriari vino , in quo est luxuria [3]. » Imitatores mei estote. Corripite inquietos , consolamini » pusillanimes, suscipite infirmos , patientes estote ad om» nes. Imitatores mei estote. Videte ne quis malum pro » malo alicui reddat ; sed semper quod bonum est sectamini. » Imitatores mei estote. Semper gaudete, sine intermissione orate [4]. Abnegemus impietatem , et sæcularia desideria. » Imitatores mei estote , fratres. Hospitalitatem nolite » oblivisci [5], charitate fraternitatis invicem diligentes, spe » gaudentes , in tribulatione patientes , orationi instan» tes [6]. » Imitatores meæ estote imaginis. Imitatores ergo estote beati Pauli , ut cum Christo in infinita regnetis sæcula. Ubi sunt qui dicunt : quæcumque dixit Apostolus, facimus ? Et quis te felicior , si verax fueris ? sed vide ne inveniaris mendax, dicens et non faciens. Ecce enim rursus te adhortatur Paulus. « Imitatores mei estote. » In omnibus exhibete vosmetipsos sicut Dei ministros , » in multa patientia , in tribulationibus, in necessitatibus , » in angustiis, in plagis, in carceribus, in laboribus, in vigi» liis, in jejuniis, in longanimitate, in suavitate , in Spiritu » sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute » Dei [7]. »

XI. « Imitatores mei estote, fratres. » At quis ita se præbet strenuum, ut Paulum imitetur, fiatque vas electionis ? Si

[1] Eph. v, 1.—[2] Ibid. 3, 4.—[3] Ibid. 18.—[4] 1 Thessal. v, 14, 15, 16, 17. —[5] Hebr. xiii, 2, —[6] Rom. xii, 10, 12, 13. —[7] 2 Cor. vi, 4, 5, 6, 7.

ergo Petrum et Paulum atque Joannem imitari volueris, o Christiane; illorum sermones serva; illorum doctrinam custodi; imitare illorum certamina. « Noli diligere mundum, » neque ea quæ in mundo sunt [1]. » Noli delectari hoc sæculo. Ne multum dormites, neque in ridiculis tempus conteras. Imitare Paulum: rursus enim eadem dicam. Disce, o Christiane, quomodo oblectaret se Paulus; quomodo genio indulgeret; quomodo ludos celebraret, festosque dies ageret, ac tripudiaret in mundo isto: et tu imitare illum non verbo solum, sed et facto.

XII. Dic igitur, sancte Paule. Non enim desisto invocare te, o Beate: enarra nobis iterum quomodo deliciatus et lætatus sis in hoc mundo. Ad quæ Paulus; Deliciæ, inquit, meæ hæ sunt: « Per triennium nocte èt die non cessavi » monere unumquemque vestrum [2]. » Hæc mihi celebritas: « In laboribus abundantius, in plagis, in carceribus, in » mortibus frequenter. A Judæis quadragenas, una minus » accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter » naufragium feci, noctem et diem in profundo egi, in iti- » neribus sæpe, periculis fluminum, et periculis ex genti- » bus, ac periculis latronum, periculis in solitudine, et pe- » riculis in mari, in labore et ærumna, in vigiliis multis, in » frigore, et nuditate [3]. » Hæ saltationes Pauli et incessus; « Imitatores mei estote, fratres, sicut et ego Christi. Ar- » gentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi. Omnia » ostendi vobis. Imitatores mei estote [4]. » Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum, propter nomen Domini nostri Jesu Christi. « Ad scopum persequor, ad » bravium supernæ vocationis Dei. Sic curro, non quasi in » incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans; sed » castigo corpus meum, et in servitudem redigo. Omnis

[1] 1 Joan. II, 15. — [2] Act. XX, 31. — [3] 2 Cor. XI, 23 et seqq. — [4] Philip. III, 17.

» autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. » Sic currite, fratres, ut comprehendatis [1]. » Imitamini Sanctos, et sic currite, ut cum iis coronemini, atque regnetis.

XIII. Desiste igitur deinceps, Christiane, ab ethnicorum et paganorum operibus; ne per legis transgressionem Deum inhonores, teque ipsum dedecores, et « iram tibi thesaurizes, » in die iræ revelationis et justi judicii ipsius Dei, quando ju- » dicabit occulta hominum secundum Evangelium meum [2].» Ubi etiam Angeli cum tremore astabunt. Ubi non de operibus solum, verum et de verbis otiosis reddenda nobis erit ratio. Hæc nobiscum animo complectamur, fratres: quoniam « homo sicut fœnum dies ejus; et sicut flos agri, » ita efflorescet [3]; » unico temporis momento et cuncta desinent. Quid ergo frustra turbaris, o homo? Unico febris impulsu tuæ tibi cessabunt saltationes, atque lasciviæ: unica hora separaberis a choreæ consciis: unica nocte marcescent tibi carnes, pedes deficient, et oculi tabescent, lingua subticebit, et inordinata vox deficiet. Suspiria in te abundabunt, lacrymæ tibi defluent, nullusque aderit qui te juvare possit. Cuncti te relinquentes abibunt, unusquisque in propria; et nullus tibi assistet, nisi quibus inservisti, dæmones invisibiles. Sævus autem angelus, eminus consistens, expectabit nutum a Domino, ut miseram tuam rapiat animam, quam ad præparatum sibi locum deferat, ut metat quæ seminavit; ubi excolitur, et exuperat, redundatque fletus, lamentatio, luctus, gemitus, tribulatio, angustia, stridor dentium, et væ. Ibi tabescent temulentorum oculi. Ibi manus tripudiantium marcescent. Ibi affligentur dolore, et suspirabunt, qui cum citharis et tibiis vinum bibunt. Ibi plorabunt, et dentibus stridebunt fornicatores, et mœchi, fures, augures, venefici, magi, incanta-

[1] I Cor. IX, 24, 25, 26. — [2] Rom. II, 5, 16. — [3] Psal. CI, 12.

tores, petalographi, falsarii et quotquot latam et spatiosam ingrediuntur viam.

XIV. Væ autem ipsis. Non enim licet hic saltare atque tripudiare, et ibi. Sicut ait Dominus : « Væ qui ridetis nunc, » quia lugebitis[1], » ibi scilicet. Neque possibile est, fratres, nunc quidem Christianum agere, nunc vero ethnicum fieri. « Nemo enim potest duobus Dominis servire[2]. » Nusquam ergo, sicut prædictum est, committat Christianus, ut tale quid a se fiat. Venit namque Dominus noster, ut cuncta ejusmodi destrueret, et doctorem ipsorum diabolum pedibus conculcaret; quin et ex ipsius nos liberans manibus, dixit : « Ego sum Pastor bonus : venite post me[3]. Ego sum via : » venite ad me omnes. Ego sum veritas ; venite ad me. » Ego sum vita[4]; venite ad me omnes. Ego sum lux mundi ; » venite ad me omnes, » abrenuntiate Satanæ, abjicite a vobis disciplinam ejus. « Venite ad me omnes[5], » exuite veterem hominem cum actionibus suis et induimini novum. « Venite ad me omnes : » vetera transierunt, et nova facta sunt omnia. « Lex per Moysen data est, gratia et veritas » per me Jesum Christum facta est[6]. » Quicumque in lege justificamini, a gratia excidistis, « Venite ad me omnes : » quoniam venientem ad me non ejiciam foras.

XV. O immensam Dei bonitatem! quo pacto omnes ad se invitat, omnes vult salvari. Gloria ipsius erga homines bonitati. Non amplius igitur, fratres, justificamini in lege, siquidem umbra legis præteriit. Quicumque enim sub lege sunt, sub maledictione sunt. Nos namque de maledicto legis redemit Christus Salvator noster. Non amplius in lege justificamini. Non amplius vestibula coronemus. Non amplius choreas componamus, diabolica cantica recitantes. Non amplius tibiis ac citharis decipiamur. Non amplius in

[1] Luc. VI, 25. — [2] Matth. VI, 24. — [3] Joan. X, 11, 14. — [4] Id. XIV, 6. — [5] Matth. XI, 28. — [6] Joan. I, 17.

lege justificemur, ne gratia excidamus, neque sub maledicto simus. Christus enim nos a maledicto legis redemit. Ipsi sit gloria in sæcula. Amen.'

INTERROGATIO.

XVI. Quomodo de hæreticis scriptum legimus : « Eos » qui oderunt te, Domine, oderam [1]. » Alibique dictum est, « ut inimicos Dei oderitis eos. » Alio autem in loco. « Non » oderis omnem hominem ? »

RESPONSIO.

XVII. Hæreticos tanquam blasphemos et Dei inimicos Scriptura non homines, sed canes et lupos, et porcos, et Antichristos appellat, quemadmodum ait Dominus : « Nolite » Sanctum dare canibus [2]. » Et Joannes dicit : « Quia Anti- » christi facti sunt multi [3]. » Nos itaque non oportet amare, neque cum eis versari, aut cum ipsis orare, cibumve sumere; « neque in domum eos recipere, neque AVE illis di- » cere [4], » ne pravis illorum operibus communicemus.

INTERROGATIO.

XVIII. Quod genus peccati est irremissibile?

RESPONSIO.

XIX. Illud quod est « in Spiritum santum [5], » ac omnium hæreticorum. Quoniam in Spiritum sanctum blasphemantibus non remittetur peccatum, « neque in hoc, neque in » futuro sæculo, » attestante ipso Domino. Siquidem Deo ipsi resistunt, apud quem est redemptio. Et quis adjutor eorum erit?

[1] Psalm. CXXXVIII, 21.— [2] Matth. VII, 6.— [3] 1 Joan. II, 18.— [4] 2 Joan. 10, 11.— [5] Matth. XII, 32.

INTERROGATIO.

XX. Quod peccatum, præter hæresim, cæteris existit gravius?

RESPONSIO.

XXI. Quemadmodum omnium virtutum excellentissima est charitas; ita universorum vitiorum gravissimum est, odisse proximum. Nam qui fratrem suum odit, homici- » da est, sicut ait Apostolus: « Qui odit fratrem suum, in » tenebris est, et in tenebris ambulat; et nescit quo va- » dat, quoniam tenebræ obscurarunt oculos ejus [1]. » Ecce quantorum malorum causá fit odium? « Charitas autem » multitudinem peccatorum operit [2]. » Invidia vix curari potest, aut ne vix quidem. Est peccatum ad mortem impœnitentia. Cæterum masculorum concubitores, et præstigiatores, ac venefici, divini, et qui mercedem retinent, quique fratrem suum oderunt, non secus atque homicidæ severissime damnantur.

[1] 1 Joan. II, 11. — [2] Jacob. V, 20.

S. P. N. EPHRÆM SYRI

OPERUM

CLASSIS IV. — DE MYSTERIIS.

SERMO PRIMUS.

DE FESTIS DIEBUS.

I. Saltem ne quis prorsus infructuosus inveniatur; sed quotidie in æterna illa bona respiciamus, horribilemque diem considerantes, desiderio bonorum, et timore suppliciorum, ab omni via prava pedes nostros retrahamus: sicut scriptum est: « Et cum metu, ac tremore salutem » nostram operemur [1]. Spiritu ferventes, spe gaudentes, in » tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus » Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes [2]. » In Ecclesia estote assidui; nocturno, matutino, atque meridiano tempore, viri pariter ac mulieres, divites atque pauperes, servi ac liberi, senes et juvenes, ad divinam Liturgiam studiose concurrite; domino ex manuum vestrarum laboribus offerentes, in benedictionem domus omniumque, qui in domo sunt. Et state in multo timore, atque tremore, cum nemine tunc quidem congredientes, sed sicut Angeli, qui in cœlis sunt: « Servite Domino in ti» more, et exultate ei cum tremore [3], » lacrymantes, suspirantes, supplicantes, invocantes ex toto corde, et rogantes,

[1] Philip. II, 12. — [2] Rom. XII, 11, 12, 13. — [3] Psal. II, 1.

ne quis divinorum mysteriorum susceptione reperiatur indignus. Sed quemadmodum ait Apostolus Paulus : « Probet » unusquisque seipsum[1], » ne sibi ipsi in judicium fiat, et in augumentum peccati. « Qui enim comederit, et biberit in» digne, judicium sibi manducat et bibit[2], » sicut scriptum est. Cœlum enim et terra, et mare, et omnia, quæ in eis sunt, tremunt, ac se inclinant : tu autem impudenter accedis? Angeli mundi cum tremore ministrant, faciemque obtegentes, non audent respicere; at tu immundus cum sis et impœnitens, ac impudens, non contremiscis? Hominibus quidem fidem facis : sed cordium scrutarori quid dices? Declina igitur a malo, frater; defle, et ablue vas tuum, quod peccatis contaminasti : firmumque non amplius peccandi propositum habe, et sanaberis : Deus enim pœnitentium Deus est.

II. Cum Sanctorum memorias celebratis, reminiscamini quoque imbecillorum, egentium, viduarum, orphanorum, peregrinorum, pauperum, mutilatorum, claudorum, atque cæcorum, sicut a Domino nobis præceptum est, et beatus eris; quoniam non habent quod retribuant tibi, retribuetur autem in resurrectione Justorum. Festivitas pulchra est et divina, pœnitentia cum lacrymis. Festivitas hæc est, quam Christus ipse concelebrat, factus pauper, cum esset Deus. Festivitates hasce dominicas honorate; studiose contendite celebrare eas non panegyrice, sed divine; non mundane, sed spiritaliter; non instar gentium, sed Christianorum. Quare non portarum frontes coronemus, non choreas ducamus, non forum exornemus, non tibiis ac citharis auditum effœminemus, non mollibus vestibus induamur, nec cingulis undique auro radiantibus cingamur, quemadmodum a Domino mandatum est nobis, ne omnino æs in zonis portémus[3] : non commessationibus et

[1] 1 Cor. xi, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Marc. vi, 8.

ebrietatibus dediti, neque ob cibum et escam opus Dei dissolvas, aut insatiabilis ventris gratia circa coquinam occupatus, injuriam divinæ Liturgiæ inferas : nescis enim utrum alteram conspicere Liturgiam dignus sis, nec-ne. Verum ista relinquamus iis, quorum Deus venter est et gloria.

SERMO II.

IN NATALEM DOMINI I.

I. Gratissimus multoque jucundissimus accidit regibus, sacerdotibus, ac Prophetis hodiernus dies; ipsorum siquidem prædictiones re præstitit, idemque confirmavit. Virgo Emmanuëlem hodie in oppido Bethleem peperit. Natus est igitur, qui Isaïæ vaticinium implevit : natus est « qui in » Scripturis gentes numerabit[1] ; » et quod in Psalmo David cecinit futurum, hic dies effectum dedit : Michææ oraculum eventus probavit, ex quo de Ephrata exiit Pastor, suo animas baculo recturus. Stellam ex Jacob orituram, et Principem ex Israël proditurum, Balaam prænuntiabat, quæ ille præsagiebat futura, præsens dies repræsentat. Sic lux illa, occultata diu, tandem emicuit, effulsitque ex humano corpore divina ejus claritas. Oriens, quem Zacharias nasciturum præsensit, hodie in Bethleem illuxit, et postquam in Ephrata affulsit venturi Regis jubar, Jacob bona, quæ precabatur, exhibita vidit. Hodie filius natus est nobis, meritoque nomen illi inditum est « Admirabilis ». Ostentum siquidem omni admiratione dignum inde exhibebatur, unde Deus se exhibebat infantem. Et quidem Spiritus illum vermi

[1] Ps. LXXXVI, 6.

similem futurum prædixerat, quo ejusdem conceptum citra operam viri transigendum insinuaret; symboli tamen hujus obscuritatem sustulit hodiernus dies, et mysterium declaravit. « Ascendet », prædixerat Propheta, « quasi radix » coram eo, radix de terra sitienti[1]. » Obscure dictum actum exhibet hic dies et conspicuum. Rex, quem in femore Judæ occultum Thamar deprehendit et suffurata fuit, hoc die formæ dignitatem ostendit, quam occultatæ Divinitati magis congruentem ipse delegit. Ruth accidit ad pedes Booz, docta sibi paratum alexipharmacum vitæ in illo repositum; enim vero quod petebat, ipsi hodierna lux obtulit; ex ejus siquidem progenie natus est, cujus vi ac nutu cuncta vivunt.

II. Adam mulieri laborum et dolorum causa fuit; matri damnum compensavit filia Virgo, quo ipsi peperit Salvatorem. Evam genitricem genuit ingenitus vir, quanto credibilius videatur filiam Evæ citra viri operam gravidari potuisse? Terra virgo Adamum peperit protoplastum, terræ Dominum, cœli Dominum Adamum hodie Virgo parit. Virga Aaronis germinavit, refloruitque aridum lignum; mysterium declarat hodiernus dies, proponens virginei uter partum. Erubescat populus ille, qui Prophetas vera prædixisse asseverat, Salvatorem tamen venisse negat; nam si hunc venisse verum non est, falsa sunt illorum oracula, fictæ fabulæ, et vera mendacia. Quin ergo laudemus illum veritatis Vindicem, qui ad nos delapsus, vatum prædictionibus effectum dedit, et auctoritatem asseruit. Laudabimus te utique, Domine, si nobis de thesauris tuis, tuarumque Scripturarum deposito veterum justorum seriem depromas, qui videre diem adventus tui suspirarunt. Primus Seth, dum interfecto Abeli se substitutum considerat, Filium Dei occisum sibi velut in imagine objectum vidit, credidit que

[1] Isaï. LIII, 2.

fore ut ipsius nece introducta in orbem per Cainum invidia hebesceret. Dolens Noë filios Dei a bono stirpis suæ repente degenerasse depravatæ voluntatis vitio, lasciviaque diffluxisse et luxuria, suspiravit ad sanctum Nepotem, qui impuros homines puris moribus imbueret. Gemini fratres Sem et Japhet, dum Noë nudatum contegerent, Unigenitum Dei cogitabant, detractas Adamo vestes redditurum; superbia namque illum inebriaverat nudaveratque. Iidem infelicem hominum conditionem miserari assueti, dum Chanaanis fratris sortem plorarent, simul suspectabant ad adventum pii Filii, a quo illum a peccati servitute liberandum sperabant.

III. Nec dubium quin Melchisedech Pontificem expectaverit, cujus interim vices gerebat, præsciens ejusdem hyssopo mundum dealbatum iri universum. Loth similiter intuens Sodomitas naturæ ordinem pervertisse, naturæ Dominum cogitabat venturum, quem noverat sanctitatem, quæ supra naturam est, hominibus communicaturum. Aaroni quoque similem injecit cogitationem vidisse serpentes baculo suo mirabiliter devoratos, intellexitque simili modo cruce Domini venturi absorptum iri draconem, Adami et Evæ voratorem. Miratus est Moyses humi defixum æneum serpentem aspidum sanare morsus; inde speravit sibi aliquando affuturum qui serpentis antiqui ictum medicaretur. Rursus cogitans sibi communicatam uni Dei claritatem, prospectabat venturum qui non tot, quin plures suis institutis efficeret deiformes. Caleb illæ terræ promissæ explorator in illo botro, quem in vecte suspensum gestabat, vitem agnovit, suo mundum liquore exhilaraturum, eumdemque videre præsentem optavit. Optavit et Jesus filius Nun; scilicet nominis, quod audiebat, notionem et vim discere volebat. Nam si ex ejus nomine tantum ipsi accesserat dignitatis, quantum ex ejusdem nativitate præ-

sentiaque affuturum speraret? Sed et cum terræ promissæ fructus colligeret et auferret, nascituram vitæ arborem præscivit, sibique fieri copiam illius fructuum desideravit, unde vitam hauriunt quæcumque vivunt. Quin et Rahab meretricem ista præsagisse puto ex vitta coccinea, cujus signo communem patriæ cladem immunis evasit, proindeque ex eodem, quo servata est, mysterio veritatem prælibasse : eodemque Eliam exarsisse desiderio et quoniam Dei Filium in terris versantem videre non licuit, fidei ardore inflammatus studuit, eam sibi comparare puritatem, unde cœlum conscendere, ibique illum contemplari mereretur. Sed et cum hominibus conversantem spectare datum fuit, Moyse pariter præsente, tunc quando mitissimus ex imis, et zelotes e summis evocati Filium Dei in medio stantem præsentemque habuerunt. Nempe mysterium postremi ejusdem adventus repræsentare debebant, sic ut Moses vita functorum personam ageret, vivorum Elias : et illi quidem « resurgent primi » pro eo quod mortem gustarunt, quicumque vero sepulti non fuerunt, postremi « obviam Christo rapientur[1]. »

IV. Jam vero, quis mihi singulorum Justorum nomina revolvere sufficiat, quibus Filii Dei promissus adventus sui expectationem commovit? Ego sane, quæ mea tenuitas est, horum numerum non assequor. Orate ergo, carissimi, ut, auctis Deo adjuvante viribus, illorum vobis præsagitiones alio sermone repræsentem. Interim, quis putas laudare posse pro merito natum nobis verum veri Dei Filium? Una mihi pro multis laus sit illum, quotquot extitere justitiæ cultores videre suis temporibus natum, desiderasse. Adam profecto ejus adventum suspiravit, non ignarus eumdem esse Cherubim Dominum, eique uni competere potestatem revocandi Paradiso ejectum ad um-

[1] 1 Thess. IV, 15, 16.

bram arboris vitæ : cupiebat utique Abel illum sibi fieri ætate parem et æqualem; multo siquidem jucundius fore præsensit Agnum Dei videre, quam agnum Deo offerre. Hunc perinde diem opperiebatur Eva, cum fœminis in maximam cederet ignominiam nuditas in publico posita, oculisque subjecta petulantis vulgi; nimirum præsciebat simul affuturum qui posset, detracto frondium tegumento, fœmineo sexui veterem, quam exuerat, gloriam refundere. Turris multorum artificium labor unum adumbrabat præsagiebatque et hunc ab alto venturum, turremque excitaturum, quæ cœli nobis ascensum muniret. Arca viventibus fabricata perfugium, velut in imagine expressit Dominum Ecclesiæ suæ ædificandæ intentum, indeque securitati animarum consulentem. Phaleg terram in septuaginta linguas dissectam contuens, illum venire optavit, quem in ea imagine prælibabat, orbem suis Apostolis pro linguarum varietate divisurum. Mundus aquis submersus conticuit, in suo nihilominus silentio Dominum etiam prædicabat descensurum, et ab eo instituendum baptismum, qui credentes super astra sublimavit. Seth, Enos, Cainan, et Enoch filii Dei nuncupati fuerunt; inde suspirare cœperunt illius adventum, cujus dignatione et gratia cum ejus appellationis specie reipsa fratres fierent filii Dei. Mathusala vitam ad mille prope annos produxit; opperiebatur nimirum Filium Dei, qui unus poterat immortalitatem mortalibus transcribere. Ipsa gratia arcano quodam instinctu pro illis orabat, ut ipsorum Dominus eo, quo unusquisque vivebat, tempore veniret, et laborantibus succurreret. Spiritus sanctus, qui in ipsis inhabitabat, quo orandi cogitationem inspirabat, pro ipsis orabat; simul illos eo elevabat, unde per eumdem spiritum, quem cupiebant Salvatorem venturum, quasi præsentem intuerentur.

V. Præsensere itaque justorum animæ depositum in Fi-

liō Dei immortalitatis pharmacum, indeque suis advenire diebus desiderabant, quo suavissimæ potionis haustu fruerentur. Enoch vero cum absentis Filii Dei desiderio teneretur, nec daretur hunc cernere in terris morantem, multiplici conatu studuit eam sibi comparare fidem et justitiam, cujus ope cœlum posset conscendere, ibique intueri præsentem. Nunc vero cum citra laborem consecuti sint novissimi quod magnis laboribus assequi non potuere primi, erit-ne aliquis, qui Dei gratiam iniquitatis incuset? Desiderio Lamech flagravit eodem, quod cuperet illum adesse, qui pro sua benignitate laboribus et ærumnis oppressum relevaret, et consolaretur exulantem in terrâ, cui maledixerat Justus; ubi vero deprehendit impressam filio suo Noëmo Filii Dei imaginem, consolationem, quam a Domino absente accipere non poterat, a præsente ejusdem figura percepit. Similis ipsum quoque Noëmum statim incessit cupido, ex quo illius beneficentiam expertus fuit : nam si illius figura animantibus causa salutis fuit, num non illum discuperet, cujus adventum sperabat animabus fore maxime salutarem? Præterea quid aliud sentiret Noë, postquam præsenti facto didicerat arcam solo ejus favore ædificatam fuisse atque perfectam; cujus enim umbra fuerat tanti causa boni, quanto majora putaret præstituram ejusdem præsentiam? Spiritu præsensit Abrahamus ortum Filii Dei in annos rejectum, propterea que pro ipso videre « diem ipsius desideravit, vidit et gavisus est[1]. » Simili perinde arsit cupiditate Isaac, tum vero maxime quando ab illo servatum se vidit, et vero si absens, oblata sui specie, ei vitam vindicaverat, quanto magis sibi credidit profuturum, si pro specie rem ipsam exhibuisset.

VI. Atqui si gavisi sunt vigiles Vigilem advenisse, qui nos, mortifero sopore oppressos, ad salutarem vigiliam re-

[1] Jo. VIII, 56.

vocabat, hanc quis noctem non ducat insomnem, in qua mundus universus vigilat? Scilicet postquam primi hominis culpa veternum mortis in orbem nostrum intravit, descendit insomnis ille oculus et veteris noxæ sopore sepultos expergefecit. Atqui nec vigilare nos decet illorum more, quorum pectus fervet avaritia; siquidem et isti somno vacuas exigunt noctes, vigiliæ tamen causa non est aggerendæ pecuniæ studium, curaque supputandi fœnoris et capitis. Mentem experrectam sibique constantem fur semper habet, ut somnum, defossa humo sepultum, reliquisse videatur. Unus tamen vigilantis scopus est, ut dormientibus multas vigilias paret. Perindeque vigilat luxuriosus quisque; vigilare cogit ingluvies, cibi potusque excessu stomachum gravans. Vigilia intemperantiæ pœna est. Sic et negotiator somno oculos fraudat, dum digitos fatigat, mnas numerando suas, aut fœneratæ pecuniæ subducendo rationes, utrum in duplum triplumve exauctæ reveniant. Dives ille pernoctavit insomnis; somnum discussit mammona; ipsius canes dormiunt; excubat ipse, pecuniæ custos factus suæ; vigilare suadent suspectatæ furum insidiæ. Vigilat negotiosus quilibet; quietem anxiæ ademere curæ. Finis vitæ in tergum incumbit, et instat ultimus dies; at ille pervigil seros meditatur annos. Diabolus, ordine perverso, nos, fratres, docet mutare vigilias: in bonis operibus stertere, vigilare in malis. Hoc Judas ille Iscariota fecit, solidam noctem transegit insomnem, quando sanguinem vendebat insontem, qui totum mundum redemit. Filius siquidem tenebrarum tenebras resumpsit et induit, postquam exuit, abjecitque solem. Fur venundedit argento argenti Opificem. Hunc imitati Pharisæi noctis et ipsi proles, pernoctarunt vigiles; moliebantur nimirum lucifugæ lucem, nullo definitam spatio, tenebris involvere. Vos autem, fratres, siderum insomniam imitamini,

noctemque tenebrarum expertem somno etiam vacuam exigite; nam etsi in speciem atra videatur, vim tamen continet maximam, et dignitatem.

VII. Quisquis virtute præstat, dum per noctem vigilat et orat, in ipsis, quibus videtur involvi, tenebris nitet, occulto splendore circumfusus. Improbus quisque, etsi in meridiana versetur luce, si tamen filiorum tenebrarum moribus vivit, tametsi extrorsum appareat amictus lumine sicut vestimento, introrsum certe atra circumvolvitur caligine. Vestrum ergo nemo, carissimi, sibi de vigilia præpostere blandiatur, quia si quis, ut debet, non vigilat, inofficiosa est ejus vigilia, et qui cum virtute non vigilat, dormit, etsi vigilare videatur. Rursus qui vigiliam ab innocentia et honestate disjungit, sua ipsi vigilia venenum est. Talis est invido livor insomnis; caput est, unde jactura multiplex, et detrimenta magna sequuntur. Negotiatio quippe est vigilia, quam parit invidia; illius quæstus ignominia est et infamia. Hunc pariter in modum is vigilat, cujus pectus fervet; ira hæc nempe suis motibus perturbatum vigilare cogit: ejusmodi vigilia est plena furoris, totaque incumbit in execrationes et maledicta. Garrulus si vigilat, os aperit, et offert obvium quibusvis venientibus trajectum; nullum illi orandi studium est, plurimum peccandi.

VIII. Quicumque sapit, alterutrum sibi statuit, seu somnum suavem, noxiis ac tristibus vacuum curis, seu sanctam et utilem vigiliam. Quin ergo nos hanc amplectamur? Nox adest clarissima, in qua nascitur claritatis Auctor, nostras ut dissipet tenebras. Ne, quæso, nostram vigiliam alio quovis negotio perturbari patiamur. Aurium proinde via sit plana et expedita; oculorum aspectus sit pudicus, et pura cogitatio cordis; oris sermo sit castigatus. Maria hodierno die fermentum in nobis abscondit de pe-

nario Abrahami acceptum. Abrahami ergo in egentes misericordiam imitemur, et pauperum inopiam simili affectu sublevemus. Coagulum incidit nobis e caula mansuetissimi Davidis; mitem proinde se quisque exhibeat erga persecutores suos, ipsorumque doleat vices, filii Jesse sequens vestigia ad Saülis casum illacrymantis. Seminat hic dies in terris gentium suavissimum Prophetarum salem : eia novo salis hujus sapore mentem imbuere studeamus, quo affatim pastus ille antiquus populus gustum nihilominus amisit, et desipuit. Dies est salutis, sapientiam loqui nos monet; ergo ab otiosis, et ad rem non pertinentibus, colloquiis abstineamus, ne ad hunc diem minime pertinere videamur.

IX. Nox adest, quæ universo pacem et tranquillitatem reddit; quamobrem ægre sustinet iracundia tumidum, et horrentem minis. Hanc obtinet noctem Suavis; sævitiem quisque deponat et acerbitatem : obtinet Humilis; superbiam comprimat unusquisque, et supercilium submittat. Diluxit dies clementiæ, nemo sibi factas persequatur injurias; adest dies lætitiæ, nemo fiat alteri causa doloris et luctus. Dies est dulcissimus, frenanda est ferocia; dies innubis et serenus est, compescenda est perturbatrix pacis iracundia. Die, quo Deus ad peccatores se demisit, pudeat justum se super peccatorem efferre. Die, quo rerum Dominus ad servos descendit, non pudeat herum charitate simili ad famulos suos se submittere. Die, quo dives pro nobis egenus factus est, non erubescant divites cum egentibus propriam communicare mensam. Hodie quod non postulavimus, donum ultro oblatum est; an æquum non sit fratribus clamantibus, et rogantibus eleemosynas non negare? Hic dies, qui cœli januam nostris orationibus reseravit, fas ne sit occludere fores petentibus injuriarum oblivionem aut miseriarum levamentum? Ille naturæ Do-

minus præter propriam naturam sese mutavit; quid? num nobis arduum videatur voluntatem nostram mutare vitio depravatam? Propriæ naturæ conditione tenetur caro, ne major, aut minor fieri possit; potest tamen voluntas pro arbitrio ad quamlibet staturam assurgere: propterea que hodie in humana natura seipsa Divinitas impressit, ut, eo distincta signo, ad omne decus aspiraret.

SERMO III.

IN NATALEM DOMINI II.

I. Lauda Natum, qui Bethleemum exhilaravit; lauda Infantem, qui naturam humanam juventuti restituit; lauda Frugem, quæ ad nostram se submisit esuriem. Magnifica Liberalem, qui omnem nostram inopiam repente sustulit, et supplevit egestatem; magnifica Pium, quem viscera misericordiæ ad curandam nostram ægritudinem inclinarunt: magnifica Fontem ad nostram expiationem cœlo demissum: magnifica Dominum, qui Sabbatum implevit et solvit, lepram increpuit et fugavit, quem febris, ut vidit, fugit. Prædica Misericordem, qui laborem nostrum suscepit: prædica Salvatoris adventum humano generi salutarem. Agnosce gratiam ejus, qui per Unigenitum suum nos extorres invisit; agnosce gratiam ejus, qui in suo beatus silentio, per vocem suam nos est allocutus. Etiam prædicamus naturam illam excellentem atque præstantem, quæ per carnem manifestata oculis nostris aspectabilem se fecit. Ipsam prædicamus ab omni concretione sejunctam, cui placuit sibi corpus adjungere, per quod divinam vim

suam exerceret, suæque misericordiæ actus circa eodem concreta limo corpora explicaret. Ita prædicamus illum abditum, suaque caligine circumseptum, cujus Unigenitus nobis manifestum se præbuit nostrisque sensibus conspicuum; illumque magnificamus vita præditum sempiterna, cujus Filius mortem sponte suscepit, et amplificamus illum ingenua naturæ suæ virtute magnum, cujus Filio placuit descendere, et magnitudinem suam breves intra limites contrahere. Admiramur unam, æternam ac inexplicabilem vim ac potestatem, quæ majestatis suæ imaginem abditæque naturæ suæ speciem formavit, oculoque subjecit et menti, nobisque utroque sensu cernendam proposuit. Et prædicamus substantiam longe remotam a nostris sensibus, quæ tametsi nec animi mente licet comprehendere ipsius numen investigare volentibus, pro sua tamen bonitate hominum manibus attrectandam se præbuit: scilicet, quam nemo unquam attigit, dedit manus ac pedes vinculis inserendas, confixa est et suspensa; sua nempe voluntate se dedidit, et apprehendere volentibus se corporavit. Ergo fatere gratiam ejus, quem volentem publica potestas in crucem egit, quem annuentem lignum portavit, quem sepulcrum clausit, et eo, quem ipse fixit, limite circumscripsit. Testare beneficium ejus, quem sua voluntas ad uterum et nativitatem, ad ulnas et adolescentiam deduxit. Lauda commercia, quibus humana natura vitam adepta est.

II. Agnoscamus gratiam ejus, qui animam nostram signिficavit et ornavit, sibique despondit, nostrumque corpus occultæ majestati suæ ædem sacravit. Magnificemus illius vocem, cujus laudibus cithara nostra resonat, et divina vis cinara celebratur nostra. Conspirarunt in unum gentes, et uno agmine ad audiendam hymnorum ejus modulationem confluxerunt. Glorificate Boni Filium, quem

filii hominum contempsere. Glorificate Filium Justi, quem cruci affixerunt filii iniquitatis. Glorificate illum, qui vincula nostra solvit, et induit. Magnificate Fidejussorem, qui satisdedit et ipse exolvit. Magnificate Pulchrum, qui ad suam imaginem nos reformavit. Magnificate Purum, qui nostras sordes dissimulavit. Laudate Clarum, qui lucem suam tenebris inseruit, et densa caligine texit, et occultata majestate nobis allitas sordes eluit, et ignominiæ pariter indumenta detraxit. Glorificate Altissimum, qui salem suum mentibus nostris immiscuit, nostramque animam suo imbuit fermento. Corpus ejus panis factus est, ut naturam mortalem ad immortalitatem traduceret. Habeto gratiam Diviti, qui pro nobis exolvit quod non est fœneratus, et pro nobis se scripsit, constituitque debitorem. Servitutis jugo se ipse submisit, fregitque vincula, quibus ille, qui nos captivos fecerat, strictos tenebat. Lauda Judicem, qui dum judicium subire non recusat, duodecim Discipulos suos judices tribuum instituit, ejusque populi doctos indoctorum sententia condemnavit. Lauda quod vides, et quod non vides totum, infinitum nobisque immensum: parvum quippe cor nostrum est; mens nostra imbecillis est; inopes sumus; divitiarum sapientiæ et judiciorum ejus altitudo huc illuc vagari nos cogit. Prædica oculum cuncta cernentem, cui grave non fuit obvios quosque sciscitari, et ab ipsis doceri quæ non ignorabat; satagebat nimirum induciæ quæstioni respondentibus sapientiæ suæ opes refundere. Adoremus Doctorem, qui mentes nostras suis præceptis velut infuso lumine collustravit, perque aures nostras suis oraculis viam aperuit. Fateamur Beneficum, qui germen suum arbori nostræ insevit. Gratiam habeamus ei, qui suum hæredem ad nos allegavit, ut per ipsum nos ad se traheret, ejusque hæreditatem nobiscum communicaret. Prædicemus illum Bonum, ex quo omne bo-

num diffunditur. Laudemus eum, qui non animadvertit, quia benignus est et clemens; nec tamen dissimulavit, quia justus est.

III. Rursus laudemus eum, qui tacuit et increpuit, ut hominum saluti utroque modo consuleret; severa est dissimulatio ejus, severitas ejus lenis est, etiam cum arguit; proditorem reprehendit, et latronem exosculatus est. Occultum animi nostri cultorem magnificemus, semen ejus in terram nostram cecidit, et fœcundavit ditavitque mentem nostram; proventus, in centuplum exauctus, in horreum nostrum illatus est. Adoremus eum, qui sedit et quievit, viam trivit, et in via via fuit, atque janua regnum ineuntibus sempiternum. Prædicemus Pastorem, qui ad sacrificium expiationis nostræ agnum se fecit. Prædicemus botrum, qui expressus calicem salutis nostræ suo liquore replevit. Laudemus fontem, unde fluxit salutis potus. Satorem magnificemus, qui idem frumentum se dedit, et satum est; manipulum, et demessus est. Laudemus Fabrum eumdemque nostræ salutis arcem et perfugium. Prædicemus eum, qui sensus animi nostri compegit, ut nostra canerentur cithara, quæ avium cantus exprimere non potuit: qui cum cerneret homines, jumentis insipientibus similes factos, eorum iras et impetum imitari, descendit et factus est unus ex nobis, ut nos Cœlitibus insereret. Lauda laudis non indigem nostræ; qui eget, quia nos diligit; sitit, quia nos amat; et petit dari sibi et expectat donum, ut pro sua beneficentia et liberalitate refundat datum. Germen ejus nostræ est immixtum naturæ, ut per ipsum ipsi copularemur ei, qui eum ad nos demisit, et divinæ radicis germine, velut recepto surculo, in divinam arborem transiremus. Illi testare gratiam, qui flagellis cæsus, vitam nobis refudit, et spinis coronatus, sustulit maledictum; qui sua morte mortem nostram destruxit, suoque silentio cau-

sam nostram peroravit, increpuitque, quæ nos hauserat, mortalitatem. Iterum illum magnifica, cujus auxilia partem sinistram depopulata sunt; qui suis vigiliis tyrannum veterno oppressit, nosque funesto sopore mersos suo excitavit somno, et languentem naturam morbo relevavit: qui mersus aquis, quod nos suffocaverat, peccatum in profondum traxit et suffocavit. Cui omnia serviunt, omnium ora laudem dicant. Lauda Medicum, qui ad ægrum descendit, et carnem secuit; citra dolorem tamen sanavit ulcera medicamine tamen minime acri. Filium nempe suum nostrorum morborum medicinam fecit, solitus semper miseris et peccantibus patris affectionem tribuere. Lauda eum, qui in utero Virginis jacuit, et in eo ædificavit sibi regiam ac templum, vestemque indidem, qua splendide ornaretur, sibi concinnavit, et quibus hostes debellaret, paravit arma. Lauda cujus laudes nostram in dicendo facultatem omnem superant; ejus siquidem donum cujusvis oratoris facundiam sua magnitudine prævertit, nec quisquam, sensu intelligentiaque præditus, ejus munificentiam assequitur, ut eam explicare sufficiat; adeo quantumlibet de illo dixeris, minimum est.

IV. Sed quoniam citra injuriam tacere non licet, quantulumcumque laudis canticum ora tibi modulantur infirma. Bone, qui ad reddendum non cogis impotentes, quale mihi servo tuo judicium imminet de capite et de fœnore, quoniam neglexi redhibere quæ poteram, et quæ noveram me debere, negavi! Pelagus es, in quod omnes confluunt laudes; nec suffragio indiges nostro; suscipe tamen, precor, minimum quod beneficentiæ tuæ reddo testimonium: tua nempe dona meam linguam ad tuas laudes fecere disertam.

SERMO IV.

IN NATALEM DOMINI III.

I. Des nobis hanc, Domine, gratiam, ut illum primum Natalem tuum celebremus, in quo præsentis festi signabatur solemnitas. Dies tua tibi similis est; homines amat, idcirco ad ipsos continuata temporum serie traducitur, et cum singulis redit annis; dies est, quæ cum senibus consenuit et occidit, et denuo cum parvulis renovatur et oritur. Dies, quæ sua se charitate instaurat, nostra nos senectute exuit. Quæ nos olim invisit, transiit et abiit, eadem pro sua benignitate iterum nos revisit; novit enim naturam humanam ipsius præsentia carere non posse; tibi usquequaque similis, perditum genus nostrum quærit. Mundus a suo fonte abesse non sustinet; ideo ut te, Domine, sic diem Natalem tuum universus orbis sitit. Dies est, quæ omnibus tempestatibus imperitat; diei nempe tuæ imperium idem est quod tuum, præterita et futura continens sæcula; una est, se tamen in plures propagat, et multiplicat; tuam nempe affectat similitudinem. Et quoniam in die tua, Domine, nobis præsente, præteritum Natalem tuum intuemur, tui, precor, tuus sit similis dies, interpres et sequester pacis; ille siquidem cœlum ac terram pacavit, quando Summus ad imos descendit. Potest dies tua illum Justum, aliunde nobis nostras ob noxas iratum, reddere placatum; eadem namque sexcenta remisit delicta, tunc quando diluxit tua delinquentibus misericordia. Magna dies tua est, Domine; ne suam, oro, magnitudinem abjiciat, ut nostram stultitiam miserari desinat, et suos inci-

piat mutare mores. Et vero, si quolibet die tua diffunditur liberalitas, quanto latius hoc die eamdem exundare par est?

II. Omnes anni dies de thesauro hujus illustris diei tuæ sua hausere decora, et solemnitates quæque ab hujus festi magnificentia suam dignitatem et ornamentum fœnerantur; quin ergo nobis in illo impertiris eas misericordiæ tuæ opes, unde hodiernam ab omnibus diebus lucem discernamus. Et quoniam Natalitiorum tuorum opulentissimum est ærarium, idem, quæso, commune æs alienum exolvat. Magnus, inquam, hic dies est, suaque amplitudine omnes antecellit dies, quo misericordem Deum repræsentat ad hominem peccatorem se submittentem. Myrotheca est, ex qua sydus pharmacum salutis ferens ægris affulsit. Benedictus dies est, qui nobis per cæcam noctem errantibus solem retulit, sed et divinum nobis manipulum advexit, quo rerum omnium copiam comparavit, uvæque præcocis simul obtulit racemum, occultum salutis continentem poculum. Solemnitas quippe prima est, quæ omnium solémnitatum primitias, et decimas persolvit. Sub hyemem, quæ pomariis poma diripit, sterilis vitis divino pubescit fœtu; sub frigida tempestate, quæ omnium arborum decussit ornatum, germen de jessæa stirpe se nobis erupit. Mense Decembri, qui semina terræ commissa tegit, de Virginis utero spica salutis extitit. Vere novo, in quo herbescunt sata et fundunt frugem, seritur divinus ille manipulus, terræque committitur, quem olim demetet mors, voratumque demittet in infernum, quem tamen ipsa, quam hauriet, vitalis medicina disrumpet. Vere novo, quando in campis agnelli vagantur, uterum Virginis ingreditur, qui postea fluvium ingressus, peracto baptismo, piscatores inde egressos cepit; res quippe omnes in se reciprocat et reducit.

III. Hominum piscator subiens fluvium, in quo Simon suos captabat pisces, eumdem venatus est : post etiam crucem, quæ prensat latrones, ut latronem ad vitam prehenderet, composuit. Idem ingenua naturæ suæ virtute vivens mortuus est, suaque morte infernum vacuavit, apertoque vasto hiatu, integras inde turmas avolare jussit. Publicanos et meretrices, infames laqueos, e cubili fraudulenti venatoris Sanctus avulsit. Peccatricem, tensum viris laqueum, fœminis pœnitentibus in speculum vertit; prohibuitque ne Zacchæo sycomorus ficus daret, ut ipsum daret; nativos non tulit fructus, ut nobiliorem ferret frugem, mente et ratione præditam. Suam Dominus sitim secus puteum obtendit, et aquis, quas mulier petebat, venatus est sitientem. Fœminam unam ad fontem cepit, mox etiam universam prehendit civitatem. Duodecim piscatores Sanctus cepit, post etiam ipsorum opera totum venatus est orbem. Iscariota, qui retibus dilapsus fugit, fugientem laqueus excepit, et strangulavit; scilicet, quæ ille texit retia, captis impertiuntur vitam; capit, ut servet; quisquis ergo illa fugit, vitam fugit.

IV. Quis mihi referat, quas in te ipse recondis opes? Quisve dabit sitienti de fonte Divinitatis haurire laticem, aut guttam lambere? Interim quas audis suscipe, quæso, preces, et præsta nobis opere complere, quæ ore postulamus. Quotiescumque nobis tuum affuerit festum, sine curis jubeto nos esse, præceptor mi. Tua hæc solemnitas rumores extinguat, qui aures nuper pepulere nostras : quæ enim aures perculere voces, mentem perturbarunt. O vox, Patris voces compescito; horrificis stridet orbis clamoribus; tumultuantem comprimito eodem, quo maris procellas sedasti, nutu. Lætati sunt dæmones, voces cum audirent impias; nobis contra psallentibus læti, ut solent, precor, admodulentur vigiles. Caulæ tuæ flebili resonant

clamore, tu qui homines beas, oves, quæso, solare tuas, ne nos luctus iste mœrore conficiat; os nempe clamat et vociferatur, sua recogitans scelera. Dies tua, Domine, cuncta nobis proferat gaudia, ut pacis coronati floribus, Pascha tuum celebremus : dic autem ascensus tui alta petamus, quando cum pane novo ejusdem renovabitur memoria. Domine, auge nobis pacem, ut, cumulata nobis lætitia, tria Divinitatis festa peragamus : venerabilis est, Domine, dies tuus, ne nobis, quæso, vertatur in probrum.

V. Natalitia tua venerantur omnes, Juste; hanc venerationem sustine; nam et suum Herodes consuevit celebrare natalem diem. Impudentis puellæ tyranno placuere choreæ; tibi, Domine, candidarum animarum voces, quibus placatus illarum, oro, corpora sancte custodias. Herodis dies ipsum referebat, tuus te quoque dies : turbulenti regis dies scelere turbatus est; placidus ac tranquillus est, ut tu, sic dies tuus. Dies festus tyranni veritatis præconem sustulit; tuus ad tuam gloriam prædicandam excitat universos. Sub die parricidæ conticuit vox; voces sub diem tuum resonant. Impurus ille in suis natalitiis lucernam extinxit, ut adulteros occultaret nox; tempus Sancti accendit lampades et disposuit, quæ tenebras, tenebrisque amica flagitia dissiparent. Dies illius vulpis, qualis ipse, olidæ carnis putorem exhalabat; veri Agni solemnitas spirat sanctitatem. Dies hominis labentis, ut ipse, elapsa est; dies tua, qualis ipse, sempiternum manebit. Tyranni dies, ut ipse, rabida canis, vocem justam corripuit et extinxit; Mansueti solemnitas qualis ipse, mitis et misericors est, quæ solem suum oriri facit super persecutores suos. Novit tyrannus se regem non esse, Regi regum locum cessit. Solidus profecto dies breve mihi spatium sit, decora tua cum ejus probris compensanti; quanquam nec id tentasse

licuit; ideo dies, oro, tua meam purget stultitiam, quod nefasto diei faustissimum Natalem tuum componere voluerim. Dies tua plane incomparabilis est, nec illam cum nostris quantislibet conferre fas est; hominis dies humana, Dei dies divina est. Prophetarum diebus tuus excellit; ego autem parricidæ diem cum eodem composui. At tu, cui patent omnia, nosti quo tendant, quas instituimus comparationes.

VI. Dies tuus nobis vitam, quam petimus, afferat; quoniam tyranni dies mortem, quæ petebatur, attulit. Rex egentissimus solemni sibi die juratus spopondit saltationis præmium dimidiam regni sui partem se facturum; tu vero, qui tua opulentia exples inopiam, hoc oro, jube ut tua nobis solemnitas de mensa tua buccellæ micam ex commiseratione decutiat. De terra sitienti erupit fons, qui possit gentium sedare sitim. Virginali ex utero, velut e silice, emicuit semen copiosam suppeditaturum annonam. Plurima Joseph implevit horrea, eadem nihilominus in annos producta fames exhausit et absumpsit; una veritatis arista panem protulit, panem plane cœlestem et incomprehensum. Panis, quem Unigenitus fregit in deserto, consumptus transiit quantumvis copiosus. Novum rursus panem fregit, quem nulla ætas, nullus sæculorum decursus absumet. Defecere autem septem panes, quos fregit, et quos multiplicavit, quinque; unus panis, quem fregit, mundo superavit; is enim, quo largius dispensatur, hoc fit amplior et copiosior. Vino etiam optimo lagenas implevit; haustum fuit, et quantumvis copiosum etiam exhaustum. Exiguus fuit propinati postmodum calicis potus; vim tamen habet maximam, nulloque definitam limite. Calix est, qui omnia vina in se uno continet; mysterium est, in quo idem ipse est. Unus est panis, quem fregit sine fine mansurus; unus est calix, quem miscuit, nunquam exhauriendus. Granum frumenti terræ commissum, sepultum jacuit, emersit ter-

tio die, vitæque horreum implevit. Panis est spiritalis, qualis est qui dedit; spiritalis idem, spiritalem vitam impertit: quisquis illum ad instar corporum sumit, in vanum sumit, et sine fructu. Panis est gratiæ; hunc capiat anima quasi pharmacum vitæ. Et quidem si mortales victimæ summa cum religione dæmonibus mactabantur et comedebantur, quam oppido magis consentaneum est ut rationalis sacrificii mysterium a nobis sancte administretur? Quisquis de jugulata dæmoni hostia participat, indubitanter dæmoniacus fit; quisquis ergo de cœlesti pane participat, cœlestis procul dubio fiet. Admonet nos vinum sibi similes effecturum, quos sibi asciverit familiares; atrox nimirum exercet in amantes odium, temulentos facit, et cum a sensibus alienaverit etiam cæteris deridendos propinat. Lux nostra nos pariter docet sibi similem fieri pupillam filiam solis. Oculus, ut vidit luce monstrante nudatum, statim accurrit, virique modestissimi pudori consuluit; propudiosæ denudationis causa fuit vinum, nec enim pudentissimis parcere didicit.

VII. Veteratoris arma induit Unigenitus, disposuitque ut eadem tela, quæ eripuerant vitam, redderent. Inde factum est ut, quod exitii causa fuerat lignum, fieret idem salutis origo; et vinum, quod insanos et petulantes nos facere solebat, sanos et castos efficeret. Costam similiter, e latere Adæ a Deo extractam, Diabolus rapuit, eripuitque Adæ per costam cor: atqui ex illa costa divina vis sese tandem erupit, atque Satanam concidit et profligavit; sic olim velut rei futuræ umbra Dagonem Arca prostravit; codicem nempe ferebat venturi triumphatoris præconem. Ubi aliud adhuc observa mysterium in eo, quod Dagon intra propria præsidia opprimitur; symbolo, quæ secuta sunt, facta respondent; diabolus in eo, cui confidebat, loco profligatus fuit. Benedicito ei, qui suo adventu sinistra dexteraque signa

futuri, congruente singulis exitu, comprobavit; adumbratum namque in agno futurum sacramentum ipse in se complevit, idemque repræsentatum in Dagone diaboli casum exhibuit. Lauda illum, qui per verum Agnum nos lapsos relevavit, nostræque prolápsionis auctorem Dagonis ruina involvit.

VIII. December, qui noctis spatia provehit, advexit nobis diem nullis definitum spatiis. Hyems, quæ terram quasi tristitia quadam contrahit, prodidit pulchritudinem, quæ mundum universum exhilaravit. Tempore hyberno, quo terra parere intermittit, Virginitas parere didicit. December, qui terræ conceptus cohibet, partum Virginis protulit. Agnos novellos pastores vident primi; veri Agni ortum pastores primi sibi cœlitus nuntiatum agnovere. Lupus ille senex Agnellum ubera sugentem vidit, et extimuit vel suam dissimulantem formam. Scilicet postquam lupus ovilla se pelle texit, omnium pastor factus est unus de grege agnus; sic ipse disponebat ut a rabido illo hominum helluone Agnus mansuetus voraretur, et vicissim ipse vorantem sua virtute disrumperet. Sanctus in utero corporaliter habitavit, in mente nunc spiritaliter habitat. Si Maria, quæ illum concepit, nuptias aversata est, caveat, quæ ab illo inhabitatur anima scortationem. Maria illius adventum præsensit, et sponsi thalamos dimisit; ecce in castis animabus habitat, si tamen sensere præsentem. Non sentit surdus horrificum tonitrui fragorem, nec legis vocem protervus peccator; nec tonitrua perturbant surdos, nec audaces monitoris voces : si surdum horrendus nubis fragor concusserit, impurum tremenda ira commovebit. Atqui surdus culpandus non est, quod non audierit; qui autem audierit et contempsit, temerarius et audax fuit. Tonitrua quandoque ciuntur, legis vox quotidie tonat; ne, quæso, aures obstruamus, quando patentes nos accusant

fores, quas claudere natura negat; ostium namque auditus apertum illa manere jussit; si qua vis inferatur, nos de injuria postulabit. Oris et vocis ostia voluntas recludit et claudit; hoc illa voluntati concessit. At si bona, quæ largitur Bonus videmus, audiamus etiam grandia verba, quæ loquitur, et cogitemus quam oppido indecorum est Deo loquenti surdas præbere aures.

IX. Tu vero lauda vocem, quæ se corporavit, et Verbum Altissimi, quod caro factum est, vosque nostri membra corporis atque sensus gratias agnoscite et habetote ei, cujus adventu tota hominis compago usquequaque revixit. Gestabat Maria parvulum infantem, scientiam, qua omnibus linguis fari potuisset, dissimulantem; eumdem ulnis vehebat Joseph abditam introrsum habentem naturam antiquam cuncta præcedentem. Summus parvo similem se fecit, sapientiæ et scientiæ divitias mundo suffecturas occultans. Altissimus Mariæ lacte alebatur, cum ab ejusdem profusa liberalitate mundus lactaretur universus. Uber idem est vivificus, atque vitalis spiritus; inde vitam suxere mortui et revixerunt; sicut aër spiritu ductus alit, et sustentat omnes animantes, sic homines, sicubi Filii spiritu destituantur, interire necesse est; cuncta nimirum spiritu ejus viviscunt et vegetantur, et ab ipso suspensi pendent omnes spiritus supremi et infimi. Cum ergo Maria lac ipsi præberet, præbebat ipse cunctis viventibus vitam; cumque in sinu matris jaceret, jacebat in ejus sinu mundus. Cum pro infantium conditione taceret, rebus universis et singulis, quæcumque decreverat, exequenda mandabat. Nemini quippe licet ad naturam illam sempiternam accedere, nisi per Unigenitum; hic enim eidem compar est unus. Quis igitur alius per annos triginta, cum videlicet moraretur in terris, vota suscepit et laudes, donaque reddita a summis et imis? Totus nimirum erat in imis, in summis totus,

in universis totus, totus in singulis. Quando corpus ejus formabatur in utero, ipsius potestas omnium corporum membra componebat. Cum Filii conceptio transigeretur in utero, idem fœtus omnium animantium figurabat.

X. Neque vero, quo imbecille fuit in utero corpus ejus, ideo ejus potestas minor fuit; aut quo debilitatum fuit in cruce corpus ejus, ideo ejus potentia contracta fuit: nam et cruci suffixus mortuos e tumulis excitavit corpus ejus, imo ejus voluntas; nec secus accidit, cum totus intra viscera matris conderetur, et ejus numine nutuque totus ageretur mundus. Aspice ut, cruci suspensus totus, totam naturam concussit, obscuravit solem, terram quatefecit, patefecit sepulcra, indeque mortuos evocavit. Aspice ut in cruce totus erat, cum totus esset ubique; sic totus erat in utero, cum simul esset ubique totus. Cruci suffixus mortuos suscitabat, infans formabat infantes, occisus pandit claustra mortuorum, et utero clausus uteros reseravit. Date operam, sodales, præbete aures, attendite animum ad Filium Absconditi, qui sic per assumptam carnem aspectabilem se fecit, ut suam simul tegeret majestatem. Vis ejus cœlestis est, et potestas ejus absoluta, nec eam venter cum assumpta carne conclusit; sed quæ in matris ventre jacebat, omnes ubique fœtus coagmentabat; complectentem matrem complectebatur; nam si vim suam contraxerit, periere cuncta; sic ejus potentia res omnes continet, quas utique non dimisit, cum in utero teneretur. Idem sibi compegit formam in utero, qui omnes hominum vultus fingit ubique. Idem cum inter egentes aleretur, de penu largitatis suæ cunctis alimenta præbebat. Cumque ab illa, quæ ministrabat, acciperet unctionem, cuncta suis imbribus ac rore perungebat. Myrrham et aurum obtulere Magi, eadem quæ ipse repererat et procrearat; de suis ergo donis ipsum munerabantur. Infusa ab illo virtute potuit

sinus Mariæ portare portantem omnia. Quidquid illi Maria dedit, de thesauro accepit, cujus copia communi totius naturæ inopiæ providetur. Lac illa dedit, quod ipse eidem infudit; alimenta ministravit, quæ ipse produxit.

XI. Jam quo Mariæ lac dedit, Deus fuit; homo fuit, quo illud ab ea suxit: gestavere illum manus, quo suam temperavit vim; confovitque sinus, quo ipse se collegit. Amplitudinem majestatis ejus quis dimensus est? Ad pallii brevitatem ideo mensuras suas contraxit. Pannos texuit mater, et nudum vestivit, ex quo gloriam exuerat suam; illum mensa est et involvit, postquam se ipse coarctavit. Rem sane mirandam! Mare cum illum veheret, conticuit subseditque; quî ergo factum est ut illum Joseph in ulnis portaverit? ut concepere inferni viscera? ut illico dirupta sunt? quî ergo factum putas ut ipsum Mariæ venter sustulerit? Scilicet ad ima, Domine, descendisti, ut vitam impertires universis. Cuncti tibi gloriam et laudem tribuant, quicumque tuo munere revixerunt. Agedum quis cætera persequatur, quæ de Filio Absconditi dicenda superant? Postquam descendit, et induit intra materna viscera corpus, pro infantium conditione natus, lac suxit; et inter parvulos reptavit idem, qui Filius erat Artificis et Domini rerum. In foro nihil eximium supra pueri conditionem præferebat; inhabitabat tamen in illo amor omnium: ubi aspectabilis fuit, illum circumsistebant pueri; circumstipabant Angeli trepidi, ubi non sensu, sed mente cernebatur. Hilarulus cum pueris puer, verendus Angelis, idem ipsorum imperator.

XII. Venerabilis comparet Joanni, et ideo ejus calceamenta solvere non audet; comis et benignus peccatoribus adest, conceditque suos deosculari pedes. Angeli pro Angelorum sapientia illum æstimabant; homines, ut angustus est hominum captus, illum plene aspicere non poterant;

singuli proinde proprii ingenii modulo metiebantur illum eximium et præstantem, cui nec par est quidquam, nec secundum. Pater et ipse soli se absolute perfecteque capiunt, noruntque magnitudinem suam; reliquæ substantiæ, quæ vel ima, vel summa tenent, unaquæque scientiam habet propriæ conditionis finibus circumscriptam. Idem rerum Dominus et Opifex nobis cuncta largitur: ditat universos, et idem a singulis fœneratur. Omnia dedit, sibi ipse sufficiens; bona tamen, quæ dedit, in se reciprocat et reducit, quasi ipse sibi minime sufficiat. Dedit pecora et armenta, quoniam eadem ipse creavit: vicissim victimas reposcit, quasi vero talibus indigeat. Aquam in vinum convertit, utrumque ipse produxit. Si vinum bibit, at potu non eguit, in convivio de suo sibi poculum miscuit, idemque convivis porrexit vocatus ad nuptias. Ipsius charitas senem Simeonem vexit ut vitæ veheret auctorem mortalis ipse. Simeon, infusa sibi ab ipso virtute, illum portavit et obtulit, a quo vicissim offerebatur. Manus impositionem Moysi in monte dedit, et accepit in flumine a Joanne; illius gratia Joannem roboravit et extulit, quo Cœlestem ipse terrenus baptizaret. Illius influxu vegetata terra ipsum sustinuit; secus soluta compage concidisset orbis, si non ipse numine nutuque suo sustentasset labantem. Martha pavit prandentem, prandium de penu sua illo subministrante; nempe cibos, quos ipse creaverat, eidem illa apposuit. Quicumque obligata voto donaria attulerunt, quidquid hoc fuit, totum ab ejus ærario acceptum ad ejusdem mensam retulerunt.

SERMO V.

IN NATALEM DOMINI IV.

I. Adest nobis mensis hilaritatis et lætitiæ plenus; servis namque libertatem attulit, liberis dignitatem auxit, decoram et honestam corporibus voluptatem infudit, et coronavit fores; quod nos vehementer amaret, purpura etiam tanquam reges exornavit. Mensis ergo nobis redit faustissimus, omniaque refert eximia et præclara; nam et spiritui imperium asseruit, corporique imperavit servitium; mortalibus mortem vita commutavit, atque Divinitatem sui vi amoris in humanis membris habitare persuasit. Venit illa dies, in qua Dominus humilitatem adamavit, et ignominiam dignitatis suæ splendori antehabuit: et quoniam Adamus a Deo aversus, justitiam iniquitati postposuerat, ejusdem casum miseratus ille Bonus, correxit, et a recto calle aberrantem in viam revocavit. Mirum sane, si nec modo suam otiosi pigritiam depellunt, postquam illam majestatem non piguit in utero pro nobis ad novem menses commorari, et versari per annos triginta cum nefariis impiisque hominibus in terris Sodomorum. Propterea Bonus, conspicatus humanum genus misere nudatum et abjectum, solemnitates instituit, easque velut commune ærarium exposuit, ut præsentis celebritatis conspectus pigrum admoneret, excitaretque ad procurandum illinc propriæ inopiæ remedium, et ad colligendas quas vellet opes. Hunc ergo diem suis Unigenitus natalitiis mundo aperuit velut communem sibi nobiscum thesaurum. Unus in anno dies hanc reserat ædem; adeste

itaque et rem nostram impigre agamus, ultroque oblatas opes colligamus, priusquam patefactæ fores claudantur. Beati experrecti et strenui, qui, qua data via fuit, irrupere, et salutem velut incurrentem prædam sibi rapuerunt; sed quam oppido vituperandi, qui otiosi spectant socios, arrepta occasione locupletatos. Hunc diem honorat, quisquis sui cordis januam coronat; hanc Spiritus sanctus sibi recludi desiderat, cordis ingressum petit, et in eodem domicilium; istud nempe sanctificare peroptat, ideo omnes circumexplorat aditus. In hoc festivissimo die portæ sibi mutuo recinunt lætis vocibus, et in templo sacra adyta, velut insolito gaudio, exilire videntur, perque ora infantium faustæ resonant voces, atque in solemnitate sibi imprimis propria Christus maxime, ut est omnium maximus, lætatur.

II. Sub natalitia Filii Dei rex censum universo orbi indixit, ut hunc sibi faceret debitorem; prodiit nobis Rex, qui chirographa nostra delevit, et aliud sua manu chirographum scripsit, quo ipse se nobis faceret debitorem Vicit sol, et quibus ascendit gradibus signavit mysterium: duodecim interfluxere dies, ex quo ascendit; hic, qui agitur dies, tertius decimus est, qui Nativitatem Christi repræsentat; reliqui dies futuram vocationem duodecim Apostolorum præsignabant. Agnum in mense Nisan, die ejusdem decima, Moses inclusit, descripsitque typum venturi Filii Dei, qui hoc ipso mense in ventrem Virginis descendit, intraque ejus viscera abditus se continebat, cum dies decima ageretur. Porro mense, quo nascitur, contracto noctis spatio, vincuntur tenebræ, quo intelligeremus diabolum ab eo fuisse superatum, et producto die lux vincit, ut Unigeniti plauderemus triumpho. Cum tenebrione victæ cessere tenebræ, lux nostra vicit, oriente Sole.

III. Joseph Dei Filio, parvuli speciem præferenti, am

plexum dabat, præstabat obsequia, puerum sciens esse Deum. Bonum habere præsentem sibi gratulabatur, verebatur Justum, ipsius acta observantem; magnopere suspensus tenebatur utrinque. « Ecquis, aiebat, me dignetur honore tanto, ut Altissimi Filius mihi sit filius? Sollicitum me habuit, fateor, injecta de matre tua suspicio, proptereaque illam dimittere cogitabam; laqueum mihi fecit mysterii ignoratio, quod occultus in ea me lateret thesaurus, qui inopem me momento posset efficere copiosissimum. David proavus meus regale diadema gestavit, ego vero eo honore dejectus in summam contemptionem deveni, quemque natura regem destinabat, sors fabrum fecit. Nunc vero ablata revenit corona, postquam regum Dominus in meum venis sinum. »

IV. Simili affectu exarsit Maria, erupitque in voces multorum invidiam concitaturas, istud nato modulata carmen. « Eccui acceptum referam, quod pepererim simplicem et multiplicem, parvum et magnum, mihi hic totum, et ubique totum? Quo die Gabriel ad meam humilitatem venit, ex ancilla Dominam fecit, et quæ eram Divinitatis tuæ famula, repente mater evasi humanitatis tuæ, Domine et Fili : ancilla, extemplo facta sum regis filia, tu me fecisti, qui es filius Regis. Inter omnes Davidis posteros elegisti puellam humilem terræque filiam, cœloque invexisti, qui es cœlestis. Papæ quid video? Video infantem mundo antiquiorem : cœlo suspensum tenet oculum, clausum os; ejus tamen silentium, ut apparet, cum Deo sermo est. Nemo tamen vidit uspiam parvulum sic omnia circumspicientem : aspectus iste indicat hunc esse, cujus providentia mundus administratur, et superum inferumque rebus consulitur; talem enim habere decet oculum, qui imperat, et cuncta gubernat. Quorsum igitur tibi fontes lactis aperiam, qui rerum fons es et caput? Aut quorsum tibi cibum

porrigam, cujus mensa mundo alimenta ministrat? Aut quo pacto attingam fascias circumfuso te lumine amictum involventes? Præterea quo te appellem nomine non video, Fili Viventis; nec enim ausim vocare te filium Joseph, horret ad vocem auris, nec vero sanguis ejus es. At nec tutum mihi ejus, cui sum desponsata, nomen supprimere. Quare licet unus tuus sit pater, parentes tibi deinceps plures asciscam. Et sane nec decies millies nomina te explicant, ex quo Filius Dei etiam hominis factus es filius, filius Joseph, et filius David, et Dominus Mariæ. Jam quis fecit elinguem Dominum linguarum? Quin ergo, Sancte, non loqueris pro matre, postquam maligni quidam homines mihi ex tuo purissimo conceptu struxere calumniam? Quin obtrectantibus ostentum opponis, unde cognoscant tuæ conceptionis auctorem? Tui causa, qui omnes amas, in odium multorum incidi, infestorque et exagitor, quod conceperim et pepererim reparatorem mundo, Adæ consolatorem, ob redditam Paradisi clavem. Ecce autem turbatur insurgitque mare, et matrem tuam petit, ut olim Jonam. Eccum Herodes, sævus fluctus, suffocare molitur matris Dominum suæ. Mihi tamen sedet animo fixum extorrem tecum errare; certa quippe ubique, te duce, paratur salus. Carcer, te præsente, carcer non est; te sublevante, homines cœlo invecti sunt: sepulcra sepulcra non sunt, te vindice, qui es resurrectio et vita mortuorum. »

V. Stella præter naturæ ordinem effulsit sole minor, ipsoque major, manifesta videlicet luce inferior, longe superior secreta latentis mysterii significatione. Hæc divini Orientis stella sedentes in tenebris suo perculit fulgore, ac veluti cæcos manu duxit, perduxitque ad clarissimam lucem. Munera nato Domino obtulere, ac vicissim pro donis salutem reportarunt; persolutoque, quem Deo debe-

bant, honore, ad propria remigrarunt. Geminos Filius sibi excivit præcones : Stella quippe sublimi, humi Joannes, ambo præsentem prodiderunt. Duo assumpti sunt testes, cœlestis alter, alter terrestris; ille supernus nati infantis naturam a summa majestate existere declaravit, iste infernus naturam ejus ex humana origine ductam demonstrabat. Sic mirabili consilio ejus Divinitas, ejusdemque humanitas ab utroque prodita est; adeo ut qui terrenum illum dixisset, splendentissimi sideris luce redargueretur, ac doceretur eumdem esse cœlestem; et qui illum spiritalem a materia secretum affirmasset, ab ipso Joanne convictus disceret illum esse corporeum, mortalisque concretionis minime expertem.

VI. Simeon in templo illum gestavit, ipsique talia modulatus est: « Ades tandem pius et clemens, meam miseratus senectutem, ossaque mea cum pace ad inferos deducturus. Annuente te, e tumulo raptus olim in Paradisum transcribar. » Anna suo illum appressit pectori, ejusque ori applicavit os, simul sensit suis labiis insiliisse spiritum. Sic nimirum olim mutum Esaïæ os admota aperuerat pruna; quare, eo Spiritus illapsu inflammata, erupit in cantus, talia occinens: « Fili regis, et humilis matris Fili, qui cuncta audis et siles, cuncta vides et lates, cuncta nosti et ignoraris, Deus et homo, laudo nomen tuum. » Ocyus convenere steriles cum suis xeniis, ut ante reges cum suis gazis; sic sua utrisque conferentibus pauperem repente domum locupletarunt. Sterilis item, velut in insperato occursu, exclamavit : « Quis mihi hoc tribuit, ut infantem tuum, o Beata, viderem, qui cœlum terramque, et extra tenet, et intra? Benedictus fructus, qui botrum de sterili vite produxit. » Affuit cum illa Zacharias et venerando ore hæc profatus est: « Dicite ubi resedit Rex, cujus ad obsequium vox mihi nuper genita est, ejus-

dem adventus futura præco? Ave, Fili Regis, cui nostrum quoque sacerdotium tradendum est. » Cum parentibus parvulus ductus est Joannes, et adoravit Filium, et quamvis inde micantes radios ore exciperet, non ideo commotus est, ut ante clausus in utero, utrobique mirabilis, et nunc dum adorat, et ante cum exultaret. At Herodes, timida illa vulpes, quanquam leonis ferociam ostentabat, ut audiit leonis rugitum, in vulpem resedit, et ululavit, ex oraculo scripto præsagiens hunc puerum in regali solio sessurum. Monitus tamen illum interim in cunis esse et suspensum ab ubere, acuit dentem, conatus infantem ex insidiis opprimere. Hæc scilicet moliebatur, veritus ne, si adolevisset, oris sui flatu ejus tyrannidem extingueret. Ad publicandum illius adventum natura tot finxit ora, quot censebat capita. Nunc suis Magi prædicant muneribus, nata sobole steriles, micantibus radiis stella: concinunt omnia Regis Filium adesse. Cœli panduntur, fervent aquæ, apparet columba, vox Patris tonitruo major ingeminat: « Hic » est Dilectus meus [1]. » Angeli nuntiant; cantant hosannis suis pueri. Omnes istæ voces sublimi humique illum jam præsentem promulgabant, nec tamen tanto nubium fragore sopor Sionis discussus est: quin strepitu offensa, quod ejus somnos abrupisset, in illum insiliit, et peremit.

[1] Matth. III, 17.

SERMO VI.

IN NATALEM DOMINI V.

I. Nascente Filio altis resonat clamoribus Bethleem. Cœlo delapsi Vigiles canunt vocibus tonitruum imitantibus. Concentu exciti novo convenere Silentes, silentium rupere laudes nascentis Filii Dei. «Plaudamus, aiebant, Infanti, qui Evæ Adæque juventutis restituit annos.» Confluxere pastores, gregum suorum proventum portantes, dulcis lactis copiam, mundas carnes, et decoram laudem. Distinxere munera, carnes Josepho, Mariæ lac, Filio laudem. Obtulere agnum lactentem paschali Agno, primum primo, hostiam hostiæ, agnum caduci temporis Agno veritatis sempiternæ. Decorum sane spectaculum agnus oblatus Agno! balavit agnus Unigenito præsentatus; agnus Agno acceptam referebat gratiam, quod suo adventu greges et armenta mactationi subtraxisset, et novum a veteri Paschate traductum Pascha Filii introduxisset. Illum adoravere pastores, et prophetantes pastorum Principem delatis baculis salutarunt: « Mosaïca virga, aiebant, tuum, universalis pastor, sceptrum commendat; quique illam gestavit Moses, te magnum prædicat, dolens gregum suorum mutatas formas, et agnos in lupos transiisse, ac oves evasisse dracones, et ferocissimas bestias: scilicet et istud in illa horribili solitudine passæ fuerant malum, quando furentes rabidæ in suum incubuere Pastorem.»

II. Divine puer, hanc tibi acceptam profitentur gratiam pastores, quod lupos et agnos in easdem caulas congregaveris: Puer, Noë antiquior, et Noë recentior, qui intra

arcam, pelago fremente, pacem dissidentibus vectoribus sanxisti. David proavus tuus Agni necem leonis cæde vindicavit : tu vero, Fili David, occultum peremisti lupum, a quo interfectus fuerat Adamus, agnus ille simplex, qui in Paradiso pastus est, et balavit. Ea vocum modulatione commotæ nurus, pudicitiam adamarunt, optarunt castitatem virgines, puellæ pudorem induerunt, consertæque affluxere per turmas, et Filium veneratæ sunt. Ad Filium David coïvere simul civitatis David grandævæ anus, et auctum patriæ decus testatæ sunt. « O fortunatam natam, aiebant, urbem nostram, cujus vias et fora modo jessæa lux illustrat ; hodierno die thronus David, tua, Fili David, præsentia stabilitus est. » Consensere senes talia occinentes : « Magnificemus Puerum, qui Adamum defectum senem repubescere fecit, quod ægre ferret hunc quidem labefactum detritumque jacere ; serpentem vero ejusdem interfectorem, cum squamas exuisset, fuga dilapsum. Etiam atque etiam sit benedictus Puer, qui viridis juventæ florem Adamo Evæque revexit. » Affuere pudicæ nurus : « Benedicte fructus, aiebant, ventris nostri fructibus benedicito : tales tibi primæ parantur hostiæ. » Prophetarunt jugulatum iri natos suos, et primitiarum vice nato Infanti mox offerendos. Venere simul nuptæ steriles, et Infantem amplexantes : « Fructus benedicte, supplices orabant, fœcunditatem præsta nuptis, natus ex innupta ; miserescito sterilitatis nostræ, admirabilis proles virginitatis. »

SERMO VII.

IN NATALEM DOMINI VI.

I. Nuntium lauda, qui magnam attulit rebus tranquillitatem. Flexit viscera Patris, nostraque debita dissimulans, de bonis ipsius ipsi satisfecit. Laudabilis sane sapiens, qui conjunxit et sociavit Divinitatem cum humanitate; naturas, alteram a summo, et alteram ab imo, velut pharmaca duo, miscuit, et factus est una persona, Deus homo. Ille scilicet æqui et justi vindex, contuens Adamum in pulverem conversum, et a diro serpente voratum, probum infudit reprobo, salem temperavit, quo serpens execratus cæcaretur. Lauda Pium, qui cum videret rhomphæam Paradisi foribus objectam, indeque hominibus interdictum ligni vitæ accessum, descendit et corpus passibile assumpsit, ut proprii lateris apertura viam in adyta Paradisi aperiret. Iterum lauda Pium, cui non placuit severitatem et acerbos adhibere modos, sed mansuetudine et consilio, quod moliebatur, confecit, ut homini mirabile præberet exemplum, unde disceret virtute et prudentia sibi viam ad propositos fines sapienter munire. O beatum gregem, cujus es ostium et baculus, pascua et potus, et sal, quemque invisere, tuaque præsentia recreare dignaris. Venere agrorum cultores, et vitæ sospitatorem suæ venerati sunt, lætique talia prophetabant. « Ave, designatus nostrorum cultor agrorum, tu cordium nostrorum arva coles, et frumenta inde collecta in horreum vitæ congregabis. » Secuti sunt vinitores, vineamque laudarunt ex radice ramisque Jesse propagatam, quæ Virginem botrum ex ve-

neranda vite protulit; nos, quæso, refingito in vasa digna vino tuo novo innovante omnia; statum vineæ tuæ restitue, quæso; nil illa præter siliquas huc usque protulit, tuos jam insere vitibus surculos. Confido fore ut tua benedictione perfecte fecundata frugem ferat placaturam Dominum, sin aliter, excidium minitantem.

II. Ad Filium Joseph propter Joseph venere fabri. « Beatum natalem tuum auguramur, aiebant, artificum Princeps, qui noëticam arcam delineasti, atque tabernaculum architectatus es illud extemporaneum, et ad tempus duraturum; nostra te laudant opificia; esto, precamur, tu gloria nostra, jugum fabricare, futurum gestaturis leve et suave onus : describito nobis mensuram plenam veritatis, fraudique minime obnoxiam stateram ad amussim æquitatis et justitiæ exactam, qua judice reus victus causa cadat, victor discedat innocens. Verumtamen oramus te, juste Judex, ut cum culpa clementiam in eadem trutina appendas, et ambas simul compenses. »

III. Simili instinctu salutavere natum Infantem novi conjuges, ut dicerent; « Salve Puer, cujus mater sponsa Sancti facta est; beatas nuptias, quibus interfuturus es; beatos sponsos, quibus cum vinum defecerit, tuo repente nutu illud affluere cernent. » Clamavere simul parvuli : « O nos beatos, quibus contigit habere te fratrem, et in foris sodalem : felicem diem, felices pueros, quibus continget laudare te arborem vitæ, qui celsitudinem tuam ad nostram ætatulam demisisti. » Rumor pervaserat aures fœminarum fore ut virgo aliquando pareret; injecta est cuilibet illarum hujusmodi partus spes; speravere nobiles, speravere formosæ tuas se fore matres : tibi, Altissime, benedicimus, quod pauperem matrem elegeris. Prophetavere etiam puellæ, quibus obtigit ad illum deferri, dicentes « Seu deformis sim, seu formosa sim, seu humilis sim, tibi

ero, adhærebo tibi : mortales thalami tuo nunquam mihi erunt potiores. »

IV. Sara Isaacum suscepit, diuturnæ patientiæ præmium, servum ad imaginem Domini sui formatum : humeris impositum tulit ejus crucis typum : torserunt manus vincula, membra dolor, clavorum symbola. Rachel sterilitatis impatiens virum incusabat, dicens : « Da mihi liberos : » felicem Mariam, in cujus sinum, ipsa non petente, Purissime, descendisti, donum accipienti ultro oblatum. Sara, Rebecca, Anna, et Elisabeth lacrymis, votis et precibus prolem efflagitarunt, et sic tandem aliquando post diuturnum laborem, et plurium annorum luctum exorata fœcunditate respirarunt : vere beatam Mariam, quæ nec prolis desiderium sensit, nec pro ea impetranda preces fudit, aut vota nuncupavit, concepit nihilominus, integra Virginitate manente, peperitque Dominum, cui serviunt omnes de muliere nati, sancti et justi sacerdotes, et reges quotquot tulere præteritæ ætates, aut futuræ ferent. Quæ Mariæ similis mater usquam extitit, cui clausum utero fœtum alloquio cantuque mulcere licuit, ne dum summi Filium Opificis, Filium Creatoris, Filium Altissimi appellare filium suum? Aut quæ puerpera natum sic precata est : « Ave, spes matris, quia Deus es; ave, dilecte et fili, quia homo es; hinc amor, inde timor cum mihi tibi apparere contingit ? »

SERMO VIII.

IN NATALEM DOMINI VII.

1. Summi Opificis proles, summus et ipse Opifex, Genitori compar suo, ædificavit sibi in utero Virginis purissimum corpus, eoque amictus prodiit, quo nos humiles gloriosis ornaret insignibus, et communicata a Patre gratia participaret. A Melchisedecho summo sacerdote ad te hyssopus traducta est, thronum ac diadema transcripsit David : ab Abrahamo genus et prosapiam duxisti. Esto mihi, precor, portus, qui idem es magnum mare, mea nunc navigandum rate. Ecce autem obviam mihi prodiere naves Davidis parentis tui, quos ille composuit Psalmi, quæve fuderunt oracula Prophetæ. Pater tuus David illo psalmo centesimo decimo duos exhibet numeros, quibus geminas texuit coronas tibi, o tuorum debellator inimicorum, offerendas, quibus coronatus eum, quem obtines, thronum conscenderes : coronam majorem dico numerum centenarium, tuæ Divinitatis insigne, minorem denarium, qua tuæ humanitatis ornatur caput, divine triumphator. Nec ergo mirum ut tuo ardentes desiderio fœminæ ad viros cursitaverint : Thamar viduum adamavit, et Ruth senem; illa quoque Rahab, viros capere assueta, a te capta fuit. Vaga per agros Thamar lucem inter tenebras surripuit, turpi scilicet opere, loco infami, suffurata est Sanctum : eo pervasit cum dedecore, ut decorum te sibi auferret, ex impuris pura excudere assuetum. Rem subodoratus diabolus, trepidus accurrit disturbaturus, quod illa meditabatur, nefas; judicum severitatem coram explicuit;

sententiam fœmina non timuit; lapidationem et cædem objecit, nec illa mortem exhorruit : sic flagitium disturbabat leno, dum tuum disturbaret adventum.

II. Consecratum fuit Thamaris facinus, cætera nefarium, propter te, eo quod te fontem illimem sitiret; cumque accessum prohiberet Judas, vena sitiens potum ex istius scatebra sibi surripuit. Mortuo conjuge propter te vidua permansit : eo quod te desideraret, morarum impatiens præcipitavit, finxit se meretricem, id quoque propter te, te scilicet deperibat : et quod te amavit, sancta fuit. Nunc vero lætetur Thamar advenisse te Dominum suum, ipsius famam ad posteros transmissurum, celebrandam ob prolem non ex legitimo conjuge susceptam. Certe nomen mox puero inditum te, Domine, appellabat, et ad matrem venturum præsagiebat. Spectatæ virtutis fœminæ impudicitiæ subiere notam tui causa, qui puritatis et integritatis es auctor. In trivio Thamar surripuit te, qui ad regnum sternis viam (2). Non mirum fœminam, quæ vitam rapuerat, vita privare non potuisse ferrum.

III. Ruth viro in area dormienti accidit propter te. Fœminæ amor verecundiam exuit propter te, qui impudentiam pœnitentes doces. Omnes sprevere voces, voci tuæ assuetæ aures. Pruna Booz lectum invasit, dormientis accidit ad pedes speculata pontificem, ignem suo opportunam incenso in femore condentem. Cursavit et Boozo vitulam se dedidit, teque vitulum pro nobis saginandum mactandumque procreavit. Quod te deperiret, spicas legere instituit et congregare aristas. Continuo eam animi submissionem muneratus es, ut pro aristis regum seriem propagaret, et pro glumis manipulum salutis et vitæ caput proferret.

SERMO IX.

IN NATALEM DOMINI VIII.

I. Ne quis de tua resurrectione ambigeret, sepulcrum, in quo depositus fuisti, obsignatum fuit; lapidem namque impresso sigillo notarunt, jusseruntque ad ostium monumenti excubare custodes. Tui gratia res acta est, ut, inducto sigillo ac milite, tuum munirent sepulcrum, Fili Viventis. Nam si postquam te humarunt, neglecta sepulcri custodia, ad alias curas mentem avocassent, continuo datus fuisset locus improbis garrientibus furto te fuisse sublatum, o nostræ spes vitæ. Quo autem perversi homines magis institere ut sepulcrum publico sigillo muniretur, eo majorem paravere tibi gloriam. Hujus mysterii imaginem delineavere Daniël et Lazarus, ille retrusus in lacum, quem mox obsignavere gentiles, iste reductus e tumulo, ipsum sepulcrum aperientibus Judæis. Impressa sigilla, appositæque notæ utrosque in maleficio revicerunt. Et sane, si tuum sepulcrum apertum reliquissent, sua pariter ora aperta reliquissent; sed quo sepulcrum tuum clauserunt, obsignarunt, et impresso publicæ auctoritatis sigillo munierunt, ora sua simul obturaverunt, dumque futuræ resurrectionis ignari tumulum suis obvolvunt velis, sua imprudentes obvolverunt capita omnes sycophantæ. Sic tuo, Domine, ab inferis reditu tuum ab utero exitum persuasisti, ambo clausi, signati ambo, uterus et tumulus, purus in utero, vivus in tumulo, uterum ac tumulum habuisti testes ob appressa sigilla firmissimos. Venter et sepulcrum resurrectionis et nativitatis tuæ miracula pro-

clamarunt; obsignatus venter te concepit, sepulcrum sigillo pariter munitum te edidit; venter præter naturæ modum te concepit, et infernus, eadem repugnante, edidit: signatum fuit sepulcrum, cui te custodiendum tradiderunt, integer fuit uterus, qui te concepit, virique nescius. Uterus intactus, tumulus signatus, geminæ tubæ contumacis populi surdas pepulere aures; uterus integer, inviolatum lapidis signum sycophantarum turbam convicerunt maligne jactantium conceptum fuisse viri opera, furum opera corporis resurrectionem. Virginitatis, inquam, signacula et publicæ auctoritatis sigillum, eo loci deduxere protervos, ut proprio judicio coacti, te de cœlo descendisse faterentur.

II. Judæus populus constitit inter nativitatem, et resurrectionem tuam medius. Nativitatis tuæ honori plerique detraxerunt, detractores refutavit mors tua; resurrectioni tuæ derogavere fidem, protervos revicit nativitas tua: obmutuere obtrectatores, victique geminis hisce athletis dedere manus. Eliam etiam quæsivere discipuli, arbitrati montes petiisse magistrum, sed enimvero quo diligentius illum humi quæritabant, eo pleniorem fidem faciebant illum sublime latum: ipsaque disquisitio accuratissima indubitabile relinquebat ideo in terra repertum non fuisse, quod in aëra vectus illam reliquisset. Atqui si Prophetæ, qui Eliæ ascensum alias præsenserant, adhuc de ejusdem abitu dubitari volebant, quanta contentione conatos fuisse putas, impuros homines admirabilem Filii reditum obscurare? Sed ille suum ab inferis regressum ab eorum calumniis optime vindicavit, improbitatemque retudit testimonio custodum, quos ipsimet designarant.

III. Qui sciret quonam tuam, Domine, Genitricem nomine appellare deberet, nemo fuit: Virginem-ne diceret? at ejus in oculis omnium prostabat natus. Nuptam-ne af-

firmaret? at ad ejus nuptias neminem pervenisse certum erat. Jam si matrem tuam mente intelligentiaque assequi nemo potest, quis te attingere se posse credat? Mater tua Maria sola est, si solam cogito; alioquin soror, si cum reliquis confundo fœminis. Facta tibi mater est, et in communi sanctarum fœminarum choro soror quoque et sponsa: video ut omnibus illam decorasti modis, o matris tuæ decus! Sponsa tibi data est, antequam venires, quod secundum naturam transactum est; venisti, teque concepit, et hoc supra naturam, sicut et illud, quod te peperit, et Virgo permansit. Omnium nuptarum prærogativas habuit Maria: citra viri operam viscera prole, lacte implevit ubera. Te jubente, statim fons lacteus erupit e terra sitiente. Aspectu illo tuo magno recreata mater te gestat, nec tamen ipso gravatur onere, cibum ministrat esurire volenti, porrigit poculum tibi ipsi ultro cienti sitim. Si illi amplexari te licuit, tua istud præstitit benignitas, prunam ardentem, ne pectus ejus exureret, attemperans. Prodigium est mater tua: suscepit Dominum, servum fecit; suscepit disertum, mutum reddidit; suscepit tonantem, vocem ademit; suscepit provisorem sospitatoremque universi, mutavit in agnum, et balantem enixa est. Ordinem rerum venter pervertit matris tuæ, qui componis et ordinas universa: hunc ingressus dives, egenus inde exiisti; subiisti excelsus, humilis prodiisti; intrasti luce ipsa clarior, obscurus egressus es sic, ut nulla in habitu dignitas, in forma nulla auctoritas appareret. Impavidus, qui timorem nec capis, ex utero matris hausisti posse timere: inde esuriem didicisti, qui pastum cunctis viventibus præbes; qui aperis fluenta sitientibus, inde sitire cœpisti; ab omnibus rebus nudus atque vacuus indidem extitisti, qui vestis et ornas universa.

IV. Hebrææ virgines assuetæ alias Jeremiæ threnos re-

cantare, pro lugubri suarum scripturarum carmine, indidem acceptos lætitiæ hymnos hujusmodi refuderunt, spiritu ipsarum ora movente. Læta jam nunc oculos ab inferis attollat Eva hunc visura diem, in quo ipsius nepos, vitæ auctor, descendit extinctam matris suæ genitricem excitaturus. Adorandus puer caput serpentis contudit, cujus illa olim infecta veneno periit. A cunis decori Isaac Sara mater tuam speculabatur infantiam, teque illo adumbratum suo mulcebat cantu; relegensque infantiæ tuæ mysteria in eo puero expressa : « Euge, Fili, votorum fructus meorum, cantabat ; jam nunc video in te, qui latet in te Dominus, omnium piorum vota precesque suscipiens, et ratas efficiens. » Nazaræus Samson juvenis fortissimus tuæ fortitudinis umbra fuit; leonem laceravit, mortis quam concidisti typum; rupisti scilicet mortem, vitamque ex ejus amarissimo ventre exclusisti, cujus usura nobis futura erat jucundissima. Anna pariter te in Samuële figuratum suo non semel pectori appressit, tum primum, quando tuam præsensit justissimam severitatem ab illo repræsentatam eo die, quo regem Agag in frusta dissectum occidit, expressam diaboli imaginem : tum iterum, quando tuam contemplabatur clementiam ab eodem velut rudiore manu descriptam eo tempore, quo Saülis ruinam piis et veris lacrymis lugere non destitit.

V. Quam mitis es, Puer! quam vehemens judiciorum tuorum vis omnipotens, et ineluctabilis est, suavis et dulcis est amor tuus ! quis tibi obsistet? In sublimi habitat Pater tuus, tua mater humi jacet, undenam tui notitiam quis capiat? Si quis terrenus homo tuam disquirat naturam ab humanis remotam sensibus, hæc supereminet cœlo in magnum Divinitatis retrusa sinum. Si rursus quispiam corpus cognoscere cupiat oculis expositum, en humi jacet, teque ab angusto Mariæ gremio præbet aspectabilem. Er-

rat incertus animus, neque sibi constat mens, tuas, o Dives, rationes supputans. Congeminatis seris clauditur tua Divinitas; pelagus es tamen immensum, cedo, qui ejus fundum attingat, etiam postquam magnitudinem tuam ad nostram parvitatem deduxisti. Cum tuum conspectum petimus, hominem videmus, visuros nos Deum sperantes, si hominem videre velimus, inde statim in oculos incurrit hebetatque aciem coruscans Divinitatis splendor.

VI. Jam quis credat hæredem te esse davidici throni, cui ex lauta ejus supellectile præsepe duntaxat relictum est, et ex amplissimis ædibus spelunca, deque ejus equitatu vix vilem asellum cernere aliquando continget? Attamen quam benignus es, Puer, qui te omnibus indulges, et obviis quibusque arrides, gestisque cujusvis præsentia! Talis nempe tuus amor est, qualem credibile est futurum fuisse ejus, qui homines desideraret, ut panem quilibet esuriens. Parentes ab externis non discernis, nec Genitricem ab ancillis, nec Virginem te lactantem ab impuris prostitutæ pudicitiæ fœminis. Quid? Num tui ingenii naturalis facilitas huc te demisit, an charitas, qui nihil odisti eorum, quæ fecisti? Quid istud, quod te movet ut ad omnes descendas, ad locupletes ac tenues, et ad eos accurras etiam non vocatus? Unde tibi istud inditum, ut homines tantopere cupias? Quæ hæc tua charitas est, ut si quis te objurgat, non succenseas; si minis terret, non trepides; si duriter tecum agit, frontem non contrahas? Tua nimirum charitas antecellit legem illorum, qui suas persequebantur injurias et vindicabant.

VII. Fuit mitissimus Moyses, sed et severissimus atque acerrimus ejusdem zelus, quo succensus bene multos cecidit ac trucidavit. Talis fuit etiam Eliseus; sed et ipse, esto, uni puero vitam reddiderit, pluribus certe abstulit, quos videlicet ursis exenterandos tradidit. Quis tu, Puer,

cujus charitas super charitatem Prophetarum excellit? Ferus ille Agaris filius Isaacum calcibus petiit, toleravit ipse et dissimulavit; non ita mater, sed nati injuriam ulta est. Tu-ne Isaaci typus, an ille tui? Tu-ne illum imitaris, an ille te, qualem te nunc video, repræsentavit?

SERMO X.

IN NATALEM DOMINI IX.

I. Age nunc, secede huc de via, augusta stirpe natus; vultum depone in gremio matris. Non decet hæc facilitas filios regum; Davidis es nepos, et filius Mariæ; in secreto secessu a vulgo remotus, tuum observato decorum. Cui ergo te similem dicemus, blande et festive Puer, et decora proles, cujus mater Virgo est, et Pater a sensu tam remotus, ut nec ipsis Seraphim aspectabilis appareat? Vides-ne ut ira insanientes, magnisque dissidentes odiis, cum primum ad tuum venere conspectum, confestim exhilarati simultates deposuere, explicavere frontem, arrisere sibi mutuo, ab aspectu tuo jucundissimo miro repente perfusi gaudio. Tibi, Puer, benedicimus, cujus præsentia mitescunt acerba, et amara dulcescunt. Puellum quis vidit unquam cujusvis venientis præsentia gestientem, ut etiam ad distantem conetur prorepere? Rem sane novam, quæ intuentis sensum rapiat et amorem, cerno infantulum de singulis suis spectatoribus usquequaque sollicitum. Si quis te accessit vel mœstis agitatus curis, ut vidit te, ut omnem statim depulit mœstitiam, vel si quod coquebat negotium, confestim mente decussit, etiam esuriens cibum oblitus

est, et viator viam. Atqui otium quærere deberes, et negotiosos sinere suis vacare curis ; paupere in domo natus ipse, ex proprio cognoscis egentibus non esse a labore cessandum. Vides-ne ut omnes vel tenuissimæ sortis homines, neglectis operis, ad te festinant ? Sic, o amator hominum, homines hilaritate vultus tui sociasti.

II. David, ille spectatæ rex gravitatis et decori observantissimus, decerptos arbore ramos gestans, inter pueros per diem solemnem saltavit, divinarum laudum cantu velut extra se raptus. Quid? Num te, Davidis nepos, similis nunc rapit amor? Filia Saülis, dæmone paterno concitata, illum venerabilem stultum appellavit, eo quod populi sui senes proprio exemplo invitaret ad celebrandas laudes tuas simili ritu, neve propterea tractare ramos, et pueris associari dedignarentur. Jam quis audeat exinceps te, ut decori minus observantem, traducere, castigatus filiæ Saülis pœna, cujus venter ideo liberos non fudit, quod os mala verba fudisset? Oris irridentis pœna fuit vulvæ sterilitas. Contremiscant linguæ procaces, et blasphemare desinant. Quanquam, putas-ne, obstruantur ora loquentium iniqua? At tu, Filia Sion, vide ut linguam coërceas, neve obtrectare ausis Filio David, quod ad hanc civilitatem deduxerit Divinitatis fastigium. Cave ne filiæ Saülis vestigiis insistas, quam tamen secuti sunt bene multi ex impuro populo Judæorum temerarii homines, ut libidine, sic zelotypia æstuantes. Qui Hebræos maxime suspiciosos et criminatores noverat Deus, fœminas miseratus pro earum indemnitate, suas auxit ordinationes. «Si uxorem, ait, oderit maritus, non ante dimittat quam scripto libello repudiatam declaret. Quod si violatæ fidei suspectam habeat, sacris aquis ejus pudicitiam exploret. Si quis alius quispiam eidem impegerit falsum crimen, velamen pro mulcta dabit[1].»

[1] Num. v, 14 et seqq.

Omnem suspiciosis et calumniatoribus ansam præripuit Maria, quæ Virginitatis claustra intemerata perpetuo servavit. Quo zelotypiæ leges promulgavit Moyses, hoc ipso illorum in hac parte vitium satis ostendit. Jam vero si fœminas suas, adhuc innuptas atque velamen virginale gestantes, violatæ pudicitiæ accusare solebant, et hoc prætexto crimine morte mulctare, nil mirum si matri, prole præsente, similem calumniam intentarint. Aquis exploratoriis et velamine, quibusdam velut rudimentis illos ante exercuit, ut cum advenisset ille, cujus nutu omnes concipiuntur fœtus, et venter, in quem ille descendisset, ipsis suspicionem movisset, virginalia claustra, præsente fœtu, adhuc intacta, in illorum impudentiam perorarent. Si ergo viro desponsam deprehensa virginitatis signacula vitæ periculo subtraxerunt, eadem custodita custodienti salutem pepererunt. Ergo, quicumque sapis, arma custodi, quæ, si expugnata fuerint, adversus Dominum retorta dimicant.

III. Eliam cogita; corporis ille cupiditates coërcuit, idcirco cœlum pariter continuit ne in mœchorum terras deplueret. Quia corpus a voluptate abstinuit, rorem eripuit luxuriosis, fontes suos sine lege vagari patientibus : et quia occultus incontinentiæ ignis illum subigere sibi non potuit, cœlestis ignis jubenti paruit. Eliseus quia corpori delicias et oblectamenta subtraxit, vitam mortuo restituit. Vita mortuo reddita naturalis fuit; supra naturæ vires fuit, quæ eam reddidit insignis castimonia. Moses, qui thalamum reliquit, et a conjuge se divisit, divisit pariter mare meretrici vadum petenti. Sic Sephora sacrifici filia pudicitiam servabat, quando filia Abraham cum vitulo mœchabatur.

SERMO XI.

IN NATALEM DOMINI X.

I. « Ope fretus tua, rerum omnium incœptor perfectorque, dicere incipiam; os ego aperiam, implere tuum est; terra sum, tu cultor meus; tua mihi serito verba, qui matris alvo te ipse sevisti. Me mirantur omnes Hebræorum nobiles matronæ, et ingenuæ virgines; atque, obveniente mihi tuo munere, felicitate uruntur, velut immerito collata pauperi sortisque tenuissimæ. Quis te, opulenti Patris prolem, divitum fœminarum gremium recusare coëgit, et ad inopum ædes pertraxit? Joseph profecto copiosus non est, mihique res familiaris parva est, et curta supellex. Quanquam nuper Magi negotiatores tui aurum in nostram advexere casam, quorum proinde munera perspiciens ad concinendas laudes tuas vehementius inflammor. Quid istud? aio : hem tui me circumsedere adoratores, et allata tibi me circumstipant dona! Tibi benedico, Puer, qui matris linguam in organum vocis tuæ reformas. Quare sicut citharœdum cithara opperitur, sic te meum os suspirat; tuum, Nate, precor, imperium matris pulset linguam. Te docente, novam concipiendi rationem didici; nunc vero, quoniam nova nativitate natum te video, rogo ut ad novos canendi modos os meum refingas. Equidem, si quæ difficillima facillima sunt tibi, et planissima, quæ maxime ardua; quando virginalis uterus te concepit peperitque, nullo serente fœtum, quin fieri posse putem ut os parvum magnas laudes tuas ample et magnifice persequatur? Interea aspice quanta mihi incubuit

invidia, quotve adversentur obtrectatores: quanquam nec id inique fero: aures implevere meas opprobrationes et contumeliæ; exiguum tamen istud, quod patior, judico: decies millenos dolores, unum si dederis solatiolum, depellet: dum me modo, Fili, non despicias, læta exporrigo frontem, multis licet vexata calumniis. Concepi peperique veritatem, quæ me pronuntiabit insontem. Nam si Thamar Judæ sententia absoluta fuit, quin magis ego tua?

II. « Atavus tuus David Psalmum de te, priusquam venisses, præcinuit, prænuntians fore ut tibi afferretur aurum de Arabia. Proditum de te oraculum, dum adhuc in cunabulis jaces, ad effectum perducitur, congeritque tibi myrrham et aurum. Tuo scilicet sapore condiuntur, quot ille composuit, Psalmi quinquaginta supra centum, omniaque Prophetarum responsa suavitatis egent tuæ: quin scientiæ etiam omnes, nisi sale temperentur tuo, ineptæ frigescunt. »

SERMO XII.

IN NATALEM DOMINI XI.

I. « Equidem me nunquam sollicitam habebit ne, quem ipsa amo, omnes etiam homines sibi habeant. Esto Deus quibuslibet te confitentibus; esto Dominus tibi servientibus; frater quoque diligentibus te, quousque lucreris universos. Cum intra me esses, extra me versabaris; sed nec postquam te peperi, populique oculis exposui, vis tua me occulta deseruit; intra me persistens, circumsides me, o Nate, qui matris mentem vagari cogis. Dum autem cerno

formam istam externam meis repræsentatam oculis, formamque tuam occultam mente apprehendo, in forma oculis conspicua meis Adamum contemplor, in illa occulta tuum tibi immixtum Patrem. Mihi fortasse soli in duabus formis decorem tuum ostendisti; tuam, oro, imaginem repræsentet panis ac mens; morare in pane, et in comedentibus illum; in utroque objecto, manifesto atque occulto, videat te, ut mater, sic Ecclesia tua. Quicumque panem tuum abominatur, illi est compar, qui corpus tuum abominatur; compares sunt, absens, qui panem desideravit tuum, et præsens, qui amavit formam tuam: in pane et in corpore viderunt te primi et novissimi. Attamen conspicuus panis, Nate, tuus aliquatenus pretiosior est quam corpus tuum; istud namque viderunt etiam infideles, panem tuum vivum non item. Quocirca lætati sunt absentes, quoniam ipsorum sors sortem præsentium superavit. Nunc vero forma tua sanguine uvæ impressa est pani, cordi similiter digito charitatis, pigmentis fidei (3). Benedicimus illi, qui vera sua forma formas sustulit e saxo sculptas aut robore dolatas.

II. « Hominis filius non es, ut communi stylo persequar laudes tuas. Conceptus tuus novus est, prodigium est Nativitas tua. Ecquis, nisi tuo affletur Spiritu, te loquatur? Me proinde novus dicendi ardor inflammat, qualis Prophetarum mentes. Quem autem te esse prædicem? Extraneum-ne dicam, qui unus ex nobis factus es? Filium-ne appellem, fratrem, sponsum, aut Dominum, qui matrem nova per aquam generatione regenerasti? Equidem sum soror tua, quo amborum nostrum proavus est David; et quo te concepi, etiam mater; sponsa quoque, postquam tua sanctificata sum gratia; item ancilla atque filia ex aqua et sanguine, ex quo me mortis tuæ pretio emisti, tuoque generaturus es baptismo. Venit Altissimi Filius,

et requievit in sinu meo, suamque me fecit genitricem : ex me genitus, me nova pariter generatione regeneravit, qui novo matrem ornavit amictu, ipsius sibi carnem adcorporavit, et ipsa vicissim ejusdem splendorem induit, amplitudinem et dignitatem.

III. « Thamarem Davidis filiam Ammon violavit; subiere pudicitiæ jacturam ambo. Margarita mea mihi salva stetit; ex quo enim illam induere statuisti, in tuum recondita fuit thesaurum. Thamarem quidem imbuit soceri odor ejusdem aromata suffurantem; Josephi vero sponsæ contra accidit, cujus nec ad vestes quidem halitus sponsi transiit cinnami, quod conceperat, odore retusus. Qualis murus igneus, talis conceptio tua, o Fili Sancti, me sepsit et munivit : suavissimum speciosissimo lilio aspirante odorem, hebescere debuit flosculi vis; sed nec pixis odoratarum specierum plena eo flore indigebat, aut ejus afflatu : procul abstitit caro, spiritus contemplata fœtum.

IV. « Viro famulatur mulier; mulieris enim caput vir; non ita Joseph; sed Mariæ se devovit servitio, suo scilicet Domino fœtam cogitabat. Ministrabat ergo coram arca Testamenti tui, tuam reputans in ea latentem sacratissimam Majestatem. Portavit Moses tabulas lapideas, Domini sui manu exaratas : gestavit Joseph purissimam tabulam, quam summi Conditoris Filius implebat. Interiere tabulæ, postquam tuis præceptis orbem imbuisti universum. »

SERMO XIII.

IN NATALEM DOMINI XII.

I. Quem gestabam sustulit me fœtus, ait Maria, submissisque alis, pennis suis complexus sublime vexit per aëra, edixitque : « Quæ vides ima cum summis proli tuæ subjecta parebunt. » Audii illum ab angelo Gabriële Dominum appellari, et a pontifice servo jam sene vidi gestatum; Magos adorantes contemplata sum, sed et Herodem offendi novi Regis adventu consternatum. Qui olim Mosis interitum petens Hebræorum sobolem suffocavit diabolus, infantes bethleemiticos occidit, quo Deo viventi vitam eriperet. Profugit in Ægyptum, qui in Judæam venerat, laboriosam in ea ducturus vitam vagus et extorris : scilicet ipse se capere conantem capere volebat. Cum adhuc virgo esset, ignominiosa folia induit Eva mater nostra; quæ vero, perseverante etiam Virginitate, mater tua effecta est, gloriosam stolam suscepit, omnium mortalium nuditati indumenta provisuram. Parvum illi corporis pannum commodavit, qui nos omnes vestit et ornat. O beatam illam, cujus cor et mentem obtines! Regis aula facta est, te regni hærede illam habitante, teque summo Sacerdote ibidem sacra faciente, in Sanctum Sanctorum transiit. Nulla talem rei familiaris aut conjugis sollicitat cura, fatigatve labor. Eva nidus et caverna colubro execrabili facta est, ex quo suggestum ab illo consilium illam expugnavit, et insedit. Evasit etiam ejusdem cibus, ex quo in terram rediit. Tu, Domine, cibus noster; tu genus nostrum, et gloriæ stola nostræ. Cui ergo pudicitia integra manet, ejus-

que jacturam timet, præsentem habet custodem; cui autem conscientia culpam objectat, hem adest qui ignoscat; cui malus dæmon infestus insistit, præsto est qui hunc expellat; et quibus valetudo morbis atteritur, hem occurrit qui sanat contritiones ipsorum. Qui Pater est, Filio consentiat, ut accedat, et Dilecti mei fratribus adjungatur; quæ mater est, filiæ et consanguineæ concedat, ut ad nuptias Cari mei transeat, et qui herus est, servo petenti copiam faciat, naturali Domino serviendi. Quod si liber quispiam tuum portaverit, Nate, jugum, unam referet mercedem; servus, qui duplici premitur jugo, duorum dominorum servitio addictus, terreni atque cœlestis, congeminatum reportabit præmium, bisque beatus dicetur, quia duo sustulit onera. Libera Virgo, Fili, si tua fuerit ancilla, etiam cum tibi servit, libera esse non desinit. Quæ autem conditione serva fuit, libera fit, cum tuo se addixerit obsequio, priorisque status ærumnis præsentis sortis felicitate finem impositum fuisse lætabitur; mysticaque colliget mala in suum congesta sinum, dummodo te diligat.

II. Quæcumque pudicæ estis, ad meum Dilectum aspirate; petite ut in animo insideat vestro. Vos item, quæ pudicitiæ naufragium subiistis, orate ut inde vobis allitas eluat sua puritate labes. Sed et vos, pii fidelium cœtus, huc festinate, vestro consentanea ordini ornamenta quæsituri. Etenim qui omnia molitus fuerat a principio Pater, Filium misit, ut omnia ad eum, quem dederat, statum revocaret. Fatuos itaque omnium siderum ex prisca superstitione cultores correxit. Mundum, qui vetustatem ab Adamo, culpa sua in senectutem lapso, contraxerat, innovavit. Rerum conditor earumdem reparator fuit, pristinum cunctis refudit splendorem, corporaque et animos, qui omnia potest, refecit. Ergo adeste huc omnes, quos lumen

oculorum destituit, vestramque nullo pretio redimite cæcitatem. Agite vos, claudi, usumque pedum reposcite. Voces repetite vestras, surdi mutique. Tu quoque, membris debilis et mancus, manus impeditas expedire cura ; illas qui fecit, reficere potest, refectasque tibi reddere. Summi nempe Opificis Filius est, thesauros habet amplissimos, omnibus refertos opibus ; qui ergo cæcatus desiderat pupillas, accedat illum, mutabit ipse lutum, ex luto carnem effinget, oculis lumen restituet. In modico luto ostendit manus quoque suæ figmentum fuisse protoplastum Adam. Sed et qui nunc redivivus spirat, testatur eumdem vitæ spiraculum homini primitus infudisse; sic novissimis testibus creditus est primi hominis filius. Certatim et vos approperate, leprosi, quo laboratis morbum citra laborem depulsuri. Nec enim medicinam vobis facturus lotionibus indiget, ut Eliseus olim, qui accedentes ægrotos septies profluente lavare jubebat ; neque ullum vobis facesset negotium, quale sacerdotes, qui ægros iteratis aspersionibus fatigabant : sed et vos, hospites et peregrini, medicorum principis opem implorate. Peregrinitas apud Filium Regis locum non habet; non enim a servis alienum se herus credit; hic autem communis est omnium Dominus. Cæterum si Justus lepra corpus afflixit, tuque relevas afflictum, qui finxisti, idem ipse odisti, et amasti. Scilicet nisi tu, Juste, illud formasses, nec laboranti, misericors, subvenisses, et nisi idem ipsum a te sanum et integrum conditum fuisset, nec fuisset morbis castigandum. Pœna, quam intulisti, et ægritudo, quam depulisti, testantur te rerum opificem summi Opificis Filium.

SERMO XIV.

IN NATALEM DOMINI XIII.

I. Imperante rege, quem dixere Semham, Dominus noster in Judæa natus est. Tempore eodem regnarunt Semha et Denha, lumen et luminare, seu sidus et sol. Regnator in terris, Filius in cœlo. Eo regnante, qui homines scripsit in libro morientium, in librum viventium eosdem transcripturus descendit salutis Reparator nostræ. Idem scripsit et scriptus est; in cœlo nos scripsit, scripserunt illum homines in terra. Date gloriam nomini ejus. Cæsare Augusto regnante, umbra veritati concurrit, Rex regi, Semha Denhæ, id est, sidus soli; regni insigne sui crucem humeris suis gestavit. Per annos triginta moratus est in terris pauper et egens. Ergo agite, fratres, hymnos laudis per omnes pangamus modos annis Domini; tricenis tricenas texamus coronas; nascenti Domino applaudamus.

II. Hem annus init novus, idemque felicissimus, maximarum dispensator opum; hic, precor, nostro accedant choro Cherubim, assueti Filium in throno sedentem gestare. Gloriam ille reliquit, laborem quæsivit, et ovem ad caulas reportavit. Acceptum beneficium testamini.

III. Annus succedit secundus; hunc occupant Seraphim majoribus adhuc tibiis nostros promoturi cantus; postquam Filium ab hominibus nefariis ac sceleratis comprehensum, et clamoribus conviciisque jactatum aspicient, quem ipsi ter Sanctum assidue proclamant. Scilicet igno-

miniam et probrum sibi seposuit, nos vero hymnis et canticis vacare docuit. Ipsi honor et gloria.

IV. Tertium annum Michaëlis agmina celebrant, nostræque sociata Ecclesiæ Filium magnificant eo maxime, quod servientem in terris cernunt, cui in cœlo Angeli famulantur, lavantem Discipulorum pedes, et labes animarum extergentem. Submissionem ejus exaltate.

V. Annum terra sibi asciscit quartum. Hæc etsi amplissima est, angustam Filio se esse novit; idcirco stupet suo contemplata sinu receptum, atque vili in sepulcro conditum, qui cœlum implet ac terram. Ipsius magnitudinem prædicemus.

VI. Quintum sibi sol vindicat, qui dum terram æstu suo accendit ac torret, nostrum commendat Solem, miraturque suam contraxisse amplitudinem, et eo usque vim mitigasse suam, quo ejus aspectum arcanis animæ oculis efficiat tolerabilem. Ejus splendorem obstupescite.

VII. Sextum tenet totus, quem cernimus, aër; in nostros concurrit et ipse sensus. Latissime hic panditur, atque ab ejus amplitudine et claritate pulchritudinem et nitorem reliqua mutantur: ideo Dominum suum vere magnum admiratur, dum infantis formam induisse videt, et parvo in gremio jacentem. Hujus Parvuli reveremini majestatem.

VIII. Ad laudes Domini nascentis anno septimo nobis concurrunt nubes et venti, dumque perfundunt stillante rore flores, simul aspiciunt ad illum diem, in quo Filius demittet suam ad omne opprobium majestatem, osque purulentis sputis turpandum exponet. Gratiam redemptionis agnoscite.

IX. Octavum arva petunt, natum laudatura Opificem; dumque suis fontibus torrida irrigant gramina, et nascentes fruges, adorant Filium ab ubere pendentem, et pu-

rissimum infantem lacte virgineo pastum. Bonæ voluntati ejus benedicite.

X. Annus nonus terræ datus. Laudavit illa sui Conditoris potentiam, quod insitis ab orbis conditu seminibus gravidatam usque modo perenni fœcunditate omnia parere, et fundere ex sese facit. Nunc vero magis exaltat, quod videt Mariam, terram per se sitientem, admirabilem mirabiliter peperisse prolem. Testatur eumdem omnium esse pelagus bonorum. Ipsum magnificate.

XI. In annum decimum incidit mons Sinaï, nato Domino laudis modulatur hymnos. Et hic quidem illo præsente deliquatus olim contabuit; at brevi sentiet scelerata manu saxis appetitum; suscepit nimirum lapides, qui suam ædificaturus erat Ecclesiam super Cepham. Mirare divini Artificis opus.

XII. Undecimum invadit mare magnum. Mirabatur olim Filium, suo freta metientem pugillo; nunc vero stupet cœlo demissum exigua immersum profluente; mundum videlicet lavabat. Huic insigni facto plaudite.

XIII. In duodecimo panditur Sanctuarium, et intrantes ad laudandum Dominum invitat, dum in specie subolescentis Pueri exhibet senibus assidentem. Conticuere sacerdotes, postquam Agnus solemnitatis sua in solemnitate balavit. Benedicite ei, cujus est misericordia et propitiatio.

XIV. Ad annum tertium decimum diademata regum Regem mirantur, qui moriendo vincit, et quo spinea redimitur corona magnam molitur tiaram Adæ, quem ad dexteram suam locare decernit. Illi, a quo missus est, laus sit et benedictio.

XV. Ad quartum decimum recurrit actum in Ægypto Phase, Phasis nascentis dignitatem testatur; processit istud universa transiliens, nec enim Pharaonem, sed infer-

nas legiones demersit; non equites, sed dæmones suffocavit. Nato vindicatori habetote gratiam.

XVI. Succedit ad annum quintum decimum gnathonum agnus, quem Moyses mactavit. Dominus non ita, sed ipse occisus suo redemit homines sanguine. Idem cum se pastorem fecisset, pro omnibus mortuus est. Genitori ejus benedicite.

XVII. Ad sextum decimum habes frumenti granum, quo adumbratus et laudatus est Arator ille, qui terræ sterili corpus commisit suum. Granum frumenti fuit, quod omnia natum sua texit umbra, panem ex nova confectum farina dedit. Innocentem laudate.

XVIII. Annus septimus decimus vitem præsentat. Nascentem hæc laudat Satorem suum. Duas ille sevit vineas, habuit animas quasi plantas, alteri cum suo Domino composuit pacem, destruxit alteram labruscas ferentem. Justo eversori laudem et gloriam tribuite.

XIX. Ad annum duodevigesimum vitis, quam aper de sylva depastus est, vitem veram commendat, quæ culturam minime neglexit, fructum custodivit, et Domino vineæ suum proventum repræsentavit. Cultoris gratiam agnoscite.

XX. Anno undevigesimo verum fermentum conspersio nostra magnificet, quod postquam in terrenam se concretionem infudit, omnes collegit errantes, atque una imbutos disciplina, in unam sententiam coïre fecit. Ejus prædicate doctrinam.

XXI. Ad annum vigesimum sal occurrit; corpus iste tuum vivum nos laudare monet, quo omnium fidelium animæ corporaque condiuntur. Fides enim hominis sal est, quæ illam a corruptione immunem servat. Grati te agnoscimus tali nos dignatum conditione.

XXII. Ad vigesimum primum fluentes in solitudine

aquas recogita; exteris illæ dulces factæ sunt, amarulentæ propinquis, postquam pacti famulatus mutavere fidem. Populus scilicet, et populi per deserta vagantes amarorem contraxere, et deserti sunt; dulcuerunt per crucem, quia Crucifixus redemit utrosque. Magnificate ipsius suavitatem.

XXIII. Ad vigesimum secundum, acceptam tibi testari gratiam nos admonent arma et gladius. Non hæc inimicum nostrum profligare potuerunt; tu hunc concidisti, tuque aurem Simonis gladio amputatam restituisti. Benedicimus tibi nostræ Reparatori salutis.

XXIV. Anno vigesimo tertio laudare monet, qui ab asina commodatum pullum, quo veheretur, accepit; scilicet qui vincula solvit, et clausa mutorum reseravit ora, ora onagrorum aperuit, quando Agaris progenies laudem dedit. Beatus, qui te laudat.

XXV. Vigesimo quarto templi gazophylacium ad magnificandam Filii paupertatem invitat. Congestæ obstupuere opes ærarii Dominum in paupere domo educatum. Egenus factus est, ut omnes locupletaret. Tuam collaudamus potentiam.

XXVI. Ad annum vigesimum quintum audiamus Isaacum, gratias Filio Dei agentem ob conservatam sibi in monte vitam; ejus quippe beneficio gladium effugit, sibi succedente agno præsentis sacrificii victima et venturi figura Salvatoris. Mortem evasit mortalis, subiit mortem qui vitam impertit. Sacrificium ejus magnificate.

XXVII. Vigesimo sexto nostro accedit choro Moses. Intentatæ necis metu consternatus ille fugit; jam Dominum prædicet, qui lanceæ ictum admisit, clavisque manus et pedes confixus est. Subiit mox terram, et infernum depopulatus est, indeque prodiit redivivus. Resurrectioni tuæ plaudimus.

XXVIII. Vigesimo septimo laudibus Filium ornent oratores disertissimi, qui tamen nulla ratione, nulla arte efficere potuerunt ut causa nobis adjudicaretur. Ductus ille ad judicium, et a Judicibus condemnatus suo silentio, ac supplicio nos nostro de crimine absolutos eduxit. Ipsum laudate. Anno eodem nobis concinunt Moses et Josuë. Ambo constituti criminum vindices in homines impios gladio animadverterunt, quo magis illum mirentur, qui cum scelerum ultoris esset Filius, pro sceleratis mortuus est; quin et eosdem ingentibus etiam beneficiis usquequaque cumulavit. Laudem Domino super omnibus miserationibus ejus.

XXIX. Ad annum vigesimum octavum Filio laudem tribuerunt et gloriam omnes cujusvis conditionis potentes, qui a tyranno nos liberare nunquam potuerunt. Unus scilicet est idemque cunctis adorandus, qui sua morte rem nostram restituit. Assertam nobis per te libertatem grati testamur.

XXX. Anno vigesimo nono occurrit nobis Job. Multa hic passus est; sibi tamen, nobis Dominus, qui pro nostra salute pertulit sputa, lanceam, spineum sertum et flagella, convicia, contumelias et ludibria. Misericordiam ejus magnificate.

XXXI. Trigesimo ad Domini laudationem nobiscum concurrunt, qui Filii morte revixere mortui; viventes, qui ad pœnitentiam redierunt. Cœlum, ac terra, quibus pax et tranquillitas parta fuit, Patrem et Filium glorificate.

SERMO XV.

IN NATALEM DOMINI XIV.

I. Utinam fortunatis illis temporibus vixissem, ad hominum reparationem divinitus præfinitis! Utinam diem, auspicatissimis christianæ reipublicæ fastis notandum, et ad annuntiandam universo mundo felicitatem designatum, vidissem! Utinam factum foret ut cœlesti militiæ Deum magnifice laudanti socius adjungerer! At quoniam indignus plane sum ut tantum mihi honoris tribueretur, hoc mihi nunc saltem detur ut illud me charitatis ardore conferam, ubi nova ista lux cæcis mortalibus eluxit; atque Angelos comitari, eorumque gaudii ac voluptatis participem fieri, tum aliqua de incarnati Verbi laudibus, majori qua fieri potest animi puritate, contexere liceat.

II. Quem Prophetæ multo antea venturum promiserant, suis tandem citharis celebrarunt; quem pontifices ardentissimis expectaverant votis, plaudentes magnificaverunt; reges, e quibus continuato generationis ordine descendit, coronas et sceptra detulerunt formosissimo virginum Regi, e Virgine genito, qui cum Rex regum sit, regno omnes donavit; cum summus sit Pontifex, veniam omnibus impertivit; cum Dei Agnus, mensam fidelibus exquisitissimam præparavit.

III. En, Domine Jesu, regales urbes certatim confluunt tibi coronas aureas oblaturæ. Bethleem, Cana, Nazareth, Bethania, Sichem, et reliquæ civitates, quæ te excipere promeruerunt, te præ cunctis Regem consalutare gestiunt.

IV. Prima tibi coronides ab ea, in qua editus es, urbe decernitur. Duo tibi dat diademata, quæ te genuit mater, quæque te excepit spelunca. Reliquæ deinde urbes, quas tenent, coronas ad pedes abjiciunt tuos. Quod enim supremæ tuæ majestati deferunt munus, id a te acceperunt; unde nihil sumis, quod non prius impertiveris.

V. Tua te adoret Genitrix, tuoque capiti diadematis ornamentum superimponat, ceu Salomoni propria quondam imposuit mater; etsi hic cæteroquin ethnicam pravitatem secutus, suæ honorem dignitatis depresserit. At tu davidicam, ex qua profectus es, sobolem amplissime decoravisti; tu ipsius thronum magnifice elevasti, familiam longe lateque propagavisti, et ejus citharam ubique provexisti.

VI. Eadem tua Parens inclyta in omnium ore diutissime vigeat: qui te gestavit uterus benedictione repleatur. Josephum nemo digne laudare poterit, quem tu, vere et naturalis æterni Patris Fili, patrem adoptivum habere non recusasti; tu, Pastor amantissime, missus ad quærendas, quæ perierant, oves, tamdiu laboravisti donec inventas ad ovile reduceres.

VII. «Quod tantum conceperim filium, » sic enim virginem Mariam secum allocutam fuisse credibile est, « id me præ omnibus, qui salutem adepti sunt, mirifice recreavit; quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia Paradisi pomaria; ibique Deum laudabo, ubi Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, cum in matrem me elegerit, seque mihi in filium esse dignatus fuerit, quoniam ipsi præ omnibus aliis mulieribus placui.

VIII. « Bethleem tibi gratias agat quas potest maximas, quandoquidem in ea urbe nasci voluisti, et coronam Michææ vaticinio jampridem prænuntiatam tibi innectat.

Huc Prophetæ regesque adsint, festumque diem solemniter agant; ac præ cæteris et Moyses gaudeat, qui insignem hunc partum subobscuris ænigmatibus adumbravit, et Esaïas, qui læta mysteria detexit, et Salomon, qui parabolas posteritati reliquit.

IX. « Quem in lucem edidi infantulum, ex invisibilis Patris sinu prodiisse, eumque esse, quem tot præclarissimi asseruere viri, constanter profiteor; meque supra omnes Angelorum choros collocandam confido, ut scilicet in sublimi cœlorum vertice illius perpetuo laudibus vacem, cujus gloria cœlos replet, et cujus majestatem, modo sub præsepii humilitate attenuatam, universus orbis circumplecti non valet.

X. « Hujus itaque partus magnitudinem infimis pecudum custodibus Angeli nuntiarunt. Te novum aquæ vitæ fontem Superi sitientibus mortalibus aperuere, quem tamen siccis eorum labris oblatum ne leviter quidem attigerunt. O fontem uberrimum dulcissimumque ab Adamo minime degustatum, qui novissime in duodecim rivulos discissus est, per quos salubres toti humano generi defluxere humores! »

XI. Tibi interim, speciosissime Puer, coronam aliam justus cordatusque conjux Josephus porrigit; ille nimirum, quem olim dubium hærentem exagitatumque Angelus eidem in somniis apparens confirmavit; ille, qui te ex Ægypto subduxit; dignus propterea, cujus dignitatem amplifices; eo vel maxime, quod summa hominis integritas, præclarum dedit divinæ tuæ innocentiæ ac sanctitatis testimonium.

XII. Optarem, Deus sapientissime, ut mihi, si liceat, indicares quonam pacto, quave de causa ex virginali utero egressus sis. Certe, ni fallor, tuam nativitatem Adæ compactio præfiguravit. Iste siquidem de intacta, et non-

dum aratro excissa terra formatus fuit; tu pari prope ratione ex intemeratis filiæ David, sponsæ Josephi, visceribus, secreto virili commercio, procedere voluisti.

XIII. In sacra Regum geneseos historia sola virorum exprimuntur nomina, quin ulla fœminarum mentio fiat; cum nullo pacto consentaneum foret ut earum genealogia describeretur. Qua de re puerum sub matris nomine conscribi non decuit.

XIV. Filius David Joseph davidicam sibi desponsavit filiam, ex qua prolem sine semine habuit, quæ Mariæ pariter proles fuit, licet ipsa nunquam virum cognoverit; et sic ex utroque tribus ipsorum sobole ditata est augustissima, quæ « Filius David » in laudata Regum genesi apposite nuncupatur.

XV. Turpe profecto erat Christum ex viri semine procreari; nec honestum ut idem ex fœmina citra conjugium nasceretur. Edidit Maria infantem, qui non sub ipsius, sed sub Josephi nomine scriptus est, licet ex hujus semine non derivatus. Ortus est sine Josepho Josephi filius, qui Davidis filius simul et parens extitit.

XVI. Cum de tam sublimi mysterio sermonem Moysés institueret, sponsam Virginem uxoris vocabulo appellavit; sponsum vero, qui ab ipsa religiose abstinuit, conjugem dixit, ne videlicet quis davidicum genus extinctum suspicaretur; sine viro enim quî fieri potuisset ut Christus filius Davidis haberetur? Quare conveniens fuit ut Virginis sponsus conjugis personam gereret. Ipse pariter Dominus ex progenie David se ortum fassus est, dum ejusdem filius vocari non repugnavit.

XVII. Jamvero si Christus viri, a sua stirpe longe dissiti, filius nominatur, eo quia in ipso sibi Deus complacuerit, quis veram Jesu Christi secundum carnem nativitatem in controversiam adducere audeat, dum Christus ex filia Da-

vid conceptus, et in gremio filii David enutritus, in civitate David adoratus fuit?

XVIII. Hæc omnia dum tacitus contemplor, improviso quodam studio rapior sciendi quidnam egerit, aut in quo occupata Virgo fuerit, cum Dei nuntius Gabriel ipsam adiit. Eam quidem orantem invenisse verisimillimum est, quemadmodum et Danielem identidem orantem reperit. Orationem fausta solent nuntia subsequi, quibuscum conjunctissima familiaritas cognatioque intercedit, qua sese mutuo recreant et inflammant. Id quam constet, clare conspexerunt pauci, quos Noaci arca excepit, viri, quibus columba, orationis gratia, prospera nuntiavit. Abrahami fiduciam oratio auxit, et Ezechiæ tribuit quod assiduis suspiriis postulaverat. Eadem spem Centurionis inflammavit. Ipsa Simeon voti compos factus est, et Zacharias in ipsa thuris oblatione desperatam prolem se obtinuisse accepit.

XXIX. Fausta quæque in oratione, veluti tutissimo in portu, conquiescunt, cum sit eorum omnium basis et fundamentum. Quare angelica annuntiatio in Mariæ oratione gaudiorum omnium causam deprehendit. Hinc Gabriel, ea salvere jussa, inquit: « Ne timeas[1]. » Animadvertendum vero est Archangelum sub venerandi senis forma missum esse, ne tam casta, tamque verecunda puella juvenili turbaretur aspectu, nec timore ullo corriperetur.

XXX. Ad binos optimos senes, et ad Virginem delegatus legitur Gabriel, quorum ingenia erant arcte inter se connexa, et in voluntate prope simillima; Virgo nempe, sterilis Zacharias, et fidelis Daniel. Hic postremus nasciturum brevi Dominum prophetica prius mente concepit; alter vocem Clamantis in deserto edidit; Maria denique Dei altissimi Verbum ad lucem produxit.

[1] Luc. 1, 30.

SERMO XVI.

IN TRANSFIGURATIONEM DOMINI, DEI, ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI.

I. Ex agro procedit messis gaudium; de vinea fructus ciborum, et ex Scripturis doctrina vivifica. Ager uno tempore habet messem, vitis quoque uno tempore habet vindemiam; at ex Scriptura, quando legitur, semper scaturit doctrina salutaris. Ager, quando demessus fuerit, cessat ac vacat, et vitis jam vindemiata vilis redditur atque abjecta; Scriptura autem, quotidie licet metatur, spicæ tamen interpretum in ea nunquam deficiunt; quotidie etiam dum vindemiatur, botri ejus quæ in ipsa est spei, haudquaquam consumuntur. Accedamus igitur ad agrum hunc, et vivificis sulcis ejus perfruamur, ex eoque spicas vitæ metamus, verba nimirum Domini nostri Jesu Christi, qui ad suos dixit Discipulos : « Sunt quidam de hic stantibus, qui » non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis ve- » nientem in gloria sua [1]. Et post dies sex assumpsit Simo- » nem Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus in » montem excelsum valde; et transfiguratus est ante eos. » Et resplenduit facies sicut sol; vestimenta autem ejus » facta sunt alba, sicut lux [2]. » Viri etenim, quos dixit non gustaturos mortem, donec videant figuram adventus ejus, hi sunt, quos assumptos duxit in montem, et ostendit eis quo pacto venturus sit in die novissimo in gloria Divinitatis, et in corpore humanitatis suæ.

[1] Matth. xvi, 28. Marc. viii, 39. Luc. ix, 27. — [2] Matth. xvii, 1, 2. Marc. ix, 1, 2. Luc. ix, 28 et 29.

II. Duxit autem ipsos in montem, ut eis demonstraret quisnam sit Filius, et cujus. Quando enim illos interrogavit, dicens : « Quem me dicunt homines esse filium hominis[1] ? » dixerunt ei : « Alii quidem Eliam, alii vero Hieremiam, » aut unum ex Prophetis[2]. » Ideo eos sursum duxit in montem, ostenditque se non esse Eliam, sed Deum Eliæ ; neque rursus Hieremiam, sed qui sanctificavit Hieremiam in utero matris ; neque unum ex Prophetis, sed Prophetarum Dominum, et qui miserat eos. Item ostendit illis se cœli et terræ Creatorem esse, vivorumque ac mortuorum Dominum ; imperavit enim cœlo, et Eliam deduxit ; innuit terræ, et Moysen suscitavit. Ipsos in montem adduxit, ut eis ostenderet se esse Filium Dei, ante sæcula ex Patre genitum, ac novissime ex Virgine incarnatum, et sicut ipse noverat, sine semine ineffabiliter natum, cum incorruptam virginitatem servasset. Ubi enim vult Deus, superatur naturæ ordo. Habitavit namque in utero Virginis Deus Verbum, et ignis Divinitatis suæ non combussit membra corporis Virginis ; quin et in habitaculo suo per tempus novem mensium illa servavit ac custodivit. Inhabitavit in utero Virginis, non respuens fœtorem naturæ ; et ex ipsa prodiit Deus incarnatus, ut nos salvaret.

III. Adduxit eos in montem, ut Divinitatis gloriam ipsis ostenderet, seque Redemptorem esse Israël declararet, sicut per Prophetas significavit, et non scandalizarentur in ipso, dum voluntarias ejus cernerent passiones, quas propter nos humanitus subiturus erat. Agnoscebant enim ipsum ut hominem ; sed Deum esse ignorabant. Agnoscebant ipsum filium Mariæ, hominem cum eis in mundo conversantem ; indicavit ipsis in monte se Dei esse Filium, et Deum ipsum. Sciebant illum comedisse et bibisse, laborasse et requievisse, et dormitasse et dormiisse, timuisse quoque et

[1] Matth. XVI, 13. — [2] Ibid. 14.

sudasse; quæ omnia divinæ ejus naturæ minime conveniebant, sed solum humanitati; ac propterea eos duxit in montem, ut Pater sua voce appellaret Filium, ostenderetque eis ipsum esse Filium in veritate, et Deum[1].

IV. Duxit eos in montem, ostenditque ipsis regnum suum ante passionem suam, et potentiam ac virtutem suam ante mortem, et gloriam suam ante ignominiam, et honorem suum ante contemptum; ut, quando detentus fuisset et crucifixus a Judæis, cognoscerent ipsum non fuisse ab eis crucifixum ob impotentiam, sed quod sic ei sponte ad mundi salutem placuisset. In montem eos duxit, et gloriam divinitatis suæ ipsis ante resurrectionem ostendit; ut, quando a mortuis in eadem naturæ suæ divinitatis gloria resurrexisset, scirent ipsum non accepisse quasi mercedem laboris sui gloriam, ut qui illa indigeret; sed illum ante sæcula habuisse eam cum Patre, et apud Patrem, sicut dixit jam ad voluntariam passionem veniens: « Pater, »glorifica me gloria, quam habui, antequam mundus es» set, apud te[2]. » Hanc igitur divinitatis suæ gloriam, quæ erat obscura et abscondita in humanitate, demonstravit Apostolis in monte. Aspiciebant « enim faciem ejus ins» tar fulguris relucentem, et vestimenta ejus alba[3], » sicut lumen. Duos soles videbant Discipuli; unum de more in cœlo resplendentem, et alterum præter morem; unum, qui eis lucebat, et mundum illuminabat in firmamento; et unum, qui ipsis solis resplendebat; faciem nimirum ejus ad ipsos conversam. Vestimenta autem sua ostendit eis alba instar lucis, quia ex toto corpore ejus, gloria divinitatis suæ scaturiebat, et ex omnibus membris suis lux ejus refulgebat. Non enim, ut Mosis, resplenduit ejus facies extrinsecus in gloria; verum ex ipso scaturiebat divi-

[1] Matth. XVII. Marc. IX. Luc. IX. — [2] Joan. XVII, 5. — [3] Matth. XVII, 2.

nitatis ejus gloria; oriebatur lux ejus, et in ipso manebat. Neque enim in alienam abiit partem, et ipsum dimisit; quia non venit ex alio obliquo, et eum ornavit; neque illam pro tempore utendam accepit. Sed neque totam gloriæ suæ abyssum eis ostendit; at quantum pupillæ oculorum suorum capere poterant.

IV. « Et apparuerunt ipsis Moyses et Elias, simul cum eo » loquentes[1]. » Sermones autem ipsorum, quos cum eo loquebantur, tales erant. Gratias ei agebant quod impleti sui essent sermones in adventu ejus, et verba omnium cum ipsis Prophetarum. Adorationem ei offerebant pro salute, quam in mundo fecerat generi humano, quodque mysterium, prius ab ipsis descriptum, ipse reipsa implesset. Perfusi sunt gaudio Prophetæ et Apostoli in ipso ascensu montis. Lætati sunt Prophetæ, cum jam vidissent humanitatem ejus, quam non noverant. Lætati sunt autem et Apostoli, ubi vidissent gloriam divinitatis ipsius, quam non cognoverant. Cumque audissent vocem Patris Filio testimonium perhibentis, per ipsam cognoverunt assumptam ab eo humanitatem, quæ quidem apud eos adhuc obscura erat; ipsisque fidem fecit, cum voce Patris, gloria corporis ejus, quæ resplendebat ex ea, quæ in ipso immutabiliter atque inconfuse unita fuit, divinitate. Et sigillatim fuit trium testimonium, in voce Patris, in Moyse et in Elia, qui quidem ei assistebant, ut servi; et alter alterum aspiciebant, Prophetæ Apostolos, et Apostoli Prophetas. Cernebant ibi se invicem, principes veteris et principes novi Testamenti. Vidit Moyses sanctus Simonem sanctificatum: vidit œconomus patris procuratorem Filii. Ille quidem scidit mare, ut populus in mediis ambularet fluctibus[2]: hic vero tabernaculum excitavit, ut ædificaret Eccle-

[1] Matth. XVII, 3. Marc. IX, 3. Luc. IX, 30. — [2] Exod. XIV, 22. Psal. LXXVII, 13. I Cor. X, 1, 2. Hebr. XI, 28.

siam. Aspexit virgo veteris Testamenti Virginem novi : Elias nimirum Joannem; qui ascendit super currum ignis[1], illum qui recubuit super pectus flammæ[2]. Factusque est mons in figuram Ecclesiæ, et univit in eo Jesus duo Testamenta, quæ suscepit Ecclesia, nobisque indicavit ipsum datorem esse duorum. Unum accepit ejus mysteria; alterum vero gloriam factorum ejus manifestam reddidit.

V. Dixit Simon : « Domine, bonum est nos hic esse[3]. » Quid dicis, o Simon ? Si hic permanserimus, quis verba adimplebit Prophetarum ? Quis verba obsignabit præconum ? Quis justorum mysteria perficiet ? Si hic manserimus, illud ; « Foderunt manus meas et pedes meos[4], » in quonam adimplebitur ? Istud, « Diviserunt sibi vestimenta » mea, et super vestem meam miserunt sortem[5], » cui accommodabitur ? Illud, « Dederunt in cibum meum fel, » et in siti mea potaverunt me aceto[6], » cui conveniet ? Istud, « Inter mortuos liber[7], » quis confirmabit ? Si hic remanserimus, « chirographum Adæ[8] » quis scindet ? ejusque debitum quis persolvet ? et gloriæ indumentum quis ipsi restituet ? Si hic manserimus, quæ dixi tibi, quo pacto fient? Ecclesia quo pacto ædificabitur ? « Claves regni cœlorum[9] » quo pacto a me accipies ? quem ligabis ? quem solves ? Si hic manserimus, cessabunt cuncta quæ per Prophetas dicta sunt.

VI. Ait rursus: « Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, » et Moysi unum et Eliæ unum[10]. » Simon missus est ad ædificandam in mundo Ecclesiam, et facere vult in monte tabernacula; adhuc enim Christum humano more attendebat, et cum Moyse et Elia ipsum collocabat. Protinus autem ei ostendit se tabernaculo ipsius minime opus ha-

[1] 4 Reg. II, 11. — [2] Joan. XIII, 25. — [3] Matth. XVII, 4. — [4] Psal. XXI, 17. — [5] Ibid. 19. Matth. XXVII, 35. — [6] Psal. LXVIII, 22. Matth. XXVII, 34. — [7] Psal. LXXXVII, 6. — [8] Coloss. II, 14. — [9] Matth. XVI, 19. — [10] Id. XVII, 4.

bere. Ipse quippe erat, qui patribus ejus tabernaculum nubis fecerat in solitudine per quadraginta annos [1].

VII. « Adhuc autem illis loquentibus, ecce nubes lucida » obumbravit eos [2]. » Cernis, Simon, tabernaculum absque labore? tabernaculum quod arcet æstum, et tenebris caret? tabernaculum quod fulget, atque resplendet?

VIII. Admirantibusque Discipulis, « ecce vox, » quæ a Patre prodiit, e nube audita est, dicens: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum » audite [3]. » Cum voce Patris, reversus est Moyses in locum suum, et Elias rediit in regionem suam, et Apostoli in faciem suam ceciderunt super terram; et Jesus stetit solus, quoniam vox illa in ipso solo implebatur. Fugerunt Prophetæ, et Apostoli proni in terram ceciderunt; quoniam non in eis implebatur vox Patris, quæ testimonium perhibebat, dicens: « Hic est Filius meus dilectus, in quo » mihi bene complacui; ipsum audite [4]. » Docuit illos Pater impletam fuisse dispensationem Moysis, et jam Filium ab eis audiendum esse. Nam ille tanquam « servus [5] » locutus fuerat quæ jussus erat, et ea quæ dicta ipsi fuerant prædicavit; omnesque itidem Prophetæ, donec advenisset ille, cui repositum fuerat, nimirum Jesus, qui est Filius, et non vernaculus; dominus, et non servus; dominator, et non subjectus; legislator, et non is cui lex imposita est. Natura divina « hic Filius est meus dilectus. » Quod itaque Apostolis adhuc erat obscurum, Pater in monte reddidit manifestum. Qui est illum qui est significat; Pater Filium manifestat; et ad ejus vocem Apostoli proni in terram ceciderunt. Erat quippe tonitru admodum terribile, ita ut voce ipsius terra contremuerit, et illi in terram collapsi sint. Ostendit eis Patrem accessisse, et Filium vo-

[1] Num. IX. — [2] Matth. XVII, 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Philip. II, 7.

casse eos, suaque etiam voce excitasse. Nam quomodo vox Patris eos dejecit, ita etiam, vox Filii illos exurgere fecit virtute divinitatis suæ; quæ quidem cum in ejus carne habitet, in eaque sit unita immutabiliter, ambæ in una hypostasi et in una persona citra divisionem atque confusionem permanent. Neque enim sicut Moyses, decorus apparebat extrinsecus[1] : sed tanquam Deus resplendebat in gloria. Moyses enim lumine vultus sui unctus decore cernebatur : at Jesus toto corpore suo, velut sol suis radiis, gloria divinitatis suæ fulgurabat[2].

IX. Clamavit vero Pater : « Hic est Filius meus dilectus, » in quo mihi bene complacui ; ipsum audite[3]. » Non separatus a gloria Divinitatis Filius. Nam una natura est Pater et Filius, cum sancto Spiritu, una potentia, una essentia, unum regnum ; et in unum clamavit voce in nomine simplici, et in gloria formidabili. Et Maria ipsum appellabat filium, non separatum corpore humano a divinitatis ejus gloria. Unus quippe est Deus, qui in corpore visus est in mundo. Gloria ejus divinam significavit naturam, quæ est ex Patre; et corpus ejus humanam indicavit naturam, quæ est ex Maria : ambas naturas, quæ convenerunt atque unitæ sunt in una hypostasi. Unigenitus ex Patre, et unigenitus ex Maria. Et qui dividit, dividetur a regno ipsius; et qui confundit ejus naturas, peribit a vita ejus. Qui negat Mariam genuisse Deum, non aspiciet gloriam divinitatis ipsius ; et qui negat eum carnem gestasse a peccato alienam, ejicietur a salute, et a vita, quæ per ejus corpus data est.

X. Ipsæ testantur res, et divinæ ipsius virtutes docent illos, qui valent discernere, ipsum esse Deum verum; passionesque ejus aperte demonstrant ipsum esse verum hominem. Et si id sibi persuasum non habent, qui mente in-

[1] Exod. XXXIV. — [2] 2 Cor. III. — [3] Matth. XVII, 5.

firmi sunt atque imbecilles, pœnas luent in die ejus formidabili. Si enim non erat caro, quorsum Maria in medium producta est? et si non erat Deus, quemnam Gabriel Dominum vocabat? Si non erat caro, quisnam in præsepio recumbebat? si non erat Deus, quemnam descendentes glorificabant Angeli? Si non erat caro, quisnam involvebatur fasciis [1]? si non erat Deus, pastores quemnam adorabant? Si non erat caro, Joseph quem circumcidit? si non erat Deus, stella in cœlo in cujus honorem accurrebat? Si non erat caro, Maria quemnam lactavit? si non erat Deus, cui munera Magi offerebant? Si non erat caro, Simeon in ulnis quem gestavit? si non erat Deus, ad quem dixit: « Dimitte me in pace [2]? » Si non erat caro, Joseph quemnam accepit, et in Ægyptum fugit? si non erat Deus, illud, « Ex Ægypto vocavi Filium meum [3], » in quonam adimpletum est? Si non erat caro, Joannes quem baptizavit [4]? et si non erat Deus, Pater e cœlo cui dixit: « Hic est Filius » meus dilectus, in quo mihi bene complacui [5]? » Si non erat caro, quis jejunavit, et esuriit in deserto [6]? et si non erat Deus, Angeli descendentes cui ministrabant [7]? Si non erat caro, quis invitatus fuit ad nuptias in Cana Galilææ? et si non erat Deus, aquam in vinum quis mutavit [8]? Si non erat caro, panes in cujusnam erant positi manibus [9]? et si non erat Deus, quinque millium hominum turbam, præter mulieres et pueros, in deserto quinque panibus et duobus piscibus quis pavit atque satiavit [10]?

XI. Si non erat caro, in navi quis dormivit? et si non erat Deus, ventos et mare quis increpavit [11]? Si non erat caro, Simon Pharisæus cum quo manducavit? et si non erat Deus, delicta peccatrici quis remisit [12]? Si non erat caro,

[1] Luc. II, 12. — [2] Ibid. 29. — [3] Matth. II, 15. — [4] Id. III, 16. — [5] Id. XVII, 5. — [6] Ibid. IV, 2. — [7] Ibid. 11. — [8] Joan. II, 2. — [9] Luc. IX, 16. — [10] Id. VIII, 22, 24. — [11] Matth. VIII, 24, 26. — [12] Marc. XIV, 3.

supra puteum fatigatus ex itinere quis sedebat? et si non erat Deus, aquam vivam Samaritanæ quis dabat? eamque quod quinque viros habuisset, quis redarguebat [1]? Si non erat caro, indumenta hominis quis gestabat? et si non erat Deus, virtutes et miracula quis faciebat? Si non erat caro, in terram quis expuit, ac lutum ex sputo fecit? et si non erat Deus, oculos cæcorum ex luto quis aspicere coëgit [2]? Si non erat caro, in Lazari monumento quis flebat? et si non erat Deus, mortuum jam quatriduanum solo jussu quis ejecit [3]?

XII. Si non erat caro, super pullum quis sedebat? et si non erat Deus, cuinam cum gloria turbæ obviam procedebant [4]? Si non erat caro, Judæi quem vinctum tenuerunt [5]? et si non erat Deus, terræ quis imperavit, illosque pronos humi dejecit [6]? Si non erat caro, alapis quis cædebatur [7]? et si non erat Deus, auriculam a Petro abcissam quis curavit, et in suum locum restituit? Si non erat caro, cujusnam facies sputis excepta est? et si non erat Deus, Spiritum sanctum in faciem Apostolorum quis insufflavit? Si non erat caro, quis coram Pilato in judicio astabat? et si non erat Deus, uxorem Pilati in somnis quis perterre faciebat? Si non erat caro, cujusnam vestimenta milites exuerunt et diviserunt? et si non erat Deus, sol quo pacto in cruce obscuratus fuit? Si non erat caro, in cruce suspensus quis erat? et si non erat Deus, terram a fundamentis quis movit? Si non erat caro, cujusnam manus et pedes clavis confixi sunt? et si non erat Deus, quomodo velum templi scissum est, petræ ruptæ, et sepulcra aperta sunt? Si non erat caro, quis clamavit, « Deus meus, ut » quid dereliquisti me [8]? » et si non erat Deus, quisnam dixit; « Pater, ignosce illis [9]? » Si non erat caro, in cruce

[1] Joan. IV, 7. — [2] Id. IX, 6. — [3] Id. XI, 35. — [4] Matth. XXI, 7. — [5] Id. XXVI et XXVII. — [6] Id. XXVII, 51. — [7] Joan. XVIII, XIX, XX et XXI. — [8] Matth. XXVII, 46. — [9] Luc. XXIII, 34.

cum latronibus quis pependit? et si non erat Deus, quo pacto dixit latroni: « Hodie mecum eris in Paradiso[1]? » Si non erat caro, acetum et fel cui obtulerunt? et si non erat Deus, infernus cujusnam audita voce contremuit? Si non erat caro, cujusnam latus lancea aperuit, et exivit sanguis et aqua? et si non erat Deus, inferni portas quis confregit, vinculaque dirupit? et cujusnam jussu mortui, in monumentis conclusi, egressi sunt? Si non erat caro, quemnam Apostoli in cœnaculo viderunt? et si non erat Deus, januis clausis quo pacto intravit? Si non erat caro, cujusnam in manibus plagas clavorum et lanceæ in latere Thomas contrectavit? et si non erat Deus, cuinam ipse clamavit, dicens, « Dominus meus, et Deus meus[2]? » Si non erat caro, in mari Tiberiadis quis manducavit? et si non erat Deus, cujusnam jussu impletum fuit rete[3]? Si non erat caro, Apostoli et Angeli quemnam conspexerunt in cœlum assumi? et si non erat Deus, cuinam cœlum apertum fuit[4]? et Virtutes quemnam cum tremore adorarunt? et Pater cuinam dixit: « Sede a dextris meis » quemadmodum et David ait: « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis[5], » et quæ sequuntur.

XIII. Si non erat Deus et homo, falsa de cætero est nostra salus, falsæ quoque Prophetarum sunt voces. Sed vera locuti sunt Prophetæ, et ab omni mendacio aliena sunt eorum testimonia. Ea enim, quæ jussi fuerunt, Spiritus sanctus per ipsos loquebatur. Quapropter et castus Joannes, qui super pectus flammæ recubuit, voces Prophetarum confirmans, ac de Divinitate in Evangeliis disserens, nos edocuit, dicens: « In » principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et » Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine » ipso factum est nihil, quod factum est. Et Verbum caro fac-

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Joan. XX, 28. — [3] Id. XXI. — [4] Act. I, 9, 10.— [5] Psal. CIX, 1.

» tum est et habitavit in nobis[1]. » Qui est ex Deo Deus Verbum, et ex Patre Filius unigenitus, consubstantialis Patri : qui est ex eo, qui est : Verbum ante sæcula; ex Patre genitus absque matre ante omnia sæcula ineffabiliter ; idem in novissimis diebus nascitur ex filia hominis, ex Maria virgine absque patre, Deus incarnatus, ex ipsa carnem gerens et factus homo, quod quidem non erat; manens Deus, id quod erat, ut salvaret mundum. Et ipse est Christus Filius Dei, unigenitus ex Patre, et ex matre unigenitus.

X. Confiteor eumdem esse perfectum Deum, et perfectum hominem, qui in duabus naturis in hypostasi seu persona unitis cognoscitur indivisibiliter, inconfuse, et immutabiliter, carnem indutus animatam et anima rationali atque intellectuali præditam, factus per omnia iisdem quibus nos passionibus obnoxius, præter solum peccatum. Idem terrenus et cœlestis, temporarius et æternus : qui incœpit, et est absque principio : expers temporis, et tempori subjectus : creatus, et increatus : passibilis, et impassibilis : Deus, et homo : in utrisque perfectus, unus in duabus, et in duabus unus. Una persona Patris, et una persona Filii, et una persona Spiritus sancti. Una divinitas, una potentia, unum regnum in tribus personis sive hypostasibus. Sic glorificamus sanctam Unitatem in Trinitate, et sanctam Trinitatem in Unitate. In quo Pater e cœlo clamavit: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite[2]. » Hæc suscepit sancta Dei catholica Ecclesia. In hac sancta Trinitate baptizat in vitam æternam. Hanc santificat in honoris æqualitate, et hanc confitetur citra divisionem ac separationem, eamque adorat sine errore, profitetur et glorificat. Ipsi in tribus personis Unitati convenit gloria, gratiarum actio, honor, potentia, atque majestas, Patri, et Filio, et

[1] Joan. I, 1 et seqq. — [2] Matth. XVII, 5.

Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVII.

IN SANCTAM PARASCEVEN, ET IN CRUCEM, ET LATRONEM.

I. Paulo ante Rebeccæ carmen nuptiale recitavi; hodie funebrem de Rebecca orationem habeo: hodierno enim die dominicam celebramus sepulturam, quæ fuit vitæ arca. Hodie regiam celebritatibus exornamus tumbam, quæ est vestibulum ad sepulcrum. Hodie celebramus urnam, quæ videlicet tribus diebus mortuum in morte abscondit. Hodie lætitia gestimus circa thecam unguentariam mundi. Hodie de urna sepulcrali exultamus..... Hodie inducitur Crux; et creatura exultat. Crux enim est aberrantium via. Crux Christianorum spes; crux divitum frenum; crux trophæum contra dæmones, indigentium abundantia, fluctuantium spes, viduarum tutor, tribulatorum requies, seniorum perfectio. Crux arma æterna, imperitorum sapientia, Apostolorum annuntiatio, virginum continentia. Crux orbis terrarum securitas. Crux idolorum desolatio, impotentium virtus, paralyticorum erectio, nudorum operimentum. Crux, mortuorum resurrectio, claudorum baculus, superborum destructio, contra diabolum victoria. Crux desperatorum spes, eorum qui oppugnantur, murus; eorum, qui inique opprimunt, judex: puerorum custos. Crux lux his qui in tenebris sedent; barbarorum philosophia, iniquorum lex, martyrum gloriatio. Crux sacerdotum gaudium, templorum eversio, Judæorum scandalum, ægro-

tantium medicina. Crux esurientium panis, cæcorum dux, pauperum consolatio, intemperantium pœnitentia. Crux juvenum rector, navigantium gubernator, pater orphanorum. Crux justorum consiliarius, virorum caput, regum magnificentia, servorum libertas, Prophetarum prædicatio. Crux monachorum exercitatio, Ecclesiæ fundamentum, delubrorum eversio, sitientium fons.

II. Hodie crux adducitur, et subterranea effringuntur. Hodie manus Jesu sunt clavis fixæ, et mortuorum vincula soluta. Hodie facinus interfectorum Christi in audaciam prorupit, et cursus mortuorum cohibitus est. Hodie sanguinis rivus ad sepulcra est effusus, et irrigatus infernus germinare fecit. Hodie summa mansuetudine hinc inde Jesus trahitur ad passionem, omnique hora suis doloribus benedicens, raptus est ad Pilati prætorio assidentis judicium ; inde Judæorum audaciæ ad ludibrium traditus, ad sextam usque horam illusus est : tum clavorum punctionibus cum trium horarum spatio tulisset dolores, morte finem passioni imposuit. Inde duodecima hora e ligno depositus est similis leoni dormienti. Nunc ad inferos descendit, videre cupiens Justos post labores quiescentes, quorum unumquemque conspiciens præteribat, regis instar, qui exercitum meridie somno detentum observat.

III. Vidit Adam multis attritum gemitibus. Vidit Abel sanguine purpuratum. Vidit Noë justitia exornatum. Vidit Sem et Japhet paterna excultos verecundia. Vidit Abraham omnibus redimitum virtutibus. Vidit Lot hospitalitate florentem. Vidit Isaac constantia virentem. Vidit Jacob tolerantia fulgentem. Vidit Job athletarum more exercitatum. Vidit Phinees flagellis armatum. Vidit Moysen divinis initiatum digitis. Venit ad Nave filium, et stipatus erat exercitibus. Transiit ad Samuëlem, et sacris regum unctionibus fulgebat. Venit ad David, et una cum psalterio

sepultus erat. Ad Eliseum accessit, et ovina pelle involutus erat. Jacebat Isaïas serra abscissi capitis gaudio gestiens; Jonas Ninivitarum salute ornatus; Jeremias laci luto illitus. Apparebant Ezechielis oculi horribilibus visionibus fulgentes. Danielis pedibus leonum oscula emicabant. Corpora, quæ e fornace evaserant, igne ad cutem splendebant. Tormentorum exquisitis instrumentis stipata erat Machabæorum phalanx. Baptistæ caput abscissione fulgebat. Vidit et sanctas mulieres præ virorum amissione minime tristes. Vidit Saram Abrahæ fide insignitam. Vidit Rebeccam hydriarum largitione florentem. Vidit Rachel nuptiarum prudentia coruscantem. Vidit pugnantium matrem septenaria turri munitam. Vidit singulos justos, omnes Prophetas perpendit; prædicavit, « Adsum. » atque divinus excitatus est exercitus.

IV. Hactenus regiam dignitatem brevi sermone complexi sumus. Age dum ad Pilatum quod reliquum est orationis convertamus. Hoc enim eorum, quæ hodie gesta sunt, initium. Judæi Christum immaniter comprehendentes, prætoris tormentis tradiderunt, nihil recte, et ex ordine gerentes, neque inscriptiones exhibentes, nec legitimam accusationem adducentes, nec causam dicentes, ne unum quidem crimen in sui patrocinium ostendentes; sed qua ratione? Populus vilis, turba forensis, et plebs rustica ex proximis pagis in festo convenientes clamabant; « Crucifige, crucifige. » Pilatus autem nullam aliam causam, sed impetum populi ob invidiam commotum videns, cum majorem pœnam minori redimere vellet, ut a morte vindicaret, flagellandum tradit. Cumque adhuc in eum sævirent, manus lavans, inquit; « Mundus sum a sanguine hujus[1]. » Innumeris rationibus sanguinis cupidos removere curavit, Romanorum eis leges enarrans: « Quæ ob crimina

[1] Matth. XXVII, 24.

inquit, 'ego Jesum, o Judæi, crucifigam? Ego occisorum sedeo ultor; hic autem sepulcra evacuavit. Ego a Cæsare delictorum missus sum judex; hunc autem quis ignoravit a delictis innocuum esse? Ego punio eum qui obcæcat videntes; hic autem cæcos illuminat. Ego in eum, qui aliorum pedes abscindit, animadverto; hic vero claudos confirmavit. Ego mortis sententiam fero, si quis puero matrem orbam reddit; hic vero filium e mortuis suscitans, matri donavit. Mihi jus est manum illius abscindere, qui alterius obtruncat dexteram; hic autem dexteram solvit manum. Ego pœnis plecto, si quis aliquem frumento fraudet; hic autem innumeris in deserto panes fregit. Meum munus est ictibus afficere eos, qui per verbera aliis infirmitatem inferunt; hic autem paralyticum grabatum gestantem abire jussit. Meum est exilio cohibere eos, qui vineas devastant; at iste nuptiis lætitiam attulit, verbo vineam efficiens. Ego pœnas sumo, si quis muros effodere audeat; hic occulti sanguinis fluxum obstruxit. Ego periculis objicio eos, qui nautas mergunt; hic Petrum super fluctus ambulare fecit Hunc igitur puniendum clamatis? nequaquam adeo ego insaniam. Non est mihi gladius ad hujus viri cædem. Egone Jesum morti tradam, qui Lazarum viventem video? et ad sepulcrum hominem mittam, qui sepulcris negotium facessit? Quî fieri potest ut invitus moriatur is, cujus virtute inferi ne unum quidem mortuum habere sperant? Quomodo et mortuus non resurget, et rursus vos in mœroribus eritis?»

V. His dictis cum eos suaderi minime posse animadverteret, prætorio abiit, permisitque abeuntes facere quod vellent. Sed in horum tumultu Sapientia siluit, nec verba Verbum dabat; illi autem impie aspernantes crucifixerunt. Et statim commota sunt universa; elementorum singula concussa sunt: fugit dies, obscuratum est cœlum: pro-

funda terræ loca quassata sunt; ejulavit terra violento motu concussa; effracta sepulcra, cruce veluti vecte vastata: clamaverunt petræ sensibiliter scissæ. Templum scissum est, ferre non valens intolerabile facinus. Sol propter audaces recessit, densaque nocte se abscondit. Res creatæ commotæ sunt; isti autem licet tam horribilia vidissent, nullo doloris sensu affecti sunt. Attamen honoraverunt eum inviti, et glorificaverunt ignorantes; unde infamiam inferre conati sunt, inde honorem ei confirmarunt; in figura ludibrii dederunt ei quæ illi conveniebant. Illuserunt ei adorantes; sed illudentes illusi sunt: servitutem enim suam confessi sunt.

VI. Eum chlamyde circumdederunt, illudentes. Quapropter regem suis manibus induerunt: spinis coronarunt veluti agri cultores: acetum miscuerunt, tanquam inutilis vinea: fel obtulerunt perinde atque populus malus hospes: spongiam dederunt, veluti animarum medico: calamum obtulerunt, unde scripto reprobati sunt: una cum latronibus crucifixerunt, quorum alter, quem ad ludibrium crucifixerant, Paradisi janitorem eum nactus est: « Domine, ait, memento mei in regno tuo [1]. » Vide servum compunctum: vide humilem, qui benignitati supplicat, nil ipse petere audet; non dixit, Da mihi claves, quas dedisti Petro; nec ullum solium, instar matris filiorum Zebedæi, obtinere rogavit. At quid opus est excelsiora enarrare? Ne Publicanum quidem dicentem: « Propitiare mihi « peccatori, » imitatus est, neque peccatorum veniam rogavit; cum enim multa sibi esse intelligeret, ut sui tantum in regno cœlorum memoriam haberet, petiit, regisque judicio reliquit quid sibi elargiri opus esset, et quomodo servi misereretur. « Ego, Domine, ait, nil petere audeo; id unum mihi tribuatur, cum veneris in regnum tuum, cum an-

[1] Luc. XXIII, 42.

gelicus tibi præcurret exercitus, cum Justorum nubes occurrent, cum sepulcrorum sulci mortuorum manipulos metent, cum libri eorum quæ quisque gessit, aperientur; tunc memento mei, dicens: Cruci me quondam affixit Hebræorum populus, omnesque meum consortium negarunt; gallorum voces prætericrunt negantes me qui cæteris propinquiores erant: nullus mihi condolens affuit: sed quibus meum corpus comedendum dederam, procul me mactandum intuebantur. Primus inter meos Discipulos, primus fuit, qui fugeret: Petrus juramentis firmavit alienationem a me. Andreas tanquam ignavus fugæ se dedit. Andreas Petri frater, Petri erat frater natura æque ac negatione. Philippus renuntiabat meæ amicitiæ. Zebedæi filii, infidelitatis fluctibus jactati, infirmi abibant. Quem in sinu fovebam, Joannes, a meo latere transfigendo lanceam minime avertit. Thomas non aderat. Matthæus abierat. Duodecim chorus dispersus est. Ne unam quidem vocem pro me emiserunt ii, pro quibus animam meam posueram; sed neque ullus ex illis multis qui beneficiis affecti erant, mihi ad auxiliandum occurrit. Non comparuit tum mihi Lazarus, quem e morte ad vitam revocavi. Non planxit super me cæcus, cui lucis radios elargitus sum. Non cucurrit ad me claudus, qui a me ut ambularet accepit. Unus latro ligatus, et ad meam ignominiam mecum crucifixus, confitetur, et irritat Judæos, regem vocans. Quando, inquit, mei memor eris, tunc mihi elargire unam partem misericordiarum, quæ tibi sunt: ego enim, quod dabis petere non audeo: non de regio honore contendo, non pondero divitias benignitatis, non metior mare misericordiarum. »

VII. Vidisti latronis supplicationem? Vide regis donum. « Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso [1]. »

[1] Luc. XXIII, 43.

Tu tunc ut tui memoriam habeam petis ; ego nunc promissum tibi solvo. O latro, et Paradisi latro ! o maceriæ divinitus plantatæ effractor ! o delictorum remissionis fur ! o regiæ stolæ operator ! o januarum obseratarum cubicularius ! o claustris sempiternis præses ! o præcox Crucis flos ! o terræ Golgotha primus arboris fructus ! o salutarium clavorum lucrum ! o pœnitentiæ hamus ! o esca Christo ad vitam, cui gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

IN PRETIOSAM ET VIVIFICAM CRUCEM, ET IN SECUNDUM ADVENTUM, ET DE CHARITATE ET ELEEMOSYNA.

I. Omnis celebritas et actio Domini nostri Jesu Christi, salus et gloria nostra fidelium est : gloriationum autem gloria maxima est Crux : porro celebritas celebritatum, quando « pascha nostrum » pro nobis « immolatus est Christus [1], » aut potius quando ex mortuis resurrexit Christus [2], « Agnus Dei, qui tollit peccata mundi [3]. » Hæc enim domina et regina est festivitatum. Et reliquæ quidem celebritates sanctæ sunt et venerabiles et inter sese invicem in gloria differunt, quoniam cunctæ fulgore Divinitatis illustrantur. Has vero honorat et celebrat omnis Christi fidelis, cui præsertim observatio mandatorum Dei curæ est. At immundi et peccatis contaminati, etiam diebus festis atque solemnibus sunt omnis celebritatis expertes. Celebritas bona, ac Deo grata, est pœnitentia cum lacrymis et a peccatis abstinentia, Deique cognitio, atque æternorum bonorum desiderium.

[1] 1 Cor. v, 7. — [2] Marc. xvi. — [3] Joan. 1, 29.

Hæc vero cum peraguntur, tunc in cœlis gaudium, et in Ecclesia exultatio fit, quæ justos omnes convocat, dicens : « Congratulamini mihi, quoniam filius meus hic mortuus » erat in peccatis et revixit per pœnitentiam [1]. » Celebritas pulchra et Deo accepta, ubi Christus celebratur, ubi peraguntur ipsius celebritates, et honorantur divinæ Scripturæ. Concelebratur autem Christus, ubi congregati sunt in nomine ipsius in charitate, sine omni inimicitia et simulatione. Concelebratur Christus, ubi pauperes curantur, ubi orphani consolatione afficiuntur, ubi peregrini reficiuntur. Concelebratur Christus, ubi Deus in psalmis et hymnis, canticisque spiritualibus honoratur. Isti igitur in ipsius congregati sunt nomine, et in medio eorum promisit Dominus se inventum iri [2]. Beati qui hoc modo congregati sunt, nam cum Dominum in medio ipsorum habeant, nemo eis nocere poterit.

II. Sic ergo festivitates Domini honoremus, non panegyrice, sed divine; non mundane, sed spiritualiter; non vestibula ac postes ædium nostrarum coronemus; non choreas ducamus; non faciem ornemus; non tibiis et citharis auditum effœminemus; non mollibus vestibus induamur; non cingulis undique auro radiantibus cingamur; non comessationibus et ebrietatibus dediti simus; neque ob cibum, et escam opus Dei dissolvas; aut insatiabilis ventris gratia, circa culinam occupatus atque distractus, injuriam divinæ Liturgiæ inferas. Cæterum hæc omnia illis relinquamus, « quorum Deus venter est [3] », et gloria in confusione ipsorum. Nos vero parvi pariter ac magni, viri et fœminæ, monachi et moniales, christiano more pieque festa Domini honoremus, sicut edocti sumus, in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus. Coronemus portarum frontes, ut Christiani et non ut gentiles atque pagani, lauris aut

[1] Luc. xv, 6, 9, 32. — [2] Matth. xviii, 20. — [3] Philip. iii, 19.

floribus, aliisve herbarum generibus, quod quidem gentilium est et Judæorum. Umbra enim legis præteriit, et veritas exorta est, sicut audimus Apostolum dicentem, « Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova [1], » Error idolorum destructus est; mors spoliata est; inferorum captivitas revocata est, imperium erroris multorum deorum confractum est; homo liberatus est; Dominus regnavit; creatura lætatur; Crux dominatur, quam omnes adorant gentes et populi, tribus et linguæ; in qua et cum beato gloriamur Paulo, dicente : « Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi [2]. » Quamobrem depingamus et insculpamus vivificum hoc Crucis signum et in januis nostris, et in frontibus, et in oculis, et in ore, et in pectore, et in omnibus membris nostris. Hac ornemur, atque armemur invincibili Christianorum armatura; quippe quæ victrix est mortis, spes fidelium, lux finium orbis terræ, reseratrix Paradisi, destructrix hæresum, firmamentum orthodoxæ Fidei, magna fidelium custodia, salutaris Ecclesiæ gloria.

III. Hanc igitur, o Christiani, singulis horis, atque momentis circumferre omni in loco non omittatis; nihil absque ea peragamus; sed sive dormiamus, sive expergiscamur, sive operi insistamus, sive comedamus, sive bibamus, sive iter agamus, sive per mare navigemus, sive flumen trajiciamus, omnia membra nostra vivifico crucis signo communiamus ; et « nunquam timebimus a timore nocturno, a » sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, » ab incursu et dæmonio meridiano. » Hujus propugnaculo, frater, si adjutus fueris, « non accedent ad te mala et flagel» lum non appropinquabit tabernaculo tuo [3]. » Nam hoc signo conspecto, cunctæ mox adversariæ potestates perterrefactæ recedunt. Hoc signum idolorum errorem pessumdedit.

[1] 2 Cor. v, 17. — [2] Galat. vi, 14. — [3] Psal. xc, 5, 10.

Hoc orbem terrarum illuminavit. Hoc tenebras depulit, et lucem reduxit. Hoc gentes ab occasu, et borea, et mari, et oriente collegit, et in unam Ecclesiam, in unam Fidem, in unum Baptisma in charitate conjunxit. Cujusmodi ergo os, aut qualis lingua digne laudare poterit hunc orthodoxorum inexpugnabilem murum, victricem hanc magni Regis Christi armaturam?

IV. Crux, resurrectio mortuorum. Crux, spes Christianorum. Crux, claudorum baculus. Crux, pauperum consolator. Crux, frenum divitum. Crux, superborum eversio. Crux, triumphus adversus dæmones. Crux, juvenum pædagogus. Crux, inopum abundantia, desperantium spes, navigantium gubernaculum. Crux, fluctuantium portus, pugnantium murus. Crux, orphanorum pater, justorum consiliarius. Crux, afflictorum consolatio. Crux, infantium custos, virorum caput, senum corona. Crux, lumen eorum, qui in tenebris sedent. Crux, regum magnificentia, barbarorum philosophia. Crux, servorum libertas, imperitorum sapientia. Crux, Prophetarum prædicatio, Apostolorum comes, Martyrum gloriatio. Crux, virginum continentia, sacerdotum gaudium. Crux, Ecclesiæ fundamentum, orbis terrarum firmamentum. Crux, templorum idolorum destructio, Judæorum scandalum. Crux, imbecillorum fortitudo, ægrotorum medicus. Crux, leprosorum mundatio, paralyticorum erectio. Crux, esurientium panis, sitientium fons. Crux, monachorum fiducia et nudorum tegumentum. Hæc est, quæ in medio orbis terrarum defixa in loco Calvariæ, mox vitæ racemum produxit. In hac pretiosa armatura Christus voracissimum inferni disrupit ventrem, et machinabundum nimisque patulum diaboli os obstruxit. Hac conspecta, contremuit et exhorruit mors, omnesque, quos a primo homine ad illud usque tempus vinctos tenuerat, liberos dimisit. Hac crucis armatura muniti Apos-

toli, omnem inimici potentiam conculcarunt, cunctasque gentes suis sagenis ad hujus adorationem attraxerunt et congregarunt. Hac, thoracis loco, amicti milites Christi Martyres, quascumque artes et adinventiones tyrannorum superarunt et audacter atque intrepide prædicarunt. Hanc sancti bajulantes monachi, abdicato sæculo, ingenti cum gaudio in solitudinibus et montibus, speluncis et terræ cavernis sibi mansiones habitationesque elegerunt. O ineffabilem atque immensam benignissimi Dei bonitatem, qui tot, ac tanta beneficia per Crucem generi humano donavit! Gloria ipsius benignitati et adoratio, atque imperium in sæcula. Amen.

V. Audistis, charissimi et Christo dilecti, quæ et quanta sit Crucis potentia, quantæ ejus virtutes, quantaque bona. Hæc siquidem, boni instar gubernatoris, præsentem hanc vitam nostram gubernat et in pace constituit; hæc futuram quoque nobis vitam æternam conciliat. Hæc rursus pretiosa Crux, in secundo adventu Christi, prima in cœlo apparebit, tanquam pretiosum, vivificum, et venerabile, et sanctum magni Regis Christi sceptrum, secundum verbum Domini, dicentis; quod «Apparebit signum Filii Hominis in cœlo [1]». Hæc igitur prima apparebit in cœlo cum omni exercitu Angelorum, universam terram illuminans a finibus usque ad fines, super claritatem solis, et adventum Domini annuntians.

VI. Et hæc quidem de Cruce pro præsenti dicta sufficiant (4).

[1] Matth. XXIV, 30.

SERMO XIX.

DE PASSIONE SALVATORIS.

I. Eloqui pertimesco, et linguæ instrumento aggredi vereor narrationem terrore plenam de Salvatore; cum et revera magnus sit horror de passione ejus aliquid in medium proferre. Hodie namque traditus est Dominus noster in manus peccatorum. Sed quamobrem est traditus Sanctus, Dominus, et omnis peccati expers? qui enim in nullo peccaverat, traditus est hodie. Adeste et discamus quorsum Christus Salvator noster sit traditus. Propter nos impios Dominus est traditus. At quis non admiretur? quis eum non collaudet? Servis peccantibus, traditur Dominus, ut scilicet propria morte filios peccantes liberaret. Perditionis ac tenebrarum filii exierunt in tenebris ad comprehendendum solem qui in momento temporis cunctos exurere potuisset. Cæterum Dominus hanc eorum cernens audaciam, et animum iracundum, sponte seipsum omni cum mansuetudine atque benignitate in manus impiorum tradidit. Ligantesque immaculatissimum Dominum scelerati illi, illuserunt ei, qui nexibus insolubilibus ligavit fortem, et nos a peccatorum vinculis exolvit. Texuerunt ei coronam ex spinis propriis, quas vinea Judæorum fructificaverat; illudentesque ei, Regem salutabant. Conspuerunt perditi illi in Immaculatissimi faciem, ad cujus aspectum omnes cœlorum potestates, Angelorumque ordines contremiscunt. Ecce iterum cor meum dolore ac lacrymis occupatur, dum mecum contemplor quomodo, quantaque

lenitate Dominus contumelias et opprobria, verbera, sputa, atque alapas a servis sustinuerit.

II. Adeste et cognoscite miserationum ejus magnitudinem, tolerantiam, ac misericordiam dulcissimi Domini. Servum habuit utilem in Paradiso voluptatis, qui ubi peccavit, traditus est tortoribus; hunc autem animo deficientem inter tormenta videns bonus Dominus, misericordia in servum motus est, et seipsum pro eo flagellandum exhibuit. Volueram hic mihi silentium imponere, præ nimio mentis stupore, et rursus contremui, ac timui ne meo silentio repellerem gratiam Salvatoris. Dicam tamen hæc vobis cum timore : siquidem universa mihi contremiscunt ossa, dum ista penitus mecum animo complector. Creator ipse universorum Dominus noster, hodie tanquam aliquis ex reis sistitur ante Caïpham, ministrorumque unus impegit ipsi alapam. Tremor me hæc omnia cogitantem occupat. Servus sedebat et Dominus astabat; et qui iniquitatibus abundabat, sententiam adversus insontem pronuntiabat. Contremuerunt cœli; inhorruerunt fundamenta orbis terrarum; Angeli, Archangeli omnes obstupuerunt; Gabriel et Michael vultum suum alis contexerunt; Cherubim in throno, sub rota se absconderunt; Seraphim in se mutuo alas in illa hora concusserunt, quando ille impietatis ac tenebrarum minister alapam dedit Domino. Sed quomodo ipsa terræ fundamenta tulerunt illum motum suum atque tremorem in illa hora, cum tantis contumeliis afficeretur Dominus?

III. Cogito et contremisco, compungorque denuo, tantam longanimitatem optimi Domini aspiciens. Ecce enim renes mei, me loquente, tremunt, quoniam Creator, qui ex pulvere terræ hominem per gratiam finxerat, ab eodem jam pulvere formator ipse alapa cæditur. Timeamus, fratres, ne simpliciter ac leviter audiamus cuncta ista, quæ propter

nos pertulit Salvator. Dic ergo, serve miser et nequam, cur alapam impingis Domino? Omnes quidem servi, dum libertate donantur, alapam accipiunt, ut corruptibili libertate fruantur; ipse vero, o miser, injuste ipsum universorum liberatorem alapis cædis! Quid igitur a Caïpha expectasti? Numquid alapæ hujusce præmium? An ergo non audisti, aut non didicisti quod Jesus sit cœlestis Dominus? Alapam quidem omnium Domino dedisti : sed per hoc servus servorum in perpetuum effectus es, opprobrium et abominatio omnium, æterno damnatus supplicio, in igne inextinguibili.

IV. Res admiratione dignissima est, fratres, videre Christi Regis clementiam; alapa quippe a servo percussus, prudentissime cum omni mansuetudine, pietate ac reverentia respondit. Indignatur servus : tolerat Dominus. Servus ira concitatur; Dominus in sua benignitate permanet. Et quis iram animique tumultuantis perturbationem, iræ præsertim occasione oblata, reprimat? At Dominus noster hæc omnia benignitate sua sustinuit. Quis igitur, o Domine, mansuetudinem tuam poterit enarrare? Adeste hic, o charissimi Christo dilecti, qui corde compungimini, et in Salvatorem amore tangimini. Venite atque discamus quid hodie acciderit in Sion civitate David, et desiderabile atque electum semen Abraham quid egerit hodie. Immaculatum Dominum hac die morti tradidit. Christus Salvator noster hodie per manus impiorum, in ligno Crucis per summam injuriam sublatus est. Venite omnes, et lacrymis atque suspiriis nostrum corpus abluamus : quoniam Dominus noster, et Rex gloriæ in mortem propter nos impios est traditus. Si quis forte ex inopinato de morte charissimi alicujus sui amici nuntium accipiat, vel etiam repente ipsum dilectum suum ante oculos mortuum videat; mox ejus immutatur vultus, et venustas aspectus obscuratur. Sic quoque sol

lucidus ex sublimi axe cœli, contumeliam Domini pendentis in ligno cernens, immutata facie, contraxit serenitatis suæ radios, injuriam Domini contueri non sustinens, sed luctu se ac tenebris induit. Rursus Spiritus ipse sanctus, qui in Patre est, conspiciens dilectum Filium in ligno crucis pendentem, rupto mundissimo illo templi velo, quod a sursum erat usque deorsum, in specie columbæ continuo de templo exivit.

V. Omnis creatura timore ac tremore perculsa est, quando Salvator noster Rex cœlestis passus est. Nos vero peccatores, despicimus semper, propter quos et traditus est qui solus habet immortalitatem. Quin et ridemus quotidie, passionem et contumelias Salvatoris audientes. Singulis diebus delicias sectamur, omnemque curam in vestium ornatu ponimus. Sol in cœlo lucens, ob injuriam Domini splendorem suum convertit in tenebras, ut et nos qui ista videmus imitari studeamus. Dominus in cruce propter te contumeliis afficitur : ipse vero, o miser, vestium semper ornamenta sectaris. Non tibi cor tremit; non mens tua horrescit, ejusmodi audiens. Qui solus immortalis est, propter te impium morti, contumeliis et opprobriis est traditus : ipse autem vaga ac distracta mente hæc omnia excipis? Atqui decet gregem omnem, ratione utentem, assidue pastorem suum observare, ipsumque semper desiderare ac revereri, cum pro illo passus sit, licet impassibilis et immaculatus esset; et nequaquam inani ac superfluo corruptibilium vestium cultu delectari, aut etiam delicias sæculi quærere; quin omni potius exercitatione, ac vitæ sanctimonia contendendum est ut Creatori placeamus. Ne simus imitatores Judæorum, velut populus durus, incredulus, semperque bona ac beneficia Dei repellens. Deus altissimus propter Abraham et Testamentum suum, ab initio duritiem atque perfidiam tulit populi. Manna de

cœlo ad manducandum dedit eis : ipsi vero, cœlesti pane indigni, petierunt sibi allia dari, cibos pessime olentes. Ex petra rursus aquam produxit eis in deserto; verum ipsi contra pro his dederunt ei acetum, suspendentes in cruce.

VI. Annitamur, fratres, ne cum Judæis, qui Dominum creatorem suum crucifixerunt, reperiamur participes. Timeamus, semper præ oculis passionem Salvatoris habentes : ejusque cruciatus assidue meditemur. Propter nos siquidem passus est impassibilis Dominus : propter nos crucifixus est, qui solus sine peccato erat. Quid nos, fratres, pro his ei retribuemus? Attendamus ergo nobis et passiones ejus aspernari caveamus. Venite huc, cuncti Ecclesiæ filii, qui pretioso ac sancto sanguine immaculati Domini redempti estis. Venite, passiones Domini cum lacrymis atque singultibus meditemur, atque inter meditandum contremiscamus, et ad invicem dicamus : « Christus Salvator noster propter nos impios morti est traditus. » Disce atque perpende, frater, quid sit quod audis : « Deus qui sine peccato est, Filius Altissimi propter te traditus est. » Aperi cor tuum, et addisce diligenter passiones ejus, atque ita tacitus tecum loquere : « Deus, in quem cadere nequit peccatum, hodie traditus est, hodie illusus est, hodie contumeliis affectus est, hodie alapis cæsus, hodie flagellatus, hodie coronam spineam gestavit, hodie cœlestis Agnus crucifixus est. » Contremiscat cor tuum, perhorrescat anima tua. Distillent tibi jugiter lacrymæ, ex hac passionis Domini meditatione : dulcescunt namque lacrymæ hujusmodi, illuminaturque anima, passiones Christi assidue versans. Lacrymare per singulos dies, gratias agens Domino, pro tot tantisque, quæ tui solius gratia passus est; ut in die adventus ejus, sint tibi lacrymæ tuæ gloria et exaltatio coram tribunali illo tremendo. Perfer tu quoque afflictiones, memoria recolens quæ tua causa pertulit pius ac benignis-

simus Dominus. Perfer tentationes, gratias ex animo referens.

VII. Beatus sane homo, qui ob oculos semper habens cœlestem Dominum et passiones ejus, seipsum crucifixit mundo, cum universis concupiscentiis ejus, rebusque terrenis : qui factus est imitator Domini sui. Hæc prudentia, hæc cura atque affectio est bonorum famulorum, cum semper imitari student suum Dominum in operibus bonis. Contemplaris, o homo, immaculatissimum Dominum in cruce suspensum : audesque, o impudens et infelix homo, in deliciis ac risu universum vitæ tuæ tempus in terris transigere? An nescis, o miser et impudens, quod de his omnibus negligentiis atque despicientiis rationem abs te exiget, qui pro te crucifixus est Dominus? Nunc quidem hæc dum audis, negligis; in deliciis rides, et omni cura vacuus ac liber vivis : sed veniet profecto dies illa terribilis, ut sine fine lugeas, exclamesque præ doloribus tuis in igne, neque prorsus ibi erit qui respondeat, animæque tuæ misereatur.

VIII. Adoro te, Domine. Benedico te, pie. Supplico tibi, sancte. Procido tibi, hominum amator; et glorifico te, Christe, quod tu qui unigena es, universorum Dominus, solus absque peccato, pro me indignissimo peccatore in mortem es traditus, mortem autem Crucis, ut scilicet a peccatorum vinculis animam peccatoris liberares. Et quid tibi pro his omnibus retribuam, Domine? Gloria tibi, benignissime. Gloria tibi, misericordissime. Gloria tibi, patientissime. Gloria tibi, qui cunctis peccata remittis. Gloria tibi, qui descendisti ut salvares animas nostras. Gloria tibi, qui in virginis utero incarnatus es. Gloria tibi, qui vinctus es. Gloria tibi, qui flagellatus es. Gloria tibi, qui illusus es. Gloria tibi, qui crucifixus es. Gloria tibi, qui sepultus es. Gloria tibi, qui resurrexisti a mortuis. Gloria

tibi, qui prædicatus es. Gloria tibi, cui creditum est. Gloria tibi, qui in cœlum assumptus es. Gloria tibi, qui magna cum gloria ad dexteram Patris sedes, et iterum venturus es in gloria Patris, sanctorumque Angelorum ad judicandam omnem animam, quæ sanctas tuas passiones aspernata est, in hora illa formidabili atque tremenda, quando movebuntur virtutes cœlorum; quando simul venient Angeli et Archangeli, Cherubim et Seraphim, cum metu atque tremore in conspectu gloriæ tuæ; quando rursus contremiscent fundamenta terræ, et expavescet omnis spiritus præ incomparabili gloria magnæ majestatis tuæ. In illâ hora, gratia tua, obsecro, abscondat me sub alis suis : liberetur que anima mea ab igne illo horribili, stridore dentium, tenebris exterioribus et fletu sempiterno, ut dicere possim, benedicens ac gratias agens : « Gloria tibi, Domine, qui secundum multitudinem miserationum magnæ pietatis tuæ, me peccatorem salvare dignatus es. »

SERMO XX.

DE CHRISTI PASSIONE, ET RESURRECTIONE.

I. Felix, qui præsens affuit, spectavitque stupens Josephum dimicantem et vincentem, cum scilicet insanientis mulieris speciem declinavit, ipsiusque blanditias ad libidinem incitantes aurium obstructione delusit; quo factum est ut fatua mulier eum ipsum, cui pallium detraxerat, summis laudibus cumulare vel invita cogeretur.

II. Felix, qui arcam ingressus est, mutuam ibidem amicitiam contemplatus. Leo siquidem et taurus, agnus et

lupus, serpens et columba, avis et accipiter concordissime inter se et amica societate conjunctissimi vivebant. Hinc etsi propria cujusque animantis natura nullam passa fuerit immutationem, ipsorum tamen appetitio maximam variationem sensit. Benedictus, qui ligando et solvendo se omnium auctorem, conditorem et dominum esse declaravit.

III. Felix, qui ecclesias ingressus, idem consensionis vinculum fideles inter admiratur, quod fuit in arca muta inter animalia; neque ullum superbia, dissidiis, aut scissuris a gratiis Deo persolvendis abalienari videt, ita ut homines velut membra ejusdem corporis, et mulieres velut sorores, seu potius ejusdem viri conjuges appareant. Servetur, obsecro, et inter nos sancta societas, perpetuæ pacis conservatrix, illique benefico, liberali, optimo laus sempiterna statuatur, qui tot sacra mysteria in Noaci arca ad nostram utilitatem præfiguravit.

IV. Age itaque, aliqua de dominicæ resurrectionis gloria breviter proferamus. Tria sunt, quæ mense aprili, in quo nempe unigenitus Dei Filius devicta morte exurrexit, homines insolita hilaritate recreant; terra scilicet variis circumvestita floribus; aër fulgido avium colore distinctus; cœlum splendentioribus depictum radiis; idque evenit non temere, nec casu, sed virtute et consilio. Nam sicuti elementa ista in sui Creatoris funere luctum tristitiamque prætulerunt, ita decet ut in ipsius triumpho sanctissimum faustissimumque diem majori, qua fieri potest, pompa venustiorique apparatu celebrent.

V. Annus quoque omnium mensium dierumque parens, cumhoris et momentis omnibus, quæ ab ipso pendent, mortis Victorem per filium suum Aprilem adoravit, quemadmodum Rachel per Jacobum coluit Josephum, quem Dei Filium graphice exprimentem sol et luna, anni moderatores, adoraverunt.

VI. Agnus in plenilunio aprilis ægyptiacam tyrannidem subegit, Deique populum e servitute, sub qua tamdiu gemuerat, in libertatem vindicavit. Huic populo ignea columna in nocte, et nubes in die, fidæ itineris sociæ, viam indicarunt. Agnus autem veritatis in eodem plenilunio aprilis cruenta sua immolatione solem obscuravit, ut nimirum ostenderet luce omnino indignos esse, qui debitis, cum divina justitia contractis, tam nefaria et inaudita crudelitate satisfecerant.

VII. Uterque igitur paschalis Agnus longe disparem exitum habuit in Ægypto ac in Sion; in Ægypto enim, sublatis gentibus, Hebræi salutem, in Sion vero, Judæis extirpatis, gentes filiorum Dei dignitatem obtinuerunt.

VIII. In plenilunio aprilis hilaritas quædam insolens in omnium fronte renidet, ex paschalibus resultans gaudiis; nam quem luctum ob pristinam obscuritatem induerant, cum modo deponunt, exultantque inter se populi, quorum solemnitates modo sunt Deo jucundissimæ.

IX. Mense aprili Dominus Adami debitum solvit; aprili sudorem pro frustraneo ipsius Adæ sudore effudit; Crucem pertulit, ut per arborem eriperet, qui per arborem ceciderat. Agnus feria sexta immolatus occubuit, quia videlicet hac ipsa die Adam peccavit, eademque die latro oblatam sibi beatitudinem excepit. Mensem, in quo Adam prævaricatus est, aprilem fuisse probabile est; nam cum dies diei aptissime quadret, nihil obstat quominus mensem itidem mensi vicissim respondere existimemus.

S. P. N. EPHRÆM SYRI

OPERUM

CLASSIS V. — DE SANCTIS.

SERMO PRIMUS.

IN NOË, SEU DE CONTINENTIA, ET DE NON ÆMULANDIS PECCATORIBUS QUI SE TEMPORIS PRÆTEXTU EXCUSANT.

Quoniam nonnulli a maligno Dracone capiuntur errantes, quod Scripturas non intelligant, neque ad cognitionis illuminationem accedunt. Ait enim Dominus : « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei[1]. » Atqui novimus quali tempore Noë placuerit Deo, sicut scriptum est : « Videns autem Dominus Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et unusquisque cogitaret diligenter in corde suo super maligna cunctis diebus, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra[2]; » et post alia dicit: « Noë autem invenit gratiam coram Domino Deo[3]. » Rursusque ait : « Deo placuit Noë[4], » et quali in tempore placuerit designat : « Corrupta, inquit, coram Deo, et repleta est terra iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam; omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noë : Finis universæ carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate, et ecce ego disperdam eos cum terra[5]. » Cæterum justus hic, mala illa contem-

[1] Matth. xxii, 29. Marc. xii, 24. — [2] Gen. vi, 5 et 6. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Ibid. 12 et 13.

plans, peccatores quidem luxit, se autem magis in voluntate Creatoris confirmavit, unde et a divina laudatur Scriptura, de eo sic perhibente : « Noë autem vir justus, perfectus » existens in generatione sua, Deo placuit[1]. » Hinc etiam diluvio superveniente, Justus salvatus est, impii vero demersi.

SERMO II.

IN ABRAHAM ET ISAAC.

I. Mandaverat Deus justo Abraham[2] ut migraret ex cognatione sua, ac omnibus propriis; eratque inter alienigenas gravia perferens, et spem promissionis expectans. Magno experimento Patriarcha probatur, per quod et constantia ipsius in Deum demonstrata est. Multum effluxerat temporis; et juventus ei sicut flos deinceps emarcescebat, et senectus præ foribus erat. Natura propriis subjecta passionibus succumbebat, ad senectutem vergens. Extincta in eo, simul et conjuge, præ senio erat vis atque potentia generandi. Corpus utriusque succumbebat naturæ; nam juventus eorum ante consumpta fuerat; at spes in Deum vigens in eis non modo senio libera erat, sed etiam insuperabilis : quare etiam præter spem peperit Isaac, qui in cunctis typum atque figuram Domini gerebat. Non naturæ opus erat ut præmortuus conciperet uterus, et mamillæ exsiccatæ lac præberent : non erat naturæ opus ut sine viro Maria virgo conciperet, ac sine corruptione Salvatorem universorum pareret. Saram in senectute Deus ma-

[1] Gen. vi, 9. — [2] Vid. D. Guillon, tom. viii, p. 307.

trem effecit; et Mariam etiam post partum virginem reddidit.

II. Angelus in tabernaculo ad Patriarcham dixit : « Isto » jam tempore nascetur Saræ filius[1]. » Angelus autem in Bethleem dixit ad Mariam : « Ecce filium paries, gratia » plena[2]. » Risit Sara, suam considerans sterilitatem; mortificationemque cernens, verbis minus credebat : « Quomodo » fiet, inquit, istud, cum ego et Abraham inertes simus » atque inepti ad fructum producendum[3]? » Dubitabat Maria, suam respiciens virginitatem, ejusque signacula indissolubilia retinens : « Quomodo enim, inquit, istud fiet mihi, » cum virum non cognoscam[4]? » Nova quippe et inaudita erat promissio : sed qui præter spem Saræ concesserat Isaac, ipse secundum carnem ex Virgine natus est. Supra modum erant læti Abraham et Sara, nato Isaac, sicut dixerat Deus; gaudio quoque perfundebantur Maria et Joseph, ob natum Jesum, sicut dixerat Gabriel. Largiter fontes lactei ex ea, quæ ætatem excesserat, in os Isaac influebant: abundanter etiam Virginis mamillæ lac ei, qui universa pascit, subministrabant. « Quis dixisset Abrahæ » quod filium Sara in senectute lactatura esset[5]? » clamavit sterilis. Quis dixisset hominibus : « Virgo sum et partum edo, ac lacto? » dicebat Maria. Non propter Isaac risit Sara, sed propter natum ex Maria. Et sicut Joannes præ lætitia exultavit in utero : ita suo risu Sara gaudium significavit. Adolevit puer et aliorum adolescentulorum ætatem suo juvenili ætatis flore superavit. Speciosus atque decorus erat, virtutes animæ pulchritudine corporis adaugens, et in quacumque re parentibus suis jucundus. Quicumque liberos habetis, hunc imitari studete. Quam gaudet pater cernens ludentem puerum! aut potius quomodo gaudet

[1] Gen. XVIII, 10. — [2] Luc. I, 28, 31. — [3] Gen. XVIII, 12. — [4] Luc. I, 34. — [5] Gen. XXI, 7.

conspiciens puerum proficientem, studiosumque esse disciplinarum?

III. Sed dum hæc cernebat Abraham, lætabatur; interim vero gravis ipsi illata est tentatio atque probatio, ut pateret cui plus tribueret, naturæ inclinationi, an divino amori. Hujus ergo tentationis rigorem, charissimi, dum enarro, plane contremisco et obstupesco. Compellat enim rursus Abraham Deus, eumque suo vocat nomine dicens: «Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et offer » eum in holocaustum super unum montium, quem dixero » tibi [1].» Cum primum autem dixit ipsi: « Abraham, Abraham,» promptissime obtemperavit, meliorem atque utiliorem gratiæ accessionem sperans, prorsusque expectans ut vel nuptiis eum copularet, aut thalamum constabiliret, ut tandem benedictio in semine ejus multiplicetur, sicut promissum erat ipsi. Cæterum perdiscamus quæ sermoni sunt apposita: «Tolle filium tuum unigenitum, dilectum » tuum». Vides stimulos sermonis: quo pacto patrem compungat, et quomodo naturæ flammam refoveat ac sublevet; tum etiam quo pacto patris amorem erga filium excitet, unigenitum simul et charissimum eum appellans: ut hujusmodi nominibus amor in illum refluens, voluntatem tentaret: «et offer illum in holocaustum super unum mon- » tium, quem dixero tibi.»

IV. Num qua ratione affecti estis his auditis? Quomodo non hac narratione doletis quicumque patres estis, et affectionem erga filios aperte a natura didicistis? Nostis enim, nostis, inquam, quomodo pater auribus exceperit ut filium suum mactaret unigenitum. Quis non ejusmodi consternatus fuisset voce? quis non subito faciem avertisset? quis non illico ad hujusmodi mandatum resiliisset? aut mori potius, quam sermonem ejusmodi suscipere maluis-

[1] Gen. XXII, 2.

set? aut quis in eum jus naturæ non allegasset, patrocinium que sui non suscepisset, sic contra prætendens : « Cur ista imperas, o Domine? Cur hanc adeo atrocem emittis vocem? Ideo-ne patrem voluisti me facere, ut me filii repente interfectorem efficeres? Ideo dulcedinem gustare fecisti doni, ut me fabulam toti mundo redderes? Propriis-ne manibus ego meum jugulabo filium? et sanguinis affinitate dexteram contaminans, filii necator evadam? Siccine ista jubes? ita-ne talibus oblectaris sacrificiis? Mandas charissimum occidere filium a quo sperabam sepeliendam Saram? Talem-ne in ipso construam thalamum? Dic mihi. Talem nuptiis parabo lætitiam, ut in ipso accendam non lampadem sponsalitiam, non lumen risus ac gaudii, sed parentationis ignem? An-ne coronam capiti imponam? An-ne choros canentium et saltantium super his instituam? Numquid pater, sicut dixisti, ero gentium, qui ne uno quidem dignus habitus fui filio? »

V. At nihil ejusmodi contra protulit vir justus : sed obediens factus, quovis igne ardentiorem excitavit charitatem, acutioremque gladio amorem reddidit. Nam in ipso vincula præcidit naturæ : et sicut quid terrenum, molestiam condolentis animi reliquit atque deposuit, totumque se prompte et alacriter tradidit. Et mandatum quidem acceperat de mactando filio; verum ne uxori quidem hac de re quippiam dixit, neque cum ea rem communicavit, valde utiliter agens : neque enim tutum, neque utile sibi esse putavit fœminam in consilium adhibere. Nihil enim Adæ profuit, imo obfuit consilium ab Eva susceptum. Ne ergo muliebrem aliquam subiret passionem Sara, et ne, ut matrem verisimile est flentem esse facturam, vim ac sinceritatem dilectionis erga Deum infringeret, ipsam celare contendit.

VI. Quibus enim Sara lamentis non esset usa vel erga ipsum filium, vel erga ejus patrem? Quid vero non fecis-

set, si proprium aspexisset filium ad internecionem trahi? Quomodo non suis ulnis eum ante complexa, ad seipsam retraxisset? Quibus ad Abraham usa non fuisset verbis? doloreque plena lamentabiliter exclamasset? « Parce, parce naturæ : parce filio, o Abraham : parce, inquam : et noli esse vitæ improbum documentum. Unigenitus mihi primus est : ipse primus et postremus in dolore partus Isaac. Ne unicum abscindas racemum, quem simul produximus, quando jam præ senio steriles et effœti eramus; ne baculum confringas, quo sustentamur; ne nostram frangas virgam, qua interquiescimus; ne oculum excæces, quem ambo possedimus; ne nostram tollas memoriam ex orbe terrarum; ne agnum, quem habemus, velut ovem jugules; ne nostrum auferas gaudium, et luctu nos repleas. Quem in mensa post hunc videbimus? Quis nominabit matrem? quis senectutem nostram curabit? quis morientes nos obvolvet atque componet? quis corpus nostrum sepulturæ tradet? quis nostram memoriam servabit, cum deinceps filiis orbati erimus? Vides pulchritudinem juvenis, ac florem juventutis, quam etiamsi hostili animo respiceres, omnino misereberis. Hic longæ meæ precationis fructus extitit; hic successionis ramus relictus est; hic familiæ ac generis sui reliquiæ; hic senectutis baculus; hic solus desperationis nostræ spes est. Si gladium in guttur dilectissimi adacturus es, me primum interfice, maximamque mihi gratiam præstabis. Sit communis nobis tumulus, atque etiam commune monumentum; communis pulvis corpus utriusque contegat; communis mors sit sterilis, et ejus qui ex ea natus est; communis inscriptio calamitates utriusque enarret. Non aspiciat Saræ oculus Abraham occisorem filii, neque occidi Isaac patris manibus. »

VII. Hæc et ejusmodi verba dixisset Sara, si dilectissi-

mum filium neci tradendum cognovisset. Ideoque Abraham nihil talium recensuit ipsi, ut in nullo impediret opus quod præ manibus habebat. Imposuit filio struem lignorum : quoniam et Salvator suam portavit crucem. Cum Isaac ad occisionem abiret, secutus est eum asinus, ac pueri ejus : et dum Christus ad passionem venturus esset, ascendit super pullum, gentium vocationem declarans; sequebantur vero ipsum etiam Discipuli ejus, bravia tenentes, et Hosanna clamantes. Isaac ligna deferens, in montem ascendebat, ut immolaretur instar innocentis agni : et Salvator crucem portans, in Calvariæ montem exibat, ut pro nobis tanquam agnus immolaretur. Cum gladium hic contemplaris, lanceam mihi considera. Dum aram cogitas, Calvariam mihi perpende; dum lignorum congeriem cernis, crucem animadverte; dum ignem specularis, amorem ac desiderium mihi cogitatione complectere. Et dum ovem duobus hærentem cornibus in virgulto Sabec contueris, Christum Agnum Dei duabus in cruce manibus pendentem respice. Plantam Sabec, remissionem seu liberationem interpretantur; dimisit enim ac liberavit a cæde filium senis : crucem designans, quæ mundo remittit peccata eique vitam præbet. Aries in virgulto Sabec suspensus, mystice solum liberavit Isaac : at Agnus Dei in cruce suspensus, mundum a morte et ab inferno liberavit.

VIII. Avulsus est Isaac a pueris suis, cum in montem moriturus ascenderet; et Christus avulsus est a suis Discipulis, nostra causa ad internecionem venturus. Reliquit pueros Abraham justus, ne quis eorum impedimento esset a sacrificio; assumptumque Isaac, solum solus deducit, ignem, gladium, et ligna secum ferentes.

IX. Verum quid Isaac? Dulcissima voce patrem compellans : « Cedo, inquit, pater : Ecce ignis et ligna : ubi

» est ovis in holocaustum [1] ? » Rursus vox pueri acriter afficit viscera patris ; rursus alia ipsum tentatio horribilis invadit ; rursus aliud tormentum virum justum corripit non priore minus, nec minus indulgentiæ plenum. Quomodo enim non consternaretur Abraham lacrymis, non amplius patris nuncupationem expectans ? Non aliquid acerbum dicit, aut quid lugubre ac flebile eloquitur : verum intrepida mente, ac cogitatione immota, dulcissimam pueri vocem excepit, et vicissim respondet, verbaque miscet : « Deus videbit sibi ovem ad victimam holocausti, fili [2], » Aut puerum confirmans, hoc dixit Abraham, aut futurum prænuntians. Cum autem pervenissent studiose ad præstitutum locum, aram ædificat, altare parat, gladium adornat, et ignem et ligna pater apponit filio. Apprehendit deinde filium pater, et nullum natura impedimentum objicit. Tradidit seipsum patri Isaac, ut ipso quemadmodum vellet uteretur. Sed quemnam primum admirabor, aut quem cum stupore magis suspiciam ? quem primum præconiorum corona ornabo ? Eum-ne, qui manus in charissimum extendit filium, ob magnam in Deum dilectionem atque benevolentiam ; an illum, qui « ad mortem usque » patri factus est obediens [3], » cœlestemque jugulationem ab eo suscipere paratus erat ? Ille enim se ipse supra naturam sustulit atque evexit, nihil prius antiquiusque divino ducens præcepto : ille autem usque ad mortem patri se obedientem præbuit, morte pejus esse sciens tristitiam atque molestiam patri inferre.

X. Deinde Abraham, accepto filio vincto, non obtorpescit ei manus, non obstupescit mens. Quotiescumque sane pueri istius contemplatus sum imaginem, nunquam sine lacrymis præterire potui ; præsertim dum efficax picturæ artificium demulceret animum, et perspicuam huic histo-

[1] Gen. XXII, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Philip. II, 8.

riæ afferret cognitionem. Juxta altare procumbebat Isaac, coram patre in genua provolutus, ac manus retro circumactas habens, Abraham interim a tergo cubitorum curvaturam calcante. Deinde una manu comam pueri ad sese retorquens, intuetur ipsum, aspicitque faciem Isaac in eum miserabiliter respicientis, ictumque jam expectantis. Armatam autem gladio habens dexteram, intentat necem, corpus contingit, et jam gutturi acies gladii imminebat, ensemque in sua ipsius adigit viscera. Porro tunc divinitus audita vox est, quæ impetum retinebat, et opus impediebat: « Abraham, Abraham, » dicens, « ne injicias manum » tuam in Isaac : neque malum quid in filium tuum com» mittas. Nunc enim vere cognovi quod timeas Deum, et » non pepercisti dilecto filio tuo propter me [1]. » Ecce aries colligatus est in planta Sabec, accipe, et offer illum, inquit, pro Isaac, ut certior fias quod susceperim ego sacrificium tuum, ardentem videlicet voluntatem. Admirati sunt Angeli, Principatus, et Potestates, Throni, Dominationes, omnesque exercitus : obstupuerunt cœli, sol, et luna, et astrorum chori, super re adeo admirabili atque stupenda. Deus porro sola contentus fuit voluntate fidelissimi revera sanctique Abraham, et dixit ad eum : « Bene» dicens benedicam, et multiplicans multiplicabo semen » tuum super terram, sicut astra cœli, » quia prompte obe» disti voci meæ, et studiose curasti adimplere mandatum » meum [2]. » Deditque ex rupe ovem Deus pro puerulo, ad perficiendum sacrificium.

XI. Non enim gaudet Deus occisis victimis, quæ cultro et fumo offeruntur ipsi ; sed hostiam requirit a nobis, « vi» ventem, sanctam, beneplacentem, ac rationabile obse» quium, » quemadmodum cunctos aperte admonet Apostolus, sciens quid Deo acceptum sit. Neque enim Deus

[1] Gen. XXII, 11, 12. — [2] Ibid. 17. — [3] Rom. XII, 1.

volens pueri interfectorem efficere Abraham, jubebat ut filium offerret; verum ut cunctis habitatoribus terræ ostenderet quod vehementer Abraham diligeret Deum : quia propter eum non pepercit Isaac, licet illum unigenitum parvulum duntaxat haberet. Ideoque mysterium Deus magnum et admirabile ostendit Abrahæ : nam per sacrificium istud sacerdos factus est, et in figura prophetam ipsum fecit; indicavitque ei Deus altissimus quod et ipse filium suum unigenitum pro mundo daturus esset, ut ab erroribus genus salvet humanum Deus homo factus. Illud quippe significabat, cum ovem e Sabec pro Isaac dedit, ut offerretur in sacrificium. Nam cum futuri essent homines increduli, qui fidem non præberent partui Virginis sanctissimæ, qua ratione potuerit sine virili contactu filium concipere, quasi fieri non posset; idcirco ex rupe arietem produxit, ut quod admirabile erat, ex hoc fidem acciperet; et quod quidquid voluntate ipsius divinitatis imperatur, subsistit protinus. Sicut ergo ibi solo verbo ovis in rerum naturam prodiit; ita et in « Virgine Verbum caro factum » est[1]. » Et quemadmodum ovis in planta ligata hærebat : sic etiam Unigenitus in cruce clavis confixus pendebat. Propterea clamat Isaïas, dicens : « Sicut ovis ad occisionem » ductus est, sine voce[2]. » Rursus autem Dominus dicebat ad Judæos : « Desiderabat Abraham videre diem meum et » vidit, et gavisus est[3] : » diem scilicet passionis in figura Isaac, super montem sanctum. Benedictus Deus, qui cuncta nobis ad salutem præfigurat in Scripturis sanctis, veniensque sermones implevit Prophetarum, et in majestate ad suum ascendit Patrem : ut omni in loco adoremus Patrem cum Filio et Spiritu sancto, in sæcula. Amen.

[1] Joan. I, 14. — [2] Isaï. LIII, 7. — [3] Joan. VIII, 56.

SERMO III.

IN LOTH, ET DE SECURITATE.

I. Cum homines voluptatibus dediti, cor suum in omni avaritia exercitatum habeant, oculosque adulterii et incessabilis delicti plenos; cum ipsi servi sint corruptionis, ejusmodi usurpant, dicuntque : « Non etenim nos soli cupiditatibus hisce subjecti sumus : ad multos res ea pertinet, non solum ad inglorios, sed et gloria conspicuos : » quo supposito, ipsi se excusatos existimant. Cæterum nos timeamus eum, qui secundum uniuscujusque judicat opus. Oportet enim nos, ubi hinc excesserimus, de omnibus, quæ gesserimus in vita, judicari. Ecce et dies quoque nostri, instar umbræ meridianæ, currunt. Habentes ergo pro scopo vitam Sanctorum, eo scapham nostram dirigamus oportet, ut cum ad tranquillum appulerimus portum, sempiterne fruamur vita incorruptibili. Tales enim sermones hominum sunt « mente corruptorum, et reproborum circa » fidem : sed ultra non proficient [1]. » Quocirca divinam audiamus Scripturam, quæ sic habet : « Num celare potero » Abraham puerum meum, quæ ego faciam ? Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccata » eorum magna valde nimis [2]. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham, et Abraham reversus » est in locum suum [3]. Veneruntque duo Angeli Sodomam » vesperi, et suscepit eos Loth [4]. Et viri civitatis Sodomitæ » circumdederunt domum a puero usque ad senem omnis po-

[1] 2 Tim. III, 8, 9.— [2] Gen. XVIII, 20. — [3] Ibid. 33.— [4] Id. XIX, 1.

» pulus simul[1] : Evocaveruntque Loth, et dixerunt ei : Ubi » sunt viri, qui introierunt ad te nocte ? Educ illos ad nos » ut cognoscamus eos[2]. » Cæterum justus eorum videns multitudinem, animo nequaquam perterrefactus est, neque illos ut advenas et peregrinos tradidit in manus impiorum, adversus ipsum canum instar allatrantium : quin et mortem sibi potius ab illis inferri optavit in foribus suis, quam ipsorum communicare iniquitati. Hinc quoque fidei thorace amictus, pietatis se propugnatorem præbuit : illi vero perversa consuetudine depravati, vim faciebant Loth vehementissime , « jamque prope erat ut effringerent fores. » Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Loth » in domum, clauseruntque ostium : et eos qui foris erant » percusserunt cæcitate, a minimo usque ad maximum, ita » ut ostium invenire non possent[3]. » Quis ergo dixerit in abominando hoc opere nullum subfuisse peccatum ? Quod si pro nihilo illud reputaverimus, injustitiæ Deum ipsum arguimus, tanquam qui pro re nihili civitates Sodomorum subverterit. Ipsa ergo veritate persuasi, nos ipsos ab omni peccato, maxime vero ab immunda et execranda hac concupiscentia, conservemus oportet.

II. Dixerunt autem viri ad Loth : « Habes hic quempiam » tuorum ? generum aut filium, aut filias, omnes qui tui » sunt, educ de urbe hac : delebimus enim locum istum, » eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit » nos, ut perdamus illos. Egressus itaque Loth locutus est » ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit : » Surgite et egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. » Cumque mane esset, cogebant eum Angeli : Surge, tolle » uxorem tuam, et duas filias quas habes, et egredere, ne » et tu pariter pereas in scelere civitatis. Et apprehende-

1 Gen. XIX, 4. — 2 Ibid. 5. — 3 Ibid. 9 et seqq.

» runt Angeli manum ejus, et manum uxoris ejus, et ma-
» num duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus
» illi. Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem.
» Ibique locuti sunt ad eum dicentes : Salva animam tuam,
» et noli respicere post tergum, nec stes in omni circa re-
» gione : sed in monte salvum te fac, ne tu simul pereas[1]. »
Qui cum deposceret civitatem Segor, ut ad eam sibi lice-
ret fugere et in ea salvari, ecce etiam in hoc susceptæ
sunt preces ejus et Loth ingressus est Segor. Ait enim :
« Ecce faciem tuam suspexi super verbo isto, ut non sub-
» vertam urbem pro qua locutus es. Festina igitur, et sal-
» vare ibi : quia non potero facere quidquam, donec ingre-
» diaris illuc [2]. »

III. Vides Dei benignitatem in servos suos? Vides vis-
cera misericordiæ ipsius? Vides quoque vim et efficaciam
orationis Justi: « Non enim potero, » inquit, « facere quidquam
» donec ingrediaris illuc. » Sententia contra libidinosos pro-
lata erat. Ignis ad distillandum super civitates ipsorum erat
paratus. Angeli nutum exequendi mandatum Domini sui
expectabant. Creator supercœlestibus virtutibus jussit ut
tantisper intentatas contineant minas, donec ex medio
ipsarum Justus salvetur. Sed numquid et chorus Angelo-
rum ad hanc tantam amatoris hominum longanimitatem
contremuit ? Et quis non perhorrescat justum hunc judi-
cem ? Quis non amet tam dulcem Dominum ? « Ut enim
» miseretur pater filiorum, miserebitur Dominus timen-
» tium se[3]. »

IV. At qui subsannabant Justum, repente consumpti
sunt : non enim morem gesserunt admonitionibus Justi.
Videbant enim illi solem consueto et ordinario suo cursu
utentem, lunamque proprio ordine constitutam, aërem se-
renum, et terram viridem. Non fulgura, non tonitrua erant,

[1] Gen. XIX, 12 et seqq. — [2] Ibid. 21, 22. — [3] Psal. CII, 13.

nullus terræ motus apparuerat: sed dum in omni tranquillitate et securitate sibi videbantur felicissimi, tunc repentinus eis supervenit interitus, uti scriptum est; « Sicut factum » est in diebus Loth : edebant et bibebant, emebant et » vendebant, plantabant et ædificabant. Qua die autem exiit » Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes » perdidit [1]. » Post Justi enim ab iis recessum, omnipotens manus super eas de cœlo pluit ignem et sulphur, et perdidit omnes. Quemadmodum enim civitas munita, subversis muris, facile capitur, eumdem in modum et hi, præsidio orationum justi hujus destituti, pariter omnes deleti sunt. Idcirco, charissimi, timeamus Dominum Deum patrum nostrorum et universæ carnis, ut et nos secundum suam clementiam protegat in die iræ. Siquidem scriptum habemus : « Hæc in figura contingebant illis : scripta sunt » autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum » devenerunt. [2] » Submittamus ergo fortiter sensus nostros divinæ voluntati propter insidiatores vitæ nostræ. Quoniam in lapsu ac ruina nostra deambulamus, et in medio laqueorum multorum incedimus. Sed si nos ipsos crediderimus ac commiserimus Domino, salvabimur per ipsum ab ira ventura.

[1] Luc. XVII, 28. — [2] 1 Cor. X, 11.

SERMO IV.

IN PULCHERRIMUM JOSEPH.

I. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus benedicte, qui elegisti semen sanctum servorum tuorum diligentium te, largire clementissime ut scaturiant in me gratiæ tuæ fluenta largissima, quo digne possim præclarum ac maximum commemorare spectaculum pulcherrimi Joseph, qui semper baculus fuit, cui inniteretur patriarchæ Jacob veneranda et profunda senectus. Hic enim, hic puer a prima statim ætate duplicem Christi descripsit adventum; primum quidem, quando ex virgine Maria prodiit; secundum vero, quando iterum venturus est, ut pavore concutiat universa. Proinde nunc, charissimi a Christo dilecti, constantes et alacres animo simus, ut citra ullam mentis distractionem tam grandia honestissimi pueri facta audire atque inspicere possimus. Equidem, fratres mei, hunc adolescentulum non solum honestissimum dixerim, sed omni dignissimum admiratione, pudicitiæ fontem, victorem præstantissimum, trophæumque admirabile. Quapropter vel maxime typus atque figura futuri illius Domini adventus fuit. Depellat igitur unusquisque ex proprio animo omnem rerum terrenarum curam, et cum amore atque desiderio dulcia laudis cantica suscipiat: sunt enim illa spiritualia, quæ animam lætificant. Nam sicut Dominus ad nos de sinu Patris, ut nos omnes salvaret, missus est: ita et puer Joseph ex sinu patris Jacob ad proprios revisendos fratres ablegatus est. Et quemadmodum sævi fratres illi simul atque ipsum Joseph conspexerunt appropinquantem,

cœperunt adversus eum excogitare nequitiam, cum tamen ipse pacem a patre eis deferret : sic quoque Judæi, duro semper corde cum essent, mox ut Salvatorem viderunt, dicebant: « Hic est revera hæres, occidamus eum, et nostra erunt » omnia [1]. » Et sicut fratres Joseph aiebant : « Interficia» mus eum, et liberabimur a somniis ipsius [2] : » ita et Judæi dicebant : « Venite, occidamus eum, et habebimus hæ» reditatem ejus [3]. » Fratres Joseph comedentes simul, vendiderunt eum, quem proposito ac voluntate jugulaverant : eodem quoque modo execrabiles Judæi pascha manducantes, Salvatorem occiderunt.

II. Descensus Joseph in Ægyptum, Salvatoris nostri designat descensum super terram. Et quemadmodum Joseph, intra thalamum inclusus, omnem peccati vim proculcavit, ac præclaras adversus Ægyptiam dominam suam victoriæ coronas retulit : sic et Dominus ac Salvator animarum nostrarum, ad infernum descendens, omnem illic atrocissimi invictique tyranni potentiam dextera sua stravit atque destruxit. Quoniam Joseph superaverat peccatum, in carcere conclusus detinetur, donec tempus percipiendæ coronæ adveniret : ita et Dominus noster, ut omnia mundi peccata tolleret, in monumento reponitur. Joseph biennii tempus in carcere transegit, magna ibi cum animi tranquillitate atque securitate versatus : Dominus autem noster triduum in inferno mansit ut potens, et nulli corruptioni obnoxius. Joseph ex carcere jussu Pharaonis placide educitur, tanquam verus typus, et facilis fidelisque somniorum interpres, ac futuræ frugum ubertatis vaticinator: at Dominus noster Jesus Christus propria virtute ex mortuis resurrexit, direptisque inferni spoliis, nostram Patri suo reconciliationem offerebat, resurrectionem et vitam æternam prædicans. Joseph accepta potestate super om-

[1] Matth. XXI, 38. — [2] Gen. XXXVII, 20. — [3] Matth. XXI, 38.

nem Ægyptum, in curru Pharaonis sedebat: Salvator vero noster, et Rex ante sæcula, in nube lucida in cœlum ascendens, sedet ad dexteram Patris cum majestate ac gloria supra Cherubim, ut Filius unigenitus.

III. Cum autem in Ægypto jam regnaret Joseph, accepta auctoritate ac potestate super omnem Ægyptum, adducuntur sponte fratres ipsius coram tribunali ac solio ejus, quem morti addixerant; ingrediunturque cum timore ac tremore, ut adorent in conspectu ejus, qui in mortem venditus ab iis fuerat; prociduntque tremebundi ante Joseph, quem regnare super ipsos noluerant: agnitis autem Joseph fratribus suis, uno verbo suo illos homicidas demonstravit: quod illi percipientes, attoniti ac timore perculsi, planeque confusi steterunt, loqui non audentes, neque prorsus quidquam, quod in excusationem proferrent, habentes, sed aperte peccatum suum recognoscentes in illa hora admissum, qua eum vendiderunt: at qui ab eis putabatur neci traditus apud inferos, repente super ipsos regnavit. Ita et in die illa tremenda, quando venerit Dominus in nubibus aëris sedens super thronum regni sui, adducentur vincti ab Angelis illis horribilibus coram ipsius tribunali omnes inimici ejus, quicumque ipsum regnare super se noluerunt. Putarant enim tunc impii Judæi illum, si crucifixus esset, tanquam hominem fore moriturum, non credentes neque intelligentes miseri ipsum esse Deum, qui ob salutem generis humani, ut nostras salvaret animas, advenerat. Sicut Joseph libere ac palam dicebat fratribus suis, perterrefaciens atque pudore suffundens eos: « Ego sum Joseph, quem » vos in servitutem tradidistis [1]: » ecce nunc regno, etiam vobis nolentibus: ita quoque Dominus crucem suam in forma resplendente ostendet crucifixoribus suis, agnoscentque ipsam crucem, et Filium Dei ab ipsis crucifixum. Cernitis

[1] Gen. XLV, 4.

quam accurate Joseph veram Domini sui figuram in se expresserit?

IV. Quoniam vero ab ipsa pueritia effloruit in eo virtus, consulto hinc initium ducentes, pergemus deinceps gesta atque virtutes sancti illius pueri enarrare. Hic quippe beatus per decem et septem annorum tempus versatus est in domo paterna, proficiens quotidie in timore Dei, in bono vitæ statu, et in reverentia atque honore parentum. Cum autem indecentia quædam in fratribus suis animadverteret, aliqua ex his breviter suo patri renuntiavit : revera enim virtus ab iniquitate semper dissentit, neque cum illa convenire potest. Hujus rei gratia illi oderant Joseph, quod ab eorum nequitia alienus esset. Cum autem virtuti puer sedulo operam daret, cernebat in somnis, quæ ex dispositione summi Dei in se ventura erant. At pater Jacob ignorans occultam illorum simultatem ac odium adversus Joseph, simplici animo diligebat Joseph ob virtutis florem a juvenili ætate semper in ipso resplendentem. Pascentibus porro illis oves in Sichem, accidit Joseph versari cum patre domi. Pater autem Jacob, velut pater indulgens, et de filiis in Sichem absentibus sollicitus, aiebat ad Joseph : « Veni, fili, vade ad fratres tuos, et diligenter de eorum vale- » tudine, pariter et de gregibus inquire, citoque huc rever- » tens, de omnibus renuntia mihi[1]. » Joseph autem accepto patris mandato, gaudens pergebat ad fratres suos, pacem ex persona patris ipsis deferens, simul et sollicitudinem, quam de ipsis habebat. Profectus igitur oberrabat in via, non inventis fratribus suis, eorumque pastoribus. Cum autem propter eos tristis atque suspirans ambularet, incidit in eum homo, viamque ostendit, quæ ducebat ad fratres. Quos dum jam procul conspexit Joseph, lætior ad eos properabat, omnes amplecti magno amore desiderans. At illi,

[1] Gen. XXXVII, 14.

simul atque eum appropinquantem viderunt, quasi feroces atque immanes bestiæ, de interficiendo ipso deliberare cœperunt. Pergebat igitur Joseph tanquam agnus innocens, discerpendus manibus sævissimorum luporum. Ubi vero ad eos jam accessit, blande atque benigne illos salutavit, pacem eis ex persona patris deferens. Illi autem e vestigio, ferarum instar insurgentes, tunica illum variegata, qua erat indutus, exuerunt, singulique dentibus in eum stridebant, vivum devorare cupientes : trucesque atque immites, ut odio suo satisfacerent, castum ac sanctum illum puerum præ insania variis verberibus exceperunt.

V. Considerans autem Joseph in tantis se constitutum malis, (nullus enim plane erat, qui illius misereretur,) ad preces se et lacrymas atque suspiria convertit; extollensque vocem suam, rogabat eos, dicens ; « Quorsum sic irascimini ? Obsecro vos cunctos, sustinete me modicum, dum orem ac deprecer, fratres mei. Mater mea mortua est, et pater Jacob huc usque quotidie luget illam : et alium afferre luctum patri nostro vultis, priore adhuc durante, et necdum cessante ? Obsecro vos omnes, sustinete me modicum, ne a patre Jacob separer, ne senectus ipsius cum dolore ad infernum descendat. Adjuro vos omnes per Deum patrum nostrorum, Abraham, Isaac, et Jacob, qui ab initio vocavit Abraham, et dixit illi : « Egredere de terra » tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui ; et veni » in terram, quam ego ostendam et donabo tibi : et multi» plicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam in» numerabilem, quæ est in littore maris [1] ; » per Deum altissimum, qui Abrahæ tolerantiam concessit prompte in sacrificium offerendi unigenitum filium suum Isaac, ut reputaretur Abrahæ patientia illa in gloriam ; per Deum, qui eripuit Isaac de morte, deditque arietem pro ipso in holo-

[1] Gen. XII, 1.

caustum acceptabile; per Deum sanctum, qui benedictionem dedit Jacob ex ore Isaac patris sui [1]; per Deum, qui cum Jacob descendit in Charran in Mesopotamiam, unde exierat Abraham [2]; per Deum, qui eruit Jacob ex tribulatione, dixitque se largiturum illi benedictionem [3]: ne destituar patre Jacob, sicut ipse Rachele orbatus sum : nec me ita ille lugeat, ut luxit Rachelem : neque rursus caligine obducantur oculi Jacob, qui meum ad se reditum expectat. Dimittite me ad Jacob patrem meum : suscipite lacrymas meas, et me ei restituite. »

VI. Ista ipso per Deum patrum adjurante, subito truculentæ illæ belluæ in lacum conjecerunt eum [4], nec Deum timentes, neque ejus adjurationem reverentes, etsi ipse singulorum eorum deoscularetur vestigia, fratrumque pedes suis affatim rigaret lacrymis, clamans et dicens : « Fratres, miseremini mei. » Conjectus jam autem Joseph in lacum solitudinis, amarissimis lacrymis, miserabilibusque suspiriis atque lamentis deplangebat seipsum et Jacob patrem : illacrymansque cum inenarrabilibus dicebat gemitibus : « Intuere, pater Jacob, quæ tuo acciderunt filio, quia ecce in lacum immissus sum tanquam mortuus. En ipse meum ad te præstolaris reditum, pater, et nunc in lacu ego velut homicida aliquis jaceo. Ipse mihi dixisti, pater; vade visitatum fratres tuos cum pastoribus et quam citissime ad me revertere ; et ecce ipsi quasi crudelissimi lupi effecti sunt, et cum rabie me abs te separarunt, optime pater. Non amplius enim faciem meam videbis, neque vocem meam audies, neque ultra super me tua innitetur senectus : neque jam ego vicissim sanctam canitiem tuam aspiciam, quoniam mortuo sepulto non est melior nunc mea conditio. Plange, pater, filium tuum, et te vicissim filius defleat, quoniam sic puer separatus sum a facie tua. Quis mihi dabit

[1] Gen. XXVII, 27. — [2] Ibid. 43. — [3] Id. XXXII. — [4] Id. XXXVII, 24.

lingua atque sermone loquentem columbam, ut hinc profecta senectuti tuæ meum planctum annuntiet? Defecerunt, pater, et lacrymæ et gemitus, voxque ipsa mea plane clanguit, nec est qui auxilietur. O terra, o terra, quæ exclamasti ad Deum sanctum pro Abel justo injuste occiso[1], sicut a majoribus nostris ac patribus traditum accepimus, quod nimirum terra ad Deum clamaverit propter sanguinem justi; ipsa etiam modo clama ad Jacob patrem meum, clare atque aperte illi indicans, quæ a fratribus mihi evenerunt.»

VII. Ut vero feroces illi in lacum injecerunt Joseph, sederunt, ut comederent ovantes, ac biberent. Et sicut exultare solet victor, superatis atque fugatis hostibus : ita quoque illi magno cordis sui gaudio discubuerunt. Dum igitur læti ac hilares simul comederent et biberent, repente sublatis oculis, conspexerunt adventantes negotiatores Ismaëlitas[2], qui pergebant in Ægyptum, camelos habentes, qui ferebant aromata, dixeruntque ad invicem ; « Multo nobis melius fuerit venundare Joseph peregrinis negotiatoribus istis, ut hinc profectus in terra ac regione moriatur aliena, nec sit manus nostra super fratrem nostrum. » Extraxeruntque e lacu fratrem suum, quasi immanes ac feræ bestiæ; acceptoque pretio ejus, vendiderunt ipsum mercatoribus, haud patris sui memores, cui curam doloremque augebant.

VIII. Mercatoribus autem illis iter facientibus, accidit ut inciderent in via in locum Hippodromi, ubi sepultura est Rachel : illic enim mortua erat in via Hippodromi, cum rediret Jacob ex Mesopotamia. Postquam autem vidit Joseph sepulcrum Rachel matris suæ, accurrens cecidit supra monumentum; extollensque vocem suam, cum ejulatu in lacrymas prorupit, et in amaritudine animæ suæ

[1] Gen. IV, 10. — [2] Id. XXXVII, 14 et seqq.

exclamavit, sic dicens : « O Rachel, Rachel mater mea, exurge de pulvere et intuere Joseph, quem amasti, quid ei contigerit. Ecce ipse sic captivus abducitur in Ægyptum, tanquam maleficus, in manus alienorum traditus. Fratres mei nudatum me vendiderunt in servitutem, et Jacob quomodo proditus ego sim ignorat. Aperi mihi, mater mea, et in sepulcro tuo me suscipe. Tumulus hic tuus fiat unus mihi et tibi lectus. Suscipe, Rachel, filium tuum, ne violenta nece pereat. Suscipe me, mater, qui ita repente patre Jacob destitutus sum, sicut et te a pueritia sum orbatus. Audi, mater mea, cordis mei gemitum, et me in tuo tecum monumento suscipe. Non enim amplius sustinent mei oculi tot lacrymas, neque anima mea ejusmodi ululatibus sufficit atque gemitibus. O Rachel, Rachel, non jam audis vocem filii tui Joseph. Ecce violenter abripior, et non vis me suscipere. Jacob vocavi et vocem meam non audivit, en rursus etiam te voco et nec tu quidem vocem meam audis? Hic, hic supra sepulcrum tuum jam moriar, ne tanquam malefactor in regionem abducar alienam. »

IX. Ubi vero cuncti pariter conspexerunt viri Ismaëlitæ, qui acceperant Joseph, eum sic cucurrisse, et in faciem super tumulum matris suæ Rachel corruisse, aiebant ad invicem : « Adolescens hic præstigias artis magicæ in nos vult exercere, ut a nobis profugere possit, nobisque insciis evanescere. Quare comprehendamus eum, et firmiter eum ligemus, ne cunctis nobis per incantationes suas visum præstringat. » Accedentes igitur ad ipsum, velut fremebundi dixerunt : « Surge modo, et tuis nos præstigiis incantare desine, ne te supra monumentum hoc percutientes, auri quod pro te numeravimus, detrimentum patiamur. » Ubi autem surrexit, conspexerunt omnes faciem ejus præ amaritudine fletus inflammatam : et cœperunt singuli interrogare illum blande, ac dicere : « Cur adeo fles et lacrymis

mades? gravi quippe mœrore angeris, ex quo sepulcrum istud, cum esses in via Hippodromi hujus, vidisti. Confidenter itaque, omni deposito timore, nobis edicito quod sit opus atque officium tuum, et quamobrem sis venditus. Pastores enim illi, quando te vendebant, sic nobis dicebant: « Caute tenete ac observate illum, ne forte effugiat manus vestras in via, insontes nos sumus, prædiximus enim vobis. » Expone igitur nobis accurate, cujusnam servus sis; illorumne pastorum, an alterius alicujus viri liberi? et causam nobis indica cur tanto cum affectu supra monumentum istud corruisti; nos quippe te emimus et domini tui sumus. Cuncta nobis tua recense. Nam si ea nobis occultaveris, cui indicare voles? et nostri juris cum sis, diffugere tentas, obtorpescentibus ac negligentibus nobis, sicut et pastores illi prædixerunt. Verum bono sis animo, et dic nobis aperte quod tuum est opus: appares enim nobis liber: et ideo non te utemur ut servo, sed tanquam fratre, et filio charissimo. Summam siquidem in te cernimus ingenuitatem et in conditione bona ac honesta magnam disciplinam atque scientiam, dignusque revera es, o juvenis, qui etiam regi astes, et cum magnatibus honoreris. Hic quippe decor tuus ac pulchritudo te et ab honestate magna nobis commendat, et brevi in summa te auctoritate atque honore constituet, erisque noster amicus et familiaris illic, quo te nunc deducimus, ut gaudere possis atque lætari. Quis enim ejusmodi non desideret puerum adeo oculorum venustate insignem, et morum ingenuitate atque sapientia præstantem? »

X. Respondens autem Joseph, inter gemitus atque suspiria dixit eis: « Neque servus unquam fui, neque præstigiator vel incantator; neque etiam tanquam sceleri alicui obnoxius, in vestris sum venundatus manibus: sed filius dilectus meo fui patri, similiterque matri longe charissimus.

Cæterum pastores illi fratres mei sunt; misitque me pater ad videndum eos, et cognoscendum ut se haberent, velut indúlgentissimus pater et de iis haud parum sollicitus: paulo enim diutius inter montes morati erant, cujus rei gratia me ad videndum ipsos pater miserat. Illi vero gravi contra me invidia concitati, me arreptum vendiderunt vobis in servitutem, abstractum ac separatum a patre, non ferentes tantam patris in me affectionem atque amorem. Sepulcrum porro istud matris meæ est: cum enim ex Charran migraret pater meus, ut pergeret in locum, quem modo inhabitat, hac transivit; et in suo huc adventu, defuncta est hic mater mea, et in hoc tumulo, quem vos videtis, sepulta jacet.»

XI. Quod cum illi audissent, illacrymati sunt, vicem illius dolentes, et sic ad eum dixerunt: «Noli timere, adolescens, ad summum enim honorem provehendus jam pergis in Ægyptum. Tua quippe effigies ingenuitatis tuæ nobis indicium est. Imo nunc alacriore esto animo, fratrum invidia odioque liberatus, qui te nobis vendiderunt.»

XII. Porro fratres Joseph postquam illum vendiderunt[1], allato hædo, eoque expedite mactato, Joseph sancti tunicam sanguine ejus contaminantes, confestim patri suo miserunt, dicentes: «Hanc nos vestem in montibus projectam reperimus, statimque illam Joseph fratris nostri esse vestem cognovimus, cujus causa omnes magno dolore affecti sumus. Quapropter eam ad te, pater, misimus tunicam Joseph variam, cum fratrem nostrum minime repererimus. Agnosce igitur et ipse num filii hæc tui sit: omnibus quippe nobis visum est eam esse Joseph.»

XIII. Ut autem conspexit Jacob tunicam, magno cum gemitu planctuque amarissimo exclamavit, dicens: «Filii » mei Joseph hæc est tunica: fera pessima devoravit »

[1] Gen. XXXVII, 31.

filium meum [1]. Ejulansque inter luctus intolerabilesque gemitus dicebat : « Cur non potius ego loco tuo devoratus sum, fili ? Cur non protinus mihi occurrit illa fera, et ex me satiata, te illæsum reliquisset, mi fili? Cur non me potius discerpsit ac dilaniavit illa bellua, cibusque illi ad satietatem non sum factus? Hei mihi ! hei mihi! dilacerantur viscera mea propter Joseph. Hei mihi ! hei mihi ! ubinam meus trucidatus est filius, ut illuc profectus, canos meos super decorem ac pulchritudinem ejus evellam? vita enim mihi gravis est, dum amplius Joseph non conspicio. Ego tuæ mortis auctor et causa sum, fili. Ego sum, qui lucidos tuos excæcavi oculos. Ego, fili, te neci tradidi, dum te in solitudinem ad videndum fratres tuos cum pastoribus ablegavi. Plangam igitur deinceps, fili mi, et lugebo omni hora, donec in infernum descendam ad te, fili mi : et pro tuo corpore, tunicam tuam, Joseph, mihi ante oculos ponam, lacrymasque effundam sine intermissione. Ecce rursus in alium magnum luctum atque dolorem tunica tua me conjicit, mi fili, cum adhuc sit integra. Itaque non te, ut puto, devoravit fera, dilectissime fili; verum humanis potius manibus et exutus et necatus es. Nam si, ut tui affirmant fratres, a bestia absorptus esses, vestis utique tua in partes discissa fuisset : neque enim fera ut prius exuereris expectasset, ac tunc demum tuis exsatiaretur carnibus ; rursumque si prius exuisset, ac postea devorasset, minime fœdata sanguine tunica tua esset. Non unguium apparent scissuræ in tunica, non dentium bestiæ in ea sunt ulla vestigia. Unde igitur sanguis? At si rursum fera, quæ comedit Joseph, ita sola fuit, quomodo hæc omnia peragere potuit? Hic igitur mihi desolato vel solus remanet luctus ac dolor, ut Joseph deplangam, et tunicam ipsius deplorem. Duo hi luctus, et duo gemitus, acer-

[1] Gen. xxxvii, 33.

bissimique ploratus, Joseph scilicet, ac tunicæ. Quo pacto enim ipse illa exutus est? Moriar potius, Joseph, mea lux, ac firmamentum, tuaque mecum tunica nunc ad infernum usque descendat: neque enim jam lucem absque te intueri volo, fili mi Joseph. Deficiat anima mea cum tua anima, Joseph fili mi.

XIV. Cæterum Ismaëlitæ assumentes Joseph, magno cum studio deduxerunt in Ægyptum, arbitrantes se, ob insignem adolescentis pulchritudinem, magnam vim pecuniarum a quovis ex primatibus consecuturos. Ipsis autem per medium civitatis prætereuntibus, ecce illis Pentephres quamprimum occurrit, visoque Joseph, sciscitatus est dicens: «Dicite jam mihi, negotiatores, cujus est hic adolescens, non enim vobis est similis: omnes siquidem vos Ismaëlitæ estis, hic vero formæ elegantia antecellit[1].» Qui responderunt nobilissimum plane illum esse, et scientia atque prudentia plenum puerum. Dato igitur illis pretio, quantum ipsi voluerant, coëmit ab eis Joseph. Cumque introduxisset eum in domum suam, percontabatur quænam ejus fuisset educatio atque conversatio. At ille a sancto semine justi Abraham et Isaac, et Jacob haudquaquam degenerans, proficiebat virtute, et optimo vitæ instituto in domo Pentephres, ac de die in diem pudicitiæ gradum magis magisque aspectu ac verbo tuebatur, habens assidue ante oculos suos Deum sanctum, cuncta superne intuentem, Deum patrum suorum, qui ipsum ex lacu et morte, ac fratrum insidiis odioque eripuerat. Verumtamen cor ipsius continenter mœrebat atque dolebat ob sanctum patrem suum Jacob.

XV. Cernens vero Pentephres conditionem juvenis, magnamque prudentiam, atque probitatem ejus, omnia quæ possidebat, per manus pulcherrimi Joseph, tanquam

[1] Gen. XXXVII.

veri sui filii, tradebat : planeque ignorabat quid faceret Joseph in cunctis rebus suis, ne verbo quidem tenus; solum autem sciebat panem, quem constituto tempore comedebat. Noverat quippe fidelissimum esse Joseph; eoque magis quod expertus esset rem suam cunctamque substantiam in dies sub illius manibus augeri : gaudioque magno afficiebantur servi et ancillæ in cunctis bonis, quæ ab ipso quotidie fiebant.

XVI. Porro domina ipsius cum aspexisset Joseph eximia pulchritudine atque disciplina ornatum, vulnerata est amore et furore satanico, vehementique cupidine dormire cum eo optabat; honestissimumque illum adolescentem ac pudicitiæ fontem in lasciviæ atque impudicitiæ foveam impellere nitebatur, infinitas artes diversaque ornamenta indesinenter excogitans, quibus illum decipere posset : singulisque horis vestimentum mutabat, et faciem stibio fucisque variis pingebat, et crinibus aurum intertexebat, nutibusque satanicis ac subrisionibus turpibus infelix illa inescare conabatur sanctos Justi oculos : credebat enim illa hisce se modis sancti juvenis animum facile illaqueare posse. Cæterum Joseph, timore Dei munitus, ne simplici quidem aspectu intuebatur in illam. Ubi vero ipsa animadvertit artes suas et varios ornatus nihil apud Justum valere, majore concupiscentiæ ardore flagrabat; sollicitudineque anxia, quid amplius cum eo agendum foret ignorabat. Demum procacibus illum verbis ad opus ignominiosum atque illicitum invitare cogitâbat, simul observans tempus opportunum, quo in illum, tanquam aspis insaniens, impudicitiæ suæ virus effundere posset : impudentique vultu dicebat ad castissimum juvenem : « O Joseph, dormi mecum, nihil reformidans : audacter ad me accede, ut et ego affatim tua fruar pulchritudine, et tu vicissim formæ meæ venustate satieris. Servorum omnium qui in

domo sunt, tu potestatem habes, nullusque omnino ingredi ad nos audebit, neque audire nostrum opus poterit. Quod si virum meum timeas, ego illum dato veneno perimam. Quare mecum congredere, meumque desiderium adimple: valde enim concupiscentia tui uror. »

XVII. Ad hæc ille, animo et corpore cum esset adamantinus, fortis atque invictus perstitit, et in tanta procella haudquaquam mente succubuit; sed timore Dei cuncta ejus dicta ac facta repellebat, et qua decebat honestate atque modestia eam per sancta ac divina verba a se arcebat, sic illi dicens : « O mulier, nullo modo licet mihi istud tecum peragere peccatum, quæ domina mea es : nam Deum ego timeo. Ecce enim cuncta dominus meus mihi tradidit, quæ et domi et in agris possidet; neque est quidquam aliud, quod non sit sub manu ac potestate mea, præter te dominam meam. Quare valde absurdum et iniquum foret tantam dilectionem talis domini spernere, qui me ita charum habuit. Et quomodo possem ejusmodi scelus coram Deo cordium ac renum scrutatore exequi? »

XVIII. Hæc sancta verba dicebat Joseph singulis horis ad dominam suam, admonens, obsecrans, increpans, et reprehendens illam. At nihil divinum mulier admittebat; verum « instar aspidis obturantis aures suas [1], » vehementiore adhuc libidinis flagrabat ardore pessima, quæ in ipsa vigebat, concupiscentia stimulata, observabatque singulis momentis ut tempus inveniret commodum, quo impudice castissimum juvenem violare posset. Cernens vero Joseph quod mulier adeo impudenter, feræ instar, ad ipsum corrumpendum irrueret, levavit oculos suos ad Deum patrum suorum, et assidue deprecabatur Altissimum, sic dicens : « Deus Abraham, Isaac et Jacob, Deus magne atque terribilis, a fera ista libera me. Ecce enim ipse vides, Domine,

[1] Psal. LVII, 5.

hujus mulieris insaniam : quo pacto me in occulto per opus nefarium occidere velit, ut una secum in peccatis moriar, prorsusque a Jacob patre meo separer. Liberasti me, Domine, ab internecione iniquorum fratrum : libera me nunc ab insaniente fera ista, ne operibus pravis alienus efficiar a patribus meis, qui vehementer pieque dilexerunt te, Domine. » Et longa ex imo pectore ducens suspiria, Jacob iterum interpellabat, dicens : « Ora pro filio tuo Joseph, obsecro, pater; quoniam vehemens adversum me insurrexit bellum, quod etiam a Deo separare me possit. Ista quippe longe formidabilior et atrocior est quam mors, quam mihi fratres mei intentabant. Illi siquidem corpus occidere cogitaverant : hæc autem animam a Deo separat. Novi equidem, pater mi, quod orationes tuæ pro me ad Deum sanctum ascenderint : ac propterea ex lacu mortis ereptus sum. Quare et nunc denuo Altissimum exora, ut ab hac fera liberer, quæ filium tuum conatur perdere, cuique nec verecundia est in oculis, neque rursus timor Dei in corde. Ora, pater, ut non, sicut sinu tuo destitutus sum corpore, ita etiam ab animo alienus reddar. Ad fratres meos abieram, et ipsi tanquam feræ et lupi sævissimi effecti, me abs te, optime pater, avulserunt, et in Ægyptum in manibus alienorum deductus sum : et ecce iterum alia mihi fera occurrit. Fratres quidem in eremo occidere me volebant : at hæc in cubiculo discerpere me nititur. Deprecare, pater, ne coram Deo meo, et patribus moriar. »

XIX. Cum autem verbis dominæ suæ Joseph obtemperare noluisset, quæ illi singulis horis quasi aspis absque ulla verecundia imminebat, observavit illa tempus idoneum, quo eum in thalamo inveniret, ac sic peccatum expleret. Ubi autem illum in suo deprehendit cubili, sicut desiderabat, impudenter accedens ad illum castum, ipsum ad se attrahere conabatur, et nefarium cum eo scelus per-

petrare. At ille nimiam illam mulieris cernens impudentiam, confestim cursu extra domum in bivium exiliit. Et sicut aquila, cum aucupes aspexerit, expansis alis cœli sublimitatem petit; ita etiam Joseph ex cubiculi ostio erupit, ne omnino vel dictis vel factis letiferum aliquod vulnus acciperet : proprioque pallio in manibus illius relicto, diaboli laqueos effugit. Cernens autem mulier illum sic effugisse, magno dolore affecta est, ac jam de plectendo Justo cogitabat, per verba turpissima accusare illum volens apud maritum suum, ut eo audito vir ejus zelotypiæ furore accensus, occideret Joseph. Sic enim secum reputans dicebat : « Multo mihi melius fuerit Joseph mori, ut vel sic requiem consequar : non enim fero tantam in domo mea pulchritudinem per momenta intueri, cum frui atque expleri eximia illa juvenis venustate atque scientia clam vel palam nequeam. » Quare vocatis ad se servis et ancillis suis, dixit eis : « Scitis quid in me admiserit puer iste hebræus, quem constituit vir meus super universam domum suam? Voluit quippe, omni abjecto pudore, mecum congredi : neque suffecit illi auctoritas atque potestas totius domus meæ : quin et a viro meo separare me conatus est. » Arreptamque Joseph tunicam ostendit viro suo, expostulans ac dicens : « Ecce ipse adduxisti puerum istum hebræum, ut contumeliam inferret, illuderetque mihi uxori tuæ[1]. An ignoras, mi domine, quod ego pudica sim, atque ideo istud indicavi tibi? »

XX. Quibus auditis, vir ejus subito credidit verbis uxoris, rem ita se habere asserentis : protinusque jussit vinctum Joseph detrudi in carcerem : neque crimen objectum debita diligentia inquirens, illico injustam in eum sententiam pronuntiavit, dicens : « Joseph in domum carceris mitti jubeo, nullaque penitus requie frui. » Cæterum Deus Abra-

[1] Gen. XXXIX, 17.

ham, et Isaac, et Jacob, qui omnium corda scrutatur, cum ipso erat, præstititque illi misericordiam in oculis præfecti carceris, ut liber a vinculis in carcere degere, ac requie frui posset : nunquam enim Deus recedit ab eis, qui illum in toto corde timent.

XXI. Post hæc peccaverunt regi Pharaoni duo eunuchi, præpositus pincernarum, et præpositus pistorum[1]: jussitque eos rex in carcerem conjici. Porro Joseph ministrabat ipsis. Cum autem ambo per duos annos ibi conclusi detinerentur, post aliquot dies conspexerunt somnia, quid eis primo quoque tempore obventurum esset præsignificantia. Joseph vero sanctus serviebat eis, eoque magis quod optimates ac honorabiles essent. Cumque pro solito ad eos visendos ingressus esset, reperit eos magno dolore affectos : erant enim ambo tristes atque remissi propter somnia. Ubi vero causam mœstitiæ atque afflictionis ipsorum sciscitatus est, ambo dixerunt : « Somnia vidimus, et ideo in mœrore constituti sumus, quia non est, qui ea interpretari nobis possit. » Ad quos ipse ait : « Istud quidem solius Dei est indicare timentibus ipsum. At dicite mihi somnia vestra, ut ea vobis per me Deus meus exponat. » His auditis, pincernarum et pistorum præpositi dixerunt somnia sua, sicut viderant ambo. Joseph porro paucis verbis exposuit illis accuratissime omnia, quæ a rege eventura eis erant, quemadmodum et revera acciderunt. Siquidem pincernarum præfectum pristino suo honori officioque restituit; pistorum autem magistrum morti tradidit.

XXII. Cum autem pincernæ obventurum ipsi honorem prædiceret, rogabat eum dicens : « Recordare mei coram Pharaone, eique de me celeriter suggere ut hinc educar : nihil enim peccavi, neque mali quid egi, quia in domum carceris injectus sum[2]. » O semen electum ac beatissimum,

[1] Gen. XL, 1. — [2] Ibid. 14.

cur a mortali homine auxilium quæris? Omisso Deo, cur hominem interpellas? Et quidem plane in cunctis necessitatibus tuis divinum expertus es auxilium, ut etiam quando pudicitiæ tuæ tunicam intactam atque immaculatam conservasti. Cur ergo, o beate, jam despondes animum, cum Deus tibi regnum et gloriam providere atque donare velit? Quanto autem fortius tentationes toleras, tanto illustriores tibi victoriæ coronæ texuntur.

XXIII. Ut vero somniorum utriusque adimpleretur solutio, juxta quod prædixerat Joseph, post triduum fecit convivium Pharao cunctis optimatibus suis, recordatusque est pistorum magistri, et pincernarum præpositi : et hunc quidem in priorem suum locum ac gradum restituit; alterum vero morti tradidit. Cum autem oblitus esset princeps pincernarum Joseph, post duos annos per Dei providentiam somniavit Pharao somnia magna, quorum interpretatio cunctorum sapientum Ægypti magorumque mentem atque intelligentiam superabat [1]. Cumque Pharao accersendos curasset quoscumque sapientes, eisque somnia annuntiasset, nemo inter omnes inventus est, qui vim somniorum interpretari valuerit. Cum igitur in magna rex tristitia esset, pincernarum præpositus recordatus nuntiavit Pharaoni omnia, quæ de Joseph, ipsiusque intelligentia ac sapientia sciebat. De quo cum Pharao audiret, gavisus est gaudio magno, eumque protinus magna diligentia ad se accersendum curat. Et cum Joseph ex carcere jam advenisset, dixit illi Pharao coram cunctis optimatibus suis : « Audivi de te, quod vir sapiens sis ac prudens, et qui somnia obscura atque profunda explicare valeas. » Respondit autem Joseph Pharaoni : Largitoris sapientiæ est explicare somnia [2]. » Recensuit ergo somnia sua Pharao coram Joseph, et cunctis magnatibus suis : confestimque somniorum in-

[1] Gen. XLI, 1, 8. — [2] Ibid. 16.

terpretationem ex ore Joseph audivit, velut ex ore Dei. Obstupefactus autem Pharao ad tantam ejus sapientiam præstantissimumque consilium : (consuluerat enim ipsi, dicens : «Provideat rex virum unum sapientem atque intel-»ligentem, constituatque eum, qui frumenta Ægypti colli-»gat : futura quippe est ingens fames; ut plurimæ fruges »habeantur in tempus pressuræ reservatæ :)» dixit ad illum : «Te ipsum hodie constituam super omnem Ægyptum, qui »tale mihi consilium aperuisti : et ad tui oris imperium »Ægyptus, et tota domus mea disponetur[1].»

XXIV. Tunc ascendere jussit Joseph super currum suum : cunctique magnates partim antecedebant currum, partim circumdabant ipsum, simul pergentes. Videns porro Pentephres, qui Joseph antea in domum carceris miserat, admirandum spectaculum, quod sedisset Joseph in curru Pharaonis, vehementer timuit; sensimque se ex medio magnatum subducens, cursu in domum suam abiit : metuque maximo ad uxorem suam dicebat : «Vidisti, o mulier, signum admirabile, ex quo tam ingens nobis timor obortus est? Joseph enim ille, quondam noster servus, jam dominus noster totiusque Ægypti effectus est : et ecce cum gloria sedet super currum Pharaonis, et tanquam rex ab omnibus honoratur. Ego vero, cum id videre nequirem, paulatim me subduxi, clanculumque discessi.» Quæ dum uxor Pentephris audiret, illum melius sperare jussit, sic ad eum dicens : «Ego tibi peccatum meum notum faciam, quod admisi. Ego quippe sum, quæ pulcherrimum Joseph, castissimumque illum adamavi : et cum per singula momenta multis blanditiis illi callide insidiarer, ut dormire cum illo possem, et pulchritudine ipsius frui, neque prorsus optato meo fine potiri quirem, aut ullatenus efficere ut vel verbo me dignaretur; vi tandem illum tenere conabar, ut me

[1] Gen. XLI, 33, 41.

vel modice tolerarct. Verum ipse foras aufugit, quando tibi pallium ejus ostendi. Ego igitur sum, quæ regnum ipsi maximamque gloriam comparavi : nam si non ita ego Joseph adamassem, in domum carceris conjectus non fuisset: quin et gratias habere mihi debet, quæ gloriæ ipsius causa fui. Justus et pius est Joseph, qui etiam calumniam passus nemini patefecit. Exurge igitur, ac vade gaudens, eumque una cum aliis magnatibus adora. » Surgens itaque Pentephres abiit, et Joseph reverenter adoravit.

XXV. Inter hæc autem, impletis jam septem annis fertilitatis illius maximæ [1], invaluit fames in universa terra Chanaan, tristisque erat Jacob cum filiis suis. Audiens autem Jacob, in Ægypto fruges esse in magna abundantia, dixit ad filios suos : « Venite, pergite, et coëmite nobis frumentum ex Ægypto, quemadmodum ibi reperiri audivi, ne omnes fame moriamur. » Acceptis ergo mandatis, decem filii Jacob abierunt omnes, ut alimenta sibi compararent : non autem agnoscebant quod frater ipsorum esset. Ut vero aspexit Joseph fratres suos, illico agnovit illos omnes, dixitque fremens : « Hi decem viri exploratores sunt » pessimi, et ideo venerunt in Ægyptum. Quare comprehendite illos, et caute vinctos tenete : ad explorandam » enim terram huc venerunt. » At illi contremiscentes, cum timore responderunt ei, dicentes : « Absit hoc a nobis, domine : omnes quippe fratres sumus, filiique unius patris justi. Duodecim numero eramus, et unus quidem ex his pulcherrimus et dilectissimus patri suo, a fera pessima interemptus est, lugetque ipsum pater in hanc usque horam. Alius autem frater noster cum patre nostro est in terra Chanaan, relictus in solatium illius. » Responditque ipsis Joseph cum iracundia, dicens : « Quandoquidem ego Deum sanctum timeo et colo, hoc vobis indulgeo. Sumite escas,

[1] Gen. XLI, 53; et XLII, 1 et seqq.

et celeriter ad patrem vestrum pergite, si veridici sitis; ac fratrem vestrum, quem pater diligit, huc ad me adducite : et sic tandem credam vobis.

XXVI. Sumentes ergo frumentum, ad patrem suum in terram Chanaan mœsti abierunt; annuntiaruntque ei suspiciones pessimas et iracundiam viri. Contristatus autem valde hac illorum relatione est pater, dixitque suspirans ad eos : «Cur istud fecistis? cur domino Ægypti vos alium hic fratrem habere dixistis?» Qui respondentes ei dixerunt : «Ipse interrogavit nos, et nostram cognationem accuratissime nosse voluit.» Aitque ad eos Jacob : «Moriar potius quam Benjamin ex meo tollatis sinu.» Fame autem invalescente atque urgente[1], dixit eis Jacob : «Si ego filiis ex Rachel orbatus sum, et dilectissimis liberis meis privatus, sicut dicitis, exurgentes, tollite munera in manibus vestris, et pergite simul cum fratre vestro.»

XXVII. Feceruntque sicut præceperat eis Jacob. Et cum jam in Ægyptum pervenissent, cum timore magno atque tremore omnes coram Joseph adoraverunt. Qui ut conspexit fratrem suum Benjamin magno cum metu atque pavore astantem, commota sunt viscera ejus valde, cupiebatque ipsum complecti ac deosculari, et interrogabat illum, dicens : «Vivit pater tuus?» Qui cum timore respondit : «Vivit servus tuus pater noster.» Dicit ei denuo: «Numquid adhuc Joseph habet in corde suo?» Cui ille : «Plane, inquit, illum fixum in corde suo retinet, flagratque amore ac desiderio ipsius.» Cum autem amplecti illum nequiret, vel ultra interrogare, ingressus in suum cubiculum, copiosas profudit lacrymas. Qua enim hora suum conspexit fratrem, illico bonæ senectutis Jacob recordatus est, dicebatque cum lacrymis : «Beati qui vident sanctam senectutis tuæ imaginem, optime pater. Neque enim, ut arbi-

[1] Gen. XLIII, 1 et seqq.

tror, totum meum regnum, omnisque gloria mea comparari potest senectuti tuæ, o dulcissime pater. Optabam ex ore Benjamin intelligere an me in corde haberes, ac me diligeres, sicut et ego te : atque ideo fratres meos astu coëgi secum adducere fratrem meum Benjamin. Non enim illis credidi referentibus mihi de te, quod patrem haberent et minimum fratrem : sed opinabar illos invidia ductos etiam dilectissimum filium tuum minorem Benjamin interemisse, atque in majore mœstitia animam tuam ad inferos deduxisse, quemadmodum et me improbæ voluntatis suæ proposito occiderunt. Oderant enim nos duos, quod uterini essemus, ego et Benjamin. Novi, pater, te nostri gratia vehementer angi ac sollicitum esse, et nunc quidem vel maxime affligi senectutem tuam propter Benjamin fratrem meum. Quare et ego maximo dolore afficior, dum considero tuam anxietatem, neminemque nostrûm tuæ modo senectuti assistere. Non tibi sufficiebat luctus meus prior : sed et alius super alium dolor adjectus tibi est, o pater. Ego suspiriorum tuorum atque dolorum causa sum et auctor. Nam dure nimis ac severe egi, dum Benjamin ad me adducendum curavi. Verum sermo ac memoria, quæ mihi est de te, istud me facere coëgit, dum addiscere cuperem an vere adhuc viveres, o pater. Quis dabit mihi rursus tuam sanctam effigiem intueri, et angelico aspectu tuo satiari? »

XXVIII. Deinde cum amarissime copiosissimeque in cubiculo flevisset, lota facie egreditur hilaris : omnesque pariter in domum suam introduci jubet, ut simul cum ipso cibum sumerent. Audite porro, fratres, quo pacto illos undique in timorem impellat Joseph. Illos enim jubet accumbere, singulos nominatim appellans, et per ordinem, siculi fuerant geniti : utebaturque pro quolibet quadam divinationis forma in scypho, quem tenebat. Scyphus autem

ille poculum erat argenteum, quod sua tenens ipse manu, dexteræ suæ digito pulsabat : cumque scyphus pulsaretur, magnum edebat sonitum in auribus omnium astantium in domo. Semel itaque pulsans, ait : «Quia Ruben primogenitus est, ipse quoque primus in honore discumbat.» Pulsans autem iterum, secundi nomen designavit, dicens : «Simeon secundus natu est, ipse quoque secundo accumbat loco.» Tertio rursus pulsans : «Levi, inquit, accumbat, et suo honoretur loco.» Sicque omnes accumbere jussit, nomine singulos per ordinem vocans. Quamobrem eos in stuporem rapuit, majorique timore affecit, adeo ut ipsum omnia nosse existimarent, dicerentque inter sese : «Putas-ne eum ex scypho cognovisse nos antea sibi esse mentitos, dum a fera pessima Joseph diceremus esse occisum?» Maximisque ideo cogitationum fluctibus agitabantur. Ut vero hanc eorum suspicionem tolleret, ex propria mensa partes ipsis dedit, ampilioremque fratri suo Benjamin portionem, et quidem majorem decuplo quam cæteris tradidit. Sed cur istud fecit Joseph fratribus suis, et ex scypho edixit singulorum nomina? ut nimirum crimen eorum augeret.

XXIX. Tunc jussit dispensatori suo ut frumentum in copia daret eis absque pretio, et in marsupio Benjamin clam scyphum deponeret, eosque gaudentes quamprimum a se dimitteret. Qui cum haud longe a civitate jam hilares discessissent, illos cursu insecutus dispensator ipsius Joseph, duris verbis coarguere cœpit, et contumeliose insectari, minasque intentare, fures ipsos appellans, et collati sibi honoris indignos. Cui respondentes illi dixerunt : «Aurum quoque, quod prius in marsupiis nostris invenimus, iterum domino nostro retulimus : nunc autem scyphum domini tui quomodo furati essemus? Absit id a nobis.» Ille vero ad eos : «Saccos, inquit, vestros deponite, ut perscruter illos.» Festinatoque deponentes ex jumentis marsupia, in-

ventus est scyphus in marsupio Benjamin. Quod illi cernentes, sciderunt vestimenta sua, cœperuntque singuli eorum variis minis et probris atque injuriis onerare Rachel simul et Joseph cum matre et fratre, dicentes : « Vos scandalum extitistis patri nostro, tu et Joseph, filii Rachel. Joseph quippe regnare super nos volebat : tu vero, frater ipsius, in ignominia et probro nos constituisti. Nonne vos estis filii Rachel, quæ cum patris sui idola furata esset, se illa furatam negavit [1] ? » Extollensque vocem suam Benjamin cum suspiriis ac lacrymis, plene satisfacere singulis eorum incœpit ac dicere : « Ecce Deus ipse patrum nostrorum novit, qui assumpsit Rachel, sicut ipse voluit; qui mortem pulcherrimi Joseph minime ignorat; qui servat ac confirmat Jacob consolationibus in separatione Joseph, ipsumque modo consolatur invisibiliter, sicut novit; qui videt omnia nostra, quique scrutatur corda et renes; ipse scit quod nequaquam scyphum hunc furatus sum, ut dicitis : neque enim tale quid unquam de eo cogitavi. Ita videam sanctam patris Jacob canitiem, ut cum gaudio ipsius genua osculer, ut scyphum istum minime sum furatus. Hei mihi ! hei mihi ! o Rachel : quid accidit filiis tuis ? Joseph pulcherrimus a fera, ut aiunt, interfectus est : ecce rursus ego, o mater, fur repente, cum nesciam, effectus sum, et in terra aliena servus detineor. Joseph in eremo cum devoraretur a bestia, clamavit, ut inveniret qui ipsum liberaret, et non reperit : ecce ego rursus, optima mater, fratribus meis satisfacere conor, et non est qui me audiat, credatque mihi filio tuo. »

XXX. Assumpto itaque Benjamin, reversi sunt in civitatem ad Joseph, non habentes quod pro eo respondere possent. Respondens autem Joseph, quasi ira concitatus, dixit eis : « Ista-ne est beneficiorum meorum compensatio ?

[1] Gen. XXXI, 19, 34.

ideo-ne honoravi vos, ut mihi scyphum meum, in quo vaticinari soleo, auferretis? Nonne dixi vobis[1]: non estis pacifici, sed exploratores? Propter timorem Dei hoc tamen ego vobiscum agam. Eum, qui furatus meum est scyphum, in servum mihi vendico. Vos autem cum salute hinc abite.» Accedensque unus ex eis, Judas nomine, genu posito orabat ipsum, dicens: «Ne, obsecro, irascaris, domine, si loquar. Ipse nos interrogasti servos tuos, dicens: Habetis-ne patrem, aut fratrem[1]? diximusque tibi: Est nobis pater servus tuus, duos filios habens, quos summopere diligebat super nos omnes; et alterum quidem ex his fera in montibus discerpsit, lugetque ipsum pater singulis horis, et in dolore ac gemitu huc usque perseverat, ut fere terra ipsa ad vocem ejus lugere videatur: alterum vero eorum secum domi detinet pro sua consolatione loco prioris filii. At nunc, ut jussisti, adduximus fratrem, et comperti sumus servi tui in gravissima iniquitate. Supplico autem ut ego servus tibi sim pro puero isto, modo puer cum fratribus abeat, redeatque ad patrem; nam ipsum ego a patre meo suscepi, et absque eo ad patrem remeare non possum, ne amarissimam patris mei mortem conspiciam.

XXXI. Cum porro audisset Joseph commiseranda hæc verba, cerneretque ipsos omnes quasi confusos assistere, videret item Benjamin scissa tunica sua cum fletu ac planctu procidentem astantium genibus, ut ipsi Joseph pro se exorarent, eumque cum fratribus ad patrem descendere sineret; ad ista supra modum plane turbatus est, et commota sunt viscera ejus, subitoque omnes astantes jussit abscedere[2]. Quibus jam inde digredientibus, extollens vocem suam cum gemitu Joseph, dixit cum libertate ad eos idiomate hebraico: «Ego sum Joseph frater vester[3]:» non sum consumptus a bestia, ut vos dicitis. Ego sum,

[1] Gen. XLIV, 19 et seqq. — [2] Id. XLV, 1. — [3] Ibid. 4 et seqq.

qui nudus a vobis in lacum sum projectus. Ego sum, quem vos Ismaëlitis vendidistis : qui dum omnium vestrûm genibus atque vestigiis provolverer, nemo ex vobis tunc erat, qui mei in ejusmodi pressura misereretur, verum ut immanes et feræ bestiæ in me irruistis. Cæterum, fratres mei, nemo vestrûm timore commoveatur, sed potius gaudete et exultate mecum, quia ego jam regno. Et quemadmodum prius nostro dixistis patri, quod ego in montibus a fera devoratus essem, ita nunc rursus abeuntes, renuntiate Jacob, dicentes : « Joseph filius tuus vivit, et ecce sedet in » curru regni Ægypti.»

XXXII. Cum autem vocem Joseph audissent fratres ipsius, præ timore atque tremore manserunt velut mortui. Accedensque ad eos Joseph, verum germen Jacob, magno amoris affectu osculabatur singulos ipsorum absque ulla prioris injuriæ recordatione, sicut ipsum decebat : eosque tum donis, tum magno gaudio lætos effecit, cunctosque ad Jacob remisit, dicens ipsis : «Nolite contendere omnino in via, at potius festinanter pergite ad patrem, et dicite ipsi : « Hæc dicit Joseph filius tuus : Fecit me Deus regem totius Ægypti : veni, pater, cum gaudio cordis, ut angelicam senectutis tuæ faciem aspiciam.

XXXIII. Et abeuntes cum festinatione, renuntiarunt Jacob omnia verba Joseph, quæ ipsius mandaverat. Jacob vero ut audivit nomen Joseph, suspiravit amare, et illacrymans ait ad eos : «Quare vos iterum conturbatis spiritum meum, ut denuo memoria recolam effigiem pulcherrimi Joseph, dolorisque flammam, quam pene extinctam in corde meo sensi, rursum vultis accendere?» Et accedens Benjamin, osculatus est ipsius genua et mentum, dicens : «Vera sunt ista, quæ audivisti, pater optime.» Ostenditque ei omnia, quæ a Joseph missa fuerant. Et tunc credidit verbis Benjamin : surgensque cum tota domo sua, fes-

tinus ac gaudens descendit in Ægyptum, ad Joseph filium suum.

XXXIV. Ut vero audivit Joseph advenisse Jacob patrem suum, surgens magno cum gaudio, processit extra civitatem una cum optimatibus Pharaonis, magnoque decore ac comitatu illic ipsi occurrit. Cum autem jam conspexisset Jacob filium suum Joseph [1], cecidit super collum ejus magno cum affectu, dicens : « Jam nunc moriar, ex quo faciem tuam intuitus sum, dulcissime fili : adhuc enim tu vere vivis. » Et glorificarunt ambo Deum.

XXXV. Quare et nos super hisce omnibus gloriam referamus Patri, et Filio, et Spiritui sancto : cui laus et virtus, honor et adoratio in infinita sæcula, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

IN SANCTUM ELIAM PROPHETAM.

I. Silentium præbete mihi, o fratres, et inclinate aures : exponere vobis volo narrationem sancti ac gloriosi Eliæ prophetæ, qui zelum ardoris semper ostendit, dum studeret cunctos ad unum solum Deum adorandum perducere. Cæterum ut cognovit populum multa scelesta atque illicita agentem, a Deo declinantem, et idola adorantem, furore ac zelo repletus, aspectu sursum sublato, cœlum lingua jaculans, verbo cœlum penetravit. Et cum speraret atque confideret se populum, sic a dæmone seductum, posse adhuc ab errore avellere, vidit Elias populum mul-

[1] Gen. XLVI, 29.

titudine idolorum depressum, et omnes pseudoprophetas ex impiis illic congregatos; quare zelo ac furore multo in populum scelestum percitus, verbo juramenti prolato cœlum ligavit, nubilaque conclusit, nubes signavit, ne plueret. Misericordem Deum in suam adduxit sententiam, ut servi verba perficeret: volensque ostendere peccatoribus fortitudinem atque potentiam optimi Domini, per ipsum eis juravit, dicens: « Vivit enim, inquit, Dominus, in » cujus conspectu sto, ne veniat pluvia, et ros super terram, » nisi per os sermonum labiorum meorum [1]. » Miraculum enim novum atque inauditum accidit apud ipsum; nam misericors Deus sermone statim servi zelum adversus eum, qui juraverat, habentis audito, confestim illius contra ipsos in divino zelo factum vaticinium adimplevit. Concluso autem cœlo, et nubibus obsignatis, omnia a facie terræ arefacta sunt; vitis exaruit; frumentum non germinavit. Omnis arbor fructifera suos abscondit fructus; terra fructum non protulit; herba virens super terram non est visa, et omne simul viride a facie terræ prorsus occultatum fuit; arboresque in ea evanuerunt, cum aquæ continuo Eliæ sententia defecissent [2]. Cernere enim tunc licebat spectaculum grave et naufragium acerbissimum super terram, velut in diebus Noë [3]. Non enim solum homines moriebantur, sed et jumenta, ac fera animantia, et volatilia.

II. O zelotes Elia! homines ab inimico deceptos Domino peccasse existima: at infantes quid peccarunt? Jumenta, et feræ ac volucres quid deliquerunt, quod etiam hos omnes morti addixisti? saltem horum innocentium miserere, et da pluviam super terram. At fervidus Elias nihil horum curabat: et qui opibus atque pecuniis abundabant, fame ac siti, cum non cerneretur pluvia, peribant. Cæte-

[1] 3 Reg. xvii. 1 Eccl. xlviii. 1 Jac. v, 17. — [2] 3 Reg. xvii, 7. — [3] Luc. iv, 25.

rum universorum Dominus semper volens misereri humani generis, omnia movet atque molitur, ut Eliam ad misericordiam exhibendam adducat. At cum non persuasit ut iram commutaret, tunc ad viduam remittitur Elias, eamque miserabilem ac pauperem valde, ut pro necessariis ipsam interpellaret. Adventans autem eo jam illuc ac circumspiciens, vidit viduam parva ligna colligentem. Animadversa igitur extrema ejus inopia, pudebat quidem Eliam alloqui illam: simul tamen cum rubore atque verecundia præcepto paruit, ac velut audaciam cum pudore jungens, illam his appellavit verbis; «Cape mihi modicum aquæ, o »mulier, ut bibam [1].» Hanc enim ipse ligaverat, ne rorem suum diffunderet super terram.

III. Et vidua ad Eliam: «O zelotes, inquit, quandoquidem juramento linguæ tuæ clausisti cœlos, ne dent mihi pluviam, quo pacto aquam a me requiris, quam lingua tua cohibuisti, ac etiamnum detines, exsiccans terram, et cuncta quæ in ea sunt sepeliens? Unde igitur aquam ego tibi dabo?» At ille statim verbis viduæ compunctus, motus in se ipso ex parte est misericordia. Vidua vero vocem Prophetæ audiens, pollicita est se præbituram ei aquam, quam expetiverat. Cumque illa recederet, ut proferret, quid ad eam dixit Elias? «Cape jam etiam mihi, »inquit, buccellam panis in manu tua, ut comedam [2].» Quæ protinus ad vocem Eliæ respondit, ac dixit: «Vivit Domi»nus Deus, quia non est mihi subcinericius panis, nisi quan»tum pugillus capere potest farinæ in hydria mea, et pau»lulum similiter olei in lecytho: propterea parva hæc col»legi ligna, ut faciam mihi ac filio meo, ut comedamus ac »moriamur [3].» Quibus auditis, Elias et fame pressus secum de vinculis tantis solvendis cogitare cœpit. Audiens enim commiseranda viduæ verba, illico ad eam sermonem mise-

[1] 3 Reg. XVII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12.

rationibus plenum prolocutus est, dicens : « Ingredere, et fac » sicut dixisti; verumtamen mihi primum inde fac subcine- » ricium ; tibi ipsi autem ac filio tuo similiter facies postea. » Hæc quippe dicit Dominus : Hydria farinæ non deficiet, » neque oleum in lecytho minuetur, donec det Dominus plu- » viam super terram, et germinet sicut prius escam cunctis » qui in ea sunt[1]. » Quasi autem præter voluntatem scribebat solutionem vinculorum cœli : nam et famis afflictio eum ad id agendum impulit. Subito autem ingressa mulier, studuit perficere sermonem, quem ipse ad eam locutus erat[2], cognoscens in spiritu ipsum esse prophetam Eliam, qui cœlum verbo linguæ suæ ligaverat[3]; et simul etiam credidit exitum habitura, atque eventu ipso omnia comprobanda, quæ vir justus ad ipsam dixerat.

IV. Cæterum Elias apud viduam diversatus et pastus, in pristina severitate permansit. Immisitque deinde Deus mortem filio viduæ, volens tandem sic Eliam allicere ad impetrandam solutionem vinculorum. Vidua vero quando vidit mortem filii sui, accedens ad Prophetam cum lacrymis, dixit ei : « Hei mihi ! o Dei Propheta, super omnes zelotes, hunc animo meo dolorem contulisti, et planctum luctumque incurabilem. Cur vivo ego super terram infelix ac misera ? Nam filium, quem habebam unicum, morte affecisti, eumque tua causa novi mortuum ; antequam enim huc accederes, sanus ac robustus erat filius meus. Inter gravem etiam famem ac sitim incomparabilem, dum tu hac atque illac peregrinareris super terram, ego et filius vitam utcumque tolerabamus ac sustentabamur : at nunc cum velut nutritor ac sustentator ad me visus esses venisse, necator extitisti filii, quem habebam unicum. Fame jam sedata, nimio luctu deficio, et quem mihi existimabam fore adjutorem, illum habui proditorem; te contubernalem

[1] 3 Reg. XVII, 13, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Jac. v, 17, 18.

ac hospitem excipiens, spoliata sum filio : cumque nos in fame aleres, eum morti tradidisti; et nutriendo, occidisti quem habebam unigenitum; in quo spes mihi reposita erat, illo tu me privasti; quem mihi habebam oculum, morte delevisti; meam ego, te adveniente, consolationem deperdo. Ad tuum occursum, meo orbata sum filio : te enim ad me accedente, filius meus mortuus est. Acerbo lapsu cecidi, filio privata desiderabili. Quæ enim mihi deinceps utilitas ex abundantia farinæ et olei ad satietatem ciborum, filio meo jam mortuo? Expediebat mihi magis simul cum omnibus interire, et non in satietate privari filio meo. Quis enim, quæ dedisti, jam comedat? Quod etiam mihi lucrum fuerit subcinericios habere panes ad satietatem, dum jam gloria unigeniti mei filii, quem habebam, privata sum? Conficior lacrymis atque suspiriis propter ipsum. Quam vellem non vidisse ac cognovisse te, neque de tuo occursu atque congressione quidquam inaudisse! Noluissem enim dilectissimo meo privari filio. » Cernere licebat viduam hanc amare flentem atque illacrymantem, ad pedes Eliæ.

V. Cum vero ista audiret zelotes Elias, animo contristatus ad orationem festinavit : et stans, Deum obsecravit, dicens : « Solve, Domine, vincula mortis ex filio viduæ, et resuscita eum. » Misericors vero Deus sua voce ad ipsum : « Solve, inquit, tu cœlum, quod lingua tua ligasti, et nunc verbo vincula mortis solvam, quæ dispensatorie tua causa induxi [1]. Respice ac vide, Elia, quanta hominum multitudo interierit, senum ac juvenum, infantium simul et matrum. Cerne lacrymas totius terrarum orbis, quo pacto lugentes ac flentes concidant, pluviam deposcentes. Propter unam solam mulierem lacrymantem ob causam sui filii, videris velle esse misericors : mundus vero lugens ac mœrens la-

[1] 3 Reg. xvii.

crymatur: tu id cernis et omnia pateris interire. Novi quod, zelo accensus, disciplinam intuleris: scio, Elia, non esse tui similem.» Tunc ait Elias ad Dominum suum: «Redde vitam puero, et cœlum solve: solumque a lamentationibus viduæ me libera, ut non diutius plorans exagitet atque obtundat me.» Vitæ autem restitutum jam puerum accipiens Elias, tradidit eum matri suæ: vidua vero suum suscipiens filium, magno cum gaudio ait ad Eliam: «Nunc cognovi te vere »hominem esse Dei, et verbum verum esse in ore tuo [1].»

VI. Tunc ait Deus ad Eliam: «Vade et dic Achab me pluviam concedere terræ.» Veniens autem Elias ad Achab, dixit ei quod Dominus pluviam daturus esset super terram [2]. Et congregans omnem populum Israël, jugulavit sacerdotes sacrificantes Baal [3]. Cum vero omnes jam convertisset ad credendum in Deum viventem, assumptus est Elias in curru igneo, in magna commotione quasi in cœlum, demissa melota super Eliseum [4]. Deo nostro sit laus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

SANCTI EPHRÆM APOLOGIA AD FRATREM QUEMDAM, DE HELI SACERDOTE.

INTERROGATIO.

I. Cum Scriptura de Heli sacerdote attestetur quod filii ejus maledicebant Deo, ipseque non corripuerit eos: quomodo ergo reperitur ab eodem illos admonitos fuisse atque correptos [5]?

[1] 3 Reg. XVII, 1, 2. — [2] Id. XVIII, 24. — [3] Ibid. 40. — [4] 4 Reg. II, 11, 13. — [5] 1 Reg. II, 22 et seqq. et III, 13.

RESPONSIO.

II. Attende tibi ipsi, ne forte cum multa curiosus investigas, tua mens de sede ab impiorum errore deturbetur : totum enim, quidquid est, fidei est opus : quæ nisi adsit, nihil eorum, quæ in quæstionem veniunt, vir duplex animo inveniet unquam. « Nisi enim credideritis, » inquit, « non » intelligetis [1]. » Si quidem de Heli, non probavit quidem ipsos hoc facientes, ait; « Attamen potuisset facile reprimere malum, » quemadmodum ex consequenti sermone clarum existit : imo quam arbitratus es admonitionem, non est admonitio, sed socordia et negligentia ejus in Deum amoris : eo quod nimiæ indulgentiæ, conniventiæque terminis contineretur ipsius Heli modus. Sed et hoc dispensationis fuit, ut proprio ipsius testatum sit ore de filiorum iniquitate, sicut scriptum est : « Et erat Heli senex valde. Et au» divit quæ faciebant filii sui filiis Israël : et dixit eis : » Quare facitis secundum verbum hoc, quod ego audio ex » ore omnis populi Domini? Nolite, filii, nolite agere sic : » non enim est bona fama quam ego audio de vobis, ut » prohibeatis populum cultum præbere Deo. Si peccaverit » vir in virum, orare pro ipso poterunt Dominum : si au» tem in Domino peccaverit vir, quis orabit pro eo [2] ?

III. Oportet igitur ex ipsius patris testimonio ac verbis colligere summam illorum hominum impietatem. Cum neque ab uno solo, sed ab omni populo, a minimo usque ad maximum, reclamaretur ipsis, sicut ipsiusmet Heli perhibetur testimonio dicentis : « Ut quid facitis res hujusce» modi, quas ego audio, res pessimas, contra vos, ex ore » omnis populi Domini ? » Cunctis enim injuriam inferebant, et scandalo erant, sacras victimas profanantes. Non solum enim a sacrificiis populum deterrebant, verum et

[1] Isaï. VII, 9. — [2] I Reg. II, 23, 25.

deinceps ad apostasiam populus impietate operum, quæ filii Heli moliebantur, perterrefactus exercebatur. De quo ipsum Heli sic dicentem audi: « Non bona est fama, quam » ego audio de vobis, ut transgredi faciatis populum Domi- » ni. » Dicebat autem: « Ne feceritis sic; » forte populi impetum veritus, ita locutus, ut scilicet animos eorum, qui filiis reclamabant, emolliret atque placaret. Si enim ipsi divinus cultus cordi fuisset, nullo sane modo tantum a filiis damnum scelusque sustinuisset; quin potius illud e vestigio propria e domo arcere contendisset: custodes namque legis erant, et sacerdotes qui legem dissolvere atque evertere nitebantur. Et sive obedientes accepisset legitime, sive inobedientes juxta legis traditionem penitus de medio sustulisset, cum et sacerdos esset et judex, et omnis populus ab ipsius ore penderet; omnino enim se ab ira Dei liberasset: verum detentus filiorum malis, jure est iracundiam, quam in illos Deus ostendit, expertus. Non igitur culpa in Deum conferenda: « Quoniam rectus Do- » minus Deus noster, et non est iniquitas in eo [1]. » Quod autem legitima admonitio ex correptione constet, ex consequenti perspicuum evadit sermone. Dictum enim est in justo Job: « Beatus homo, qui corripitur a Domino [2]. » Admonitionem autem Omnipotentis cave rejeceris: ipse enim tristari facit, et ipse recreat: quemadmodum et Apostolus patribus præcepit, dicens: « Filios vestros educate » in disciplina et correptione Domini [3]. » Haud immerito igitur de ipso asserit sacra Scriptura quod, cum filii ejus maledicerent Deo, non corripuerit ipsos: non enim divino tangebatur zelo, sicut sancti illi Patres: sed filiorum indulgentiam rebus præstantioribus anteposuit. Quali enim amictus fuerit affectione, qui per Evangelium nos genuit Apostolus, norunt prudentes cuncti: habuit siquidem in se

[1] Psal. XCI, 16. — [2] Job. V, 17. — [3] Ephes. VI, 4.

viscera misericordiæ, benignitatem, et longanimitatem: ut ubi audivit quempiam externum peccasse, non toleraverit, neque reticuerit, sed statim talem «hominem commi» serit tradi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus » fieret, in die Domini nostri Jesu Christi [1]. » Quin et beatus Petrus apostolus vita quoque indignos eos judicabat, qui Spiritum sanctum tentare conabantur, contemptum in Deum non ferens [2]. At filii Israël simul atque a Deo abscesserunt, suos filios filiasque impiis dæmonum obsequiis, ac sacrificiis devoverunt. Hic vero sacerdos cum esset, possetque coërcere, pro nihilo hanc tantam eorum iniquitatem duxit: nullamque eis, qua refrenarentur, disciplinam dedit, non alapam, non verba duriora, ob sacrarum victimarum pollutionem, ubi ad dæmonum obsequium propriis illi manibus suos jugulabant filios, subter omnem arborem frondosam. Quis igitur hunc sceleris expertem judicaverit? Et licet ab omnium cognitore Deo didicisset prolatam adversus ipsum sententiam, non tamen ab illa in filios absurditate, atque incredulitate recessit.

IV. Cæterum benignus et misericors Dominus illum ab impendente ira per pœnitentiam liberare volens, per innocentem puerum ipsi jam patefacta demonstravit; ne quæ subingressa suspicio facilem ejus confirmaret animum, quasi ex humana aliqua speculatione hæc ipsi prædicta essent, aut per invidiam, quorumdamve indignationem et iram. Quare ipsummet Heli prædictorum auctorem testemque constituit, sicut et Scriptura ait: « Et puer Samuël » ministrabat Domino coram Heli sacerdote, et sermo Do» mini erat in ipso. In diebus illis non erat visio manifesta. » Et factum est in die illa, et Heli dormiebat in loco suo, » et oculi ejus caligaverant, et non poterat videre, et lucerna » Dei antequam disponeretur: et Samuël dormiebat in

[1] 1 Cor, v, 5. — [2] Act. v, 3.

»Templo Domini, ubi erat Arca Dei; et excitatus est Sa-
»muël. Et vocavit Dominus, Samuël, Samuël. Qui respon-
»dens, ait. Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, et dixit: Ecce
»ego : ad quid me vocasti? Et ad eum Heli : Non vocavi,
»inquit, te : revertere, et dormi, fili. Et reversus est, et
»dormivit. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuëlem,
»et vocavit : Samuël, Samuël. Consurgensque Samuël,
»abiit ad Heli secundo, et dixit: Ecce ego, quare vocasti
»me? Qui respondit: Non vocavi te; revertere, et dormi,
»fili. Porro Samuël necdum sciebat Dominum, neque re-
»velatus ei fuerat sermo Domini. Et adjecit Dominus vo-
»care Samuëlem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, et
»ait: Ecce ego : quare vocasti me? Intellexitque Heli quod
»Dominus vocaret puerum et ait: Non vocavi te, revertere,
»et dormi, fili : et si quis deinceps vocaverit te, dices : Lo-
»quere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuël,
»et dormivit in loco suo. Et venit Dominus, et stetit : et
»vocavit ipsum, sicut semel et bis vocaverat : Samuël,
»Samuël. Et ait Samuël : Loquere, Domine, quia audit ser-
»vus tuus. Et dixit Dominus ad Samuëlem : Ecce ego facio
»verbum meum in Israël, quod quicumque audierit, tin-
»nient ambæ aures ejus. In illa die suscitabo adversum Heli
»omnia, quæ locutus sum, et super domum ejus : incipiam,
»et complebo. Prædixi enim ei quod judicaturus essem
»ego domum ejus in æternum, propter iniquitatem filiorum
»ejus, eo quod noverat filios suos maledicere Deo, et non
»corripuerit eos. Idcirco juravi domui Heli quod non ex-
»piabitur peccatum ex domo Heli, muneribus et victimis
»ejus, usque in æternum. Dormivit autem Samuël usque
»mane, et de mane surgens, aperuit ostia domus Domini.
»Et Samuël timuit indicare visionem Heli. Dixitque ad
»Samuëlem Heli : Fili mi? Qui respondens, ait: Præsto
»sum. Et interrogavit eum: Quis est sermo Domini, quem

» locutus est ad te nocte, fili mi? Oro te ne celaveris me ex » omnibus verbis, quæ in aures tibi locutus est. Hæc faciat » tibi Deus, et hæc addat, si absconderis a me sermonem » ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. Et indicavit ei » Samuël universos sermones, et non abscondit ab eo ver- » bum. Et respondit Heli : Dominus est : quod placitum est » in oculis suis faciat [1]. »

V. O mentis imbecillitatem, ad observationem mandatorum Dei ! O iniquam erga iniquos filios indulgentiam ! Quomodo non exhorruit caro ejus super auditis? Quomodo renes ejus non contremuerunt? Quomodo non adduxit animum ad pœnas de impiis suis filiis sumendas, exemplo zeli Phinees ante oculos posito? Quomodo sua non discidit vestimenta, pernoctavitque in sacco super prolata adversus ipsum condemnationis nota? Sed ne commotus est quidem. Non ita peccavit Achar, filius Charmi, dum aliquid de anathemate tulisset [2], quantum isti. Cæterum filii Heli cum essent fœdifragi et inimici, in ipsum quoque impii erant Creatorem, qui Moysi dixit et Aaron : « Sanctificabor in » iis, qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi » glorificabor [3]. » Et rursus : « Loquere ad Aaron et ad filios » ejus, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt filiorum » Israël, et non contaminent nomen sanctum meum, quæ- » cumque ipsi sanctificant mihi; ego Dominus. Dic ad eos, » et ad posteros eorum : Omnis homo, qui accesserit de » omni stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, et quæ » obtulerunt filii Israël Domino, in quo est immunditia, » peribit anima illa coram me [4]. »

VI. Verum non ita his attendit Heli : unde quoque mortis fructum decerpens abiit. Magis siquidem elegit resistere Deo, quam a mala in improbos filios indulgentia divelli. Et hoc suo aperto abusus est dicto, « Nolite agere

[1] 1 Reg. III, 1-19. — [2] Jos. VII, 1. — [3] Levit. X, 3. — [4] Id. XXII, 2, 3.

» sic, » inquiens, « o filii : » cum interea secreto particeps filiorum iniquitatis esset. Vide autem responsionis intentionem; ait enim : « Dominus est, et quod bonum erit in oculis suis, » faciet : » pro eo, quod est : « Ego vero filiis meis molestiam afferre non possum. » Sed neque factis ipsius Moysis peritior factus, recessit ab illa in filios affectione. Siquidem Moyses accipiens tabulas lapideas, descendensque ex monte, ac vituli facturam conspiciens, tabulas projiciens, confregit eas, aspectumque proprii fratris non tulit : quin et duriori voce Aaron inclamabat, dicens : « Quid tibi populus fecit hic, » ut induceres super eum peccatum maximum [1] ? » Aaron vero, videns proprium fratrem divino incensum zelo, se purgavit, et dixit : « Ne indignetur Dominus meus : tu enim » nosti populum istum, quod pronus sit ad malum. » Stans autem Moyses in porta castrorum, ait : « Si quis est Do- » mini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes » filii Levi. Quibus ait : « Hæc dicit Dominus Deus Israël. » Ponat unusquisque gladium suum super femur suum : et » ite et revertimini de porta ad portam, et occidat unusquis- » que fratrem suum, amicum suum, proximum suum. Fe- » ceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque » ex populo in die illa quasi tria millia hominum. Et ait ad » eos Moyses : Consecrate manus vestras hodie Domino » unusquisque vestrûm in filio, et in fratre suo, ut detur » vobis benedictio [2]. »

VII. Quin et Job sollicitam curam suorum gerens filiorum, victimas quotidie pro iis Deo obtulit, non de manifestis solum, sed et de occultis, quæ in corde suo commisisse poterant, peccatis puros eos servare studens, in propriam illorum salutem. Ita scilicet summe contenderunt Justi illi immaculatum fructum ventris sui offerre Deo. Heli autem cum mollior segniorque in filiis corrigendis esset, non

[1] Exod. XXXII, 21. — [2] Ibid. 26, 29.

cum ab ira Dei exemit liberavitque veneranda senectus, non vetusta loquendi libertas, arguendique fiducia, non sacerdotis honor. Quando igitur ex sacris Scripturis audierimus, et incipiet inimicus homo de proprio aliquid occulte subseminare in corde, tunc nos fide fundati, ad ipsum dicamus : « Fidelis est Dominus in omnibus verbis suis, et » sanctus in omnibus operibus suis [1]. »

SERMO VII.

IN DANIELEM PROPHETAM, ET IN SANCTOS TRES PUEROS, ET IN EUM QUI DICIT : TEMPORA MALA SUNT, SALVARI NEQUEO.

I. Age jam, contemplemur Danielis prophetæ, et sanctorum puerorum gesta; quales hi Sancti extiterint in diebus illis, quando tradidit Dominus civitatem Hierusalem, propter peccata populi, in manus Nabuchodonosor regis Babyloniæ. Attenderunt autem hi sibi ab ineunte ætate tuto: quare et in tantis adeoque variis periculis atque vexationibus probi sunt reperti. Cujusmodi enim non exantlarunt labores in confusione facta in illa captivitate pueri illi, adeo pii ac Deum amantes ? Et primum quidem spectantes electum populum ab Assyriis ita crudeliter divexari: ait quippe Hieremias : « Faciem sacerdotis non susceperunt, senis non miserti sunt : principes manibus suspensi » sunt, et pueri in lignis infirmati sunt [2] : » et quæ sequuntur. Cernentesque sanctam civitatem ab iniquis vastatam, et Dei templum igne combustum, et vasa sancta iniquorum

[1] Psal. CXLIV. 13. — [2] Thren. V, 12, 13.

manibus contrectata, ac in idolorum fanis reposita, Prophetasque vinculis ferreis constrictos : non tamen ob hæc cor eorum conversum est retrorsum, nec sunt oblocuti Deo, neque vacillarunt : sicut quidam alibi ait : » Ecce hoc » malum a Domino est : quid amplius expectabo a Do» mino [1] ? Postea adhuc captivi ducti, immensum per viam coguntur subire laborem : dum ærumnas in ea varias cum nuditate patiuntur, famemque tolerant, eo quod se ab illicitis prorsus pollui nollent. Sub hæc in Babylonem ducti, aliud eos certamen manet. Fit electio selectissimorum puerorum, ut habet Scriptura, inter quos connumerati sunt Daniel, Ananias, Azarias, et Misaël. Cæterum honestatis inimicus conspiciens neque in obsidione sanctæ civitatis eos se voluisse abstrahere a Domino, neque in via ut esu se contaminarent illos inducere potuisse, in cor impii regis se immittit, suadetque ut per singulos dies rex constituat eis annonam de cibis suis, et de vino unde bibebat ipse, sicque eos enutriat annis tribus, ut scilicet et per tyrannidem illos compelleret vesci cibis illicitis. Et vide hic malignitatem Draconis : quandoquidem non ad diem unum, neque ad mensem dierum constituit præfinitum tempus, verum ad tres usque annos prorogavit certamen, ut partim timore, partim temporis diuturnitate tandem substerneret amatores divini cultus. Verum hi neque in illo virilem suum animum deposuerunt, neque patriam legem erubuerunt, rogantes clanculum eunuchorum præfectum ut ipsis legumina dentur ad vescendum, ne polluantur de mensa regis, non timentes periculum, quod, nisi paruissent, aut si repugnassent, imminebat.

II. Deinde, licet princeps eunuchorum adduci nequiret ut legumina ad vescendum suppeditaret, non tamen ideo a pietatis scopo recesserunt. Dominus enim glorifi-

[1] 4 Reg. vi, 33.

cantes ipsum glorificat et magnificat; volensque ad illustriora adhuc certamina eos reservare, disponit ac præparat Amelsad, quem constituerat princeps eunuchorum super eos, ut daret iis sicut postulaverant. Et ut cognoscas Dei illud opus fuisse quod fiebat, comperti sunt et illustriores exteriori corporis forma atque aspectu, et in omni disciplina ac sapientia magis instructi præ omnibus iis qui vescebantur cibo regio. Quod si meticulosi aut impotentes animi fuissent, nonne hujusmodi usurpassent verba? « Quid agendum, fratres? nos constringit necessitas, comminationes mortis a rege intentantur: quid nobis per inobedientiam tormenta comparamus? Deo sic visum est, qui dum contuetur vim nobis illatam, etiam nobis transgredientibus propter necessitatem ignoscet. Extra patriam versamur; in servitutem redacti sumus; regionem nostram perdidimus, propriis ejecti sedibus: quod si dura hac educatione morbo aliquo corripiamur, quis nostri curam geret, aut nos visitabit? Non præsto nobis erit pater, non fratres, non propinqui, a quibus solatium accipiamus in nostris angustiis: omnes ad egestatem et in servitutem redacti, apud gentem premimur alienam. Nullum plane secundis rebus utentem videmus, præter eos duntaxat, qui sunt regiæ mensæ participes: quin et nos mortuos ne sepultura quidem dignabuntur, sed canibus devoranda nostra corpora projicientur. » Verum nihil horum apud se cogitarunt Dei servi; neque etiam, quod tantopere escam leguminum appeterent, hanc sibi delegerunt diætam, sed quod pro veritate certamen subirent. Tu igitur discerne mihi gloriam eorum, qui regio cibo ac pretioso vino satiati sunt, et pro veritate laborare noluerunt, ab his, qui delicias vitæ hujus a se propulsarunt, et labores pro veritate subierunt: quibuscum partem dignetur largiri nobis Dominus una cum omnibus Sanctis suis. Amen.

SERMO VIII.

DE LAUDIBUS DEI GENITRICIS MARIÆ I.

I. Quicumque, fratres charissimi, miram illam, ac prorsus inauditam rationem, qua unigenitus Dei Filius nostræ reconciliationis mysterium peracturus, novem integris mensibus virginea in alvo delituit, quaque fragilis nostræ mortalitatis natura ad immensam Divinitatis gloriam gestandam fuerit roborata, humanæ imbecillitatis viribus perscrutandam sumat, cogetur profecto tanti facinoris excellentia perterritus obmutescere.

II. Divinorum propterea arcanorum missa vestigatione, dum pauca de sanctissimæ Dei Genitricis laudibus dicere aggredior, primo in limine maxima ipsius verecundia occurrit, quam Deus olim Moysi in monte Horeb sub rubi imagine præmonstravit [1]. Nullum ista detrimentum passa est, sive cum Verbum in illius uterum descendit, sive cum, expleto novem mensium cursu, ad lucem prodidit.

III. In hac Christi Domini nativitate duplex prodigium admirari subit; Christus ex virgineis visceribus nullo hominis commercio labefactatis egreditur; Christi præcursor Joannes præter communem naturæ ordinem nascitur. Virgo Deum parit; sterilis virginem. Mariæ uterus divina præsentia sanctificatur; exultat Joannes de Christi præsentia, qua adhuc in utero clausus fruitur.

IV. Qui cœli nequit latitudine commensurari, en modo exiguis jacet in cunis: qui mare pedum vestigiis concludit,

[1] Exod. III, 2. — [2] Luc. I, 41.

en brevibus præsepii angustiis continetur; qui cœlos suæ gloriæ magnitudine complet, nunc totam in specu majestatem contraxit.

V. Hujus faciem Moyses olim videre gestiit; ipsam tamen perfecte intueri non potuit. Huc modo adsit, cumque arctis sub fasciis vagientem intuens obstupescet. Nemini mortalium tunc temporis fas erat videre Deum, et vivere; nunc vero qui ipsum viderint, tristem interitum evitabunt.

VI. Occultissimum Moyses rubi mysterium stupens mirabatur; id Magi, Regem gloriæ proni adorantes, manifestissime declararunt.

VII. Vox e rubo Moysi perlata ipsum admonuit ne calceatis ad sacrum collem pedibus accederet; stella vero Magos ad præsepe dominicum tacite invitavit.

VIII. Moyses, etsi Deum facie ad faciem allocutus fuerit, non ideo tamen divinæ naturæ præstantiam intueri potuit; at Magi Deum sub mortalibus exuviis clare conspexerunt.

IX. Quemadmodum ergo diversæ inter se speluncæ, invicem quodammodo cohærere dicuntur, ita et Moyses Magis, Persidis principibus, æquiparari non immerito potest. Id quî fieri valeat, ex Deo, uti sapientissimo mysteriorum auctore, petendum est. Satis hoc dixisse erit, quod nisi eos Dominus suæ magnitudinis promulgatores statuisset, nunquam ex impuris eorum manibus obsequia, ac munera suscepisset.

X. Moyses mysteria adumbrabat, eadem Dominus implevit. Insolitus Moysi splendor ex divina allocutione resultavit, suamque faciem velamine contexit, ne in ipsam vulgares omnium oculi libere defigerentur. Pari quoque ratione Dominus noster carnem assumpsit, ut sub corporearum rerum symbolis hominibus appareret.

XI. Signum magnum apparuit in terra nostra; in ipsam etenim universorum Conditor delapsus est: mortalem Deus

formam accipiens, communem nobiscum vitam agere voluit. Supremus omnium Dominus se ad vilem servi conditionem effingens, quod a suæ majestatis dignitate abhorrebat, idipsum sibi imponere non recusavit.

XII. Quis ergo Angelorum Regem non in ædium regalium magnificentia, sed in humili pastorum stabulo, muta inter animantia natum contemplans, admiratione non corruat? Non sunt hæc, fratres charissimi, non sunt captiosa quædam humani ingenii sophismata, aut inanes eloquentiæ ostentationes, de quibus ambigere aut suspicari liceat.

XIII. At vero operæ pretium me hic facturum existimo, si hujusce præclari operis seriem pauló altius repetam, ne quid gloriæ Mariæ virgini debitæ silentio prætermisisse arguar. Illuxerat jam lætissimus ille universo orbi dies ad humani generis reparationem præfinitus, cum extemplo Dei nuntius Gabriel ad Virginem delegatur; ad quam ingressus, ipsi Dei verbis prius consalutatæ legationis negotium declarat. Rei novitate perculsa Virgo primo perturbatur; deinde, timore posito, ab Angelo quærit: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » Cui Angelus: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus » Altissimi obumbrabit tibi, quia non erit impossibile apud » Deum omne verbum [1]. » Quibus illa cognitis, ne diutius divinæ volontati obsisteret, subdidit: » Ecce ancilla Domini, » fiat mihi secundum verbum tuum. [2] »

XIV. Ex quo itaque Maria virgo supremis Dei decretis obtemperavit, Verbum statim in ipsius uterum descendit, quin virginalis pudor frangeretur, aut minimus corpori dolor accederet. Quapropter speciosus in splendore suo [3], qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [4], exinanivit semetipsum, ut quod Adam per inobedientiam destruxerat, ipse per humilitatem resarciret.

[1] Luc. I, 34, 35. — [2] Ibid. 38. — [3] Eccli. XLIII, 12. — [4] Joan. I, 9.

XV. Sileat quicumque audit dominicæ Nativitatis sacramentum, et angelicam legationem devota fide veneretur, non curiose vestiget; neque enim divinæ omnipotentiæ difficile fuit reparationis opus pro nobis susceptum ex nobis inchoare.

XVI. Maria ergo hodie cœlum pro nobis facta est Divinitatem portans, quam Christus absque eo, quod a paterna gloria recederet, intra angustos uteri limites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum cœtu elegit, ut nostræ esset salutis instrumentum.

XVII. In ipsa terminum habuere Justorum, ac Prophetarum omnium vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud sidus prodiit, quo duce, «populus, qui ambulabat in » tenebris, vidit lucem magnam [1]. »

XVIII. Diversis Maria nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa namque Templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est, ac fuerat ingressus; cum enim ingressus esset in uterum sine corpore, corpore indutus erupit.

XIX. Ipsa est mysticum illud Cœlum novum [2], in quo Rex regum tanquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quamdam speciem et similitudinem præ se ferens.

XX. Ipsa est Vitis fructificans suavitatem odoris [3]; cujus fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit ut suam ab arbore similitudinem mutuaret.

XXI. Ipsa Fons est de domo Domini egrediens [4], ex quo sitientibus fluxerunt aquæ vivæ, quas si quis primis duntaxat labiis gustaverit, non sitiet in æternum.

XXII. Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse

[1] Isaï. IX, 2. — [2] Apoc. XXI, 1. — [3] Eccli. XXIV, 23. — [4] Joël. III, 18.

arbitratur. Initio namque terra condita est; hodie renovata. Initio ob Adami crimen maledicta est in opere suo [1], hodie vero pax illi et securitas restituta. Initio protoparentum delicto « in omnes homines mors pertransiit [2]; » hodie vero per Mariam « translati sumus de morte ad vitam [3]. » Initio serpens, Evæ auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuæ felicitatis Assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitæ extitit instrumentum.

XXIII. Qui sedet super Cherubim, en modo muliebribus brachiis sustentatur: quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur; quem Throni, Dominationesque metuunt, puella fovet; cujus « sedes in sæculum sæculi [4], » en virgineis genibus insidet; cujus « pedum scabellum terra » est [5], » eamdem puerilibus premit vestigiis.

XXIV. O felicem fortunatumque Adamum, qui, nascente Domino, amissum decus splendoremque recuperavit! Felicissimos mortales, qui cum essent « vasa iræ, » apta in interitum [6], » proprio vestem figulo contexuerunt! Felicissimos iterum dicam, quibus cordium nostrorum Ignem fasciis involutum licuit intueri.

XXV. Tanta fecit Deus ad unius hominis stultitiam corrigendam. Quia servus propria superbia deciderat, Dominus eum sua erexit humilitate.

XXVI. Agamus itaque, fratres charisimi, gratias Deo Patri, qui, ut servos redimeret, suum tradidit Filium. Jesum quoque summis laudibus celebremus, qui altas hominum cicatrices tam feliciter sanavit. Utriusque demum Spiritum pie veneremur, qui datus est nobis, « ut vitam habeamus, » et abundantius habeamus [7]. »

[1] Gen. III, 17. — [2] Rom. V, 12. — [3] I Joan. III, 14. — [4] Ps. XLIV, 7. — [5] Id. CIX, 1. — [6] Rom. IX, 22. — [7] Joan. X, 10.

SERMO IX.

DE SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS VIRGINIS MARIÆ LAUDIBUS II.

I. Inviolata, integra, planeque pura ac casta Virgo Dei genitrix Maria, regina omnium, spes desperantium, domina nostra gloriosissima, eademque optima, ac præcellentissima : sublimior cœlitibus ; candidior solis radiis atque fulgoribus; honoratior Cherubim et multis oculis claris Spiritibus perspicacior; sanctior Seraphim et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. Unica spes Patrum, gloria Prophetarum, præconium Apostolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum et lumen probatissimorum Abraham, Isaac et Jacob, decus Aaron, splendor Moysis, et Gedeonis vellus[1], cœtus Hierarcharum, omniumque Sanctorum ac Virginum corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa. Thuribulum aureum[2], lucerna clarissima, urna pulcherrima cœli manna gestans : tabula scriptam legem mortalibus afferens, arca vera, charta divinissima, princeps omnium prudentissima ac sagacissima, et lucifera virgo : consolatrix sanctissima, et dux universorum, sacratissima puella. O rube ardens incombuste[3], et prædium patens, viridansque Aaronis virga[4]. Virga enim vere extitisti[5] : et flos, filius tuus. E radice quippe David, ac Salomonis germinavit Christus, Creator noster, Deus et Dominus omnipotens, ac solus Altissimus. Tu Deum genuisti et hominem, virgo ante partum, virgo

[1] Judic. VI, 37. — [2] Hebr. IX, 4. Apoc. VIII, 1. — [3] Exod. III, 2. — [4] Hebr. IX, 4. — [5] Num. XVII, 8.

in partu, et virgo post partum. Claves illas portæ orientalis semper clausæ[1] non excussit Deus creator tuus, in virginali tuo utero sine semine carnem indutus; teque, o clarissima, talem præservans, qualis ante partum fueras. Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro, filio tuo dulcissimo.

II. Tu peccatorum et auxilio destitutorum unica advocata es, atque adjutrix; tu portus naufragantium tutissimus: tu mundi solatium; tu orphanorum susceptio; tu captivorum redemptio atque liberatio: tu ægrotantium exultatio, mœstorumque consolatio et omnium salus; tu monachorum ac solitariorum stabilimentum et spes sæcularium; tu virginum gloria, corona ac gaudium; tu mundi lætitia, o Domina princeps, atque regina præstantissima et perquam benedicta, puella honoratissima et dominarum domina purissima atque castissima. Sub tuum præsidium confugimus, o sancta Dei genitrix; sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ, protege et custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurcati sumus: qui sceleribus atque delictis quamplurimis creatorem Deum nostrum, et judicem universorum offendimus: ne adversus nos insolescat, ac glorietur Satanas perniciosissimus: ne in nos insurgat detestandus inimicus noster: ne servos tuos a tui spe excidere cognoscamus; neve calumnietur nos detrectantium lingua. Non nobis est alia quam in te fiducia, o virgo sincerissima. Ex ulnis siquidem maternis tibi, Domina nostra, dediti sumus miseri, tuique clientes appellati: ne igitur a maligno Satana ad inferni portas abduci nos sinas.

III. Tu enim noster es portus, o Virgo intemerata et præses pia auxiliatrix. Sub tua denique tutela et protectione toti sumus: quare ad te unicam confugimus, crebrisque te lacrymis, o beatissima mater, imploramus, tibique procidimus, suppliciter clamantes ac deprecantes, ne dulcis

[1] Ezech. XLIV, 2. Isaï. XXII, 22. Apoc. III, 7.

filius tuus Salvator noster et vitæ omnium dator, ob plurima quæ commisimus scelera, e medio tollat nos, miserabilesque animas nostras instar leonis diripiat; aut sicut ficum sterilem [1], nos excidat. Cæterum obsecramus ut ad Christum securi pervenire possimus, aulasque illas Beatorum subire, ubi non sunt lacrymæ, neque luctus, non vexatio, non molestia, non calamitas, non mors, non cruciatus, non locorum angustiæ : sed lætitia inexhausta, voluptas Justorum maxima, deliciæ infinitæ, exultatio et jubilatio, gloria et splendor [2]. Reple deinceps os meum gratia dulcedinis tuæ, o Domina : et illumina mihi mentem, o gratia plena; move linguam meam et labia, ad laudes tibi alacriter lætoque animo decantandas et præsertim dulce illud melos angelicum longe celebratissimum, quod angelus Gabriel in Nazareth, servili habitu ad te Virginem, matremque Dei mei integerrimam, clamans cecinit [3] : salutationem, inquam, maxime congruentem atque decentem et dignisssimam mundi salutem, cunctarumque animarum medelam atque tutelam.

VI. Dignare me servum tuum humilem laudare te, Virgo sacrata, ac suaviter dicere : « Ave præclarum et electum vas Dei. Ave domina Maria, gratia plena. Ave inter mulieres, virgo beatissima. Ave stella fulgidissima, ex qua Christus processit. Ave lux splendidissima, mater et virgo. Ave, quæ admirabiliter Regem omnium peperisti. Ave, per quam clarissimus Sol justitiæ nobis illuxit. Ave regina, ac domina cunctis sublimior. Ave canticum Cherubim ac Seraphim et hymnodia Angelorum. Ave pax, gaudium, consolatio et salus mundi. Ave humani generis lætitia. Ave Patrum præconium et decus Prophetarum. Ave pulchritudo Martyrum et Sanctorum corona. Ave piorum

[1] Matth. xxi, 19. Marc. xi, 13. — [2] Isaï. xxv, 9. Apoc. vii, 16. — [3] Luc. i, 28.

gloria et laus in solitudine degentium. Ave præclarissimum cœlestis hierarchiæ ornamentum. Ave pulchra hymnographorum omnium oratio. Ave præstantissimum universi orbis terræ miraculum. Ave terrigenarum omnium oblectamentum. Ave paradise deliciarum, totiusque amœnitatis et immortalitatis. Ave lignum vitæ, gaudium et voluptas. Ave lilium convallium et vallis fidelium, mundique salus.

V. Ave portus tranquillissime, et a fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. Ave periclitantium opitulatrix. Ave progenitoris illius Adam resurrectio. Ave jucunda libertas. Ave omnium parens. Ave fons gratiæ, et totius consolationis. Ave peccatorum refugium, atque diversorium. Ave laborantium propitiatorium. Ave profugium in Hierosolymis. Ave throne Creatoris nostri gloriosissime. Ave ævi splendor illustrissime, ac fulgentissime. Ave spes omnium proborum, rebus adversis afflictorum. Ave dulce conversorum solamen, atque præsidium. Ave virorum pariter atque mulierum regina et patrona. Ave Dei et hominum mediatrix optima. Ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima. Ave domina nostra, fœdus pacemque fidelibus tuis impetrans, et sceptrum cunctis imperans. Ave gloria et lætitia omnium sacerdotum. Ave virgo, solitariorum solatium. Ave regina supernorum civium, et domina Angelorum. Ave porta cœlorum, et scala, ascensusque omnium. Ave portarum cœlestis paradisi reseramentum.

VI. Ave nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti et oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti. Ave clavis regni cœlestis. Ave portus tutissime in hac vita navigantium. Ave animæ nostræ spes fida et optima. Ave firma salus universorum Christianorum, ad te sincere ac vere recurrentium. Ave lumen lucidissimum, quo mundus illustratur. Ave mater alma Christi Filii Dei

vivi. Ave nostra omnium protectio insignis et gloria. Ave, quæ nullo spatio comprehensum, tuo sinu ac ulnis comprehendisti. Ave, quæ Christum, vitæ datorem, educasti: Christum, inquam, misericordissimum omnium creatorem, dulcissimum Dominum nostrum Jesum, educatorem atque altorem totius mundi, benignissimum humani generis amatorem et patrem cunctorum omnipotentem: cui convenit omnis honor, gloria, decus, et potentia in perpetuum, laus et jubilatio, atque magnificentia, una cum æterno Patre, et sancto Spiritu, nunc et semper et in infinita sæcula sæculorum. Amen.»

VII. Precibus et meritis sanctissimæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, exercituumque omnium cœlestium, et universi cœtus Angelorum, Cherubim et Seraphim, Prophetarum et Apostolorum, Martyrum et Confessorum, Sanctorumque omnium intercessionibus, miserere tuæ creaturæ, mi Deus clementissime: et a dextris tuis in hora tremendi judicii, humiles servos tuos colloca. Neque, o Domine, vitæ auctor ac dator, ad opera nostra mala, quæ, legem tuam transgrediendo, commisimus, aspexeris: sed potius ad immensam clementiam, et pietatem, atque misericordiam tuam benigne respicias, obsecro, nostrique miserearis. Amen.

SERMO X.

THRENI, ID EST, LAMENTATIONES GLORIOSISSIMÆ VIRGINIS MATRIS MARIÆ, SUPER PASSIONE DOMINI.

I. Stans juxta crucem[1] pura et immaculata virgo, Salvatoremque in ea suspensum cernens, dirissimas plagas perpendens, et clavos, querimonias, alapas, flagellaque prospiciens, magno cum planctu, lamentisque dolore plenis exclamabat, dicens : « Mi fili dulcissime, fili mi charissime, quomodo crucem istam portas? Mi fili et mi Deus, quo pacto sputa, clavos et lanceam suffers? quo pacto colaphos, irrisiones, injurias, ac contumelias pateris? quo pacto coronam spineam, vestemque purpuream, spongiam, arundinem, fel et acetum sustines? Quomodo in ligno pendes mortuus, ac denudatus, fili, « qui cœlum nubibus tegis[2]? » Quomodo sitim tulisti, qui universorum es conditor, quique maria et aquas omnes creasti? Quomodo innocens, in medio flagitiosorum et impiorum moreris? Quid fecisti? aut in quo Hebræorum gentem, fili mi, offendere potuisti? et cur scelerati simul atque ingrati illi te in ligno crucis suspenderunt? Quorum claudos, et languentes plurimos sanasti, mortuos ad vitam revocasti, paralyticum consolidasti[3], mi fili benignissime : quique a nativitate cæcum illuminasti[4], Salvator optime; et viduæ filium vitæ reddidisti[5], o vita universorum : qui Chananææ filiam servasti[6] et Centurionis filium a morte liberasti[7]. Arena quantumcumque numerosa, suam habet mensuram : at tua, mi fili, mira-

[1] Joan. XIX, 25. — [2] Psal. CXLVI, 8. — [3] Matth. VIII. Marc. I. Luc. V, VI, VII, XIV. — [4] Joan. IX, 11. — [5] Luc. VII, 11. — [6] Matth. XV, 28. — [7] Id. VIII, 13.

cula omnem plane modum superant. Lazarum a monumento suscitasti fœtidum : «Lazare mi, inquiens, exi de se» pulcro foras[1] : » et tua eum vox traxit ab inferis et ad vitales, revocavit auras.

II. « At tu quomodo jam occideris, mi fili dulcissime, idemque magnanime Deus? Deficit mihi animus, dum te cruci suffixum intueor, conclavatumque ac plagis plenum, amantissime fili. O Judæi impii, Christique interfectores, in Deum iniqui, et in Creatorem vestrum ingrati. Numquid in eremo ipse vos manna aluit[2]? Numquid per Moysen, mare diremit, et in terram promissionis vos traduxit[3]? Verum tu, popule nequam et abnegator Christi, pro beneficiis maleficia, pro bonis et commodis mala atque contraria rependis, fel pro manna, et pro aqua acetum reponens[4] : potione enim amarissima te potaverunt iniquissimi illi, mi fili. Quinque hominum millia quinque pavisti panibus[5] : et ipsam Judæam tuis implevisti prædicationibus, dilectissime fili. Sed ubi modo species atque pulchritudo tua, mi fili? ubi tuus ille nunc decor? Et quomodo in cruce jam extinctus es, fili mi et Deus meus? Sol suum obscuravit lumen, et a se alius factus est; lucida luna in tenebras versa est : petræ scissæ sunt et monumenta aperta, ipsumque templi velum in duas partes discissum est[6]. Creaturæ illæ suum agnoverunt Creatorem, atque opificem, et perversi isti, ac miseri Hebræi suas obturarunt aures, clauseruntque oculos, ne Solem nullo unquam tempore occidentem aspicerent, mi fili.

III. « O Gabriel, archangele et minister Dei! O Gabriel archangele, age jam et tuere causam. Ubi illud nunc

[1] Joan. XI, 43. — [2] Exod. XVI, 14 et seqq. — [3] Josu. II, 10; III, 17. — [4] Matth. XXVII, 34. Marc. XV, 23. Luc. XXIII, 36. Joan. XIX, 29. Psal. LXVIII, 22. — [5] Joan. VI, 13. Luc. IX, 16, 17. — [6] Matth. XXVII, 45. Marc. XV, 33. Luc. XXIII, 45.

Ave, o Angele? Ubi Ave illud benedictum, quod ad me dixisti, o nuntie? Ubi modo illa lætitia, ac benedictio, qua dixisti mihi: «Benedicta tu in mulieribus [1]?» Quorsum vero dolorem et victimam, quam dilectissimi filii mei nomine acceptura eram, non patefecisti, dum magnum illud mihi gaudium, quod ab initio percepi, significasti? In continuis tribulationibus, atque gemitibus fui: semperque immensam Judæorum invidiam et perversorum erronum ac transgressorum ingratitudinem sustinui. O Simeon admirande! ecce jam gladius, quo cor meum trajiciendum prædixisti [2]; ecce gladium, ecce vulnus, mi fili et Deus meus. Mors tua cor meum subiit: dirupta sunt mea viscera: lumen meum obscuratum est; pectusque meum dirus gladius pertransiit. Tremendam tuam passionem intueor, fili mi et Deus meus. Immeritam mortem tuam cerno: nec succurrere queo.

IV. «Ubi modo forma tua, ac decor, mi fili? Miserere jam desolatæ, atque orbatæ matris, mi fili. Miserere dejectæ ac derelictæ Mariæ, o dulcissime. Miserere, pientissime fili: et me consolare. Respice, mi fili, lacrymas meas: attende suspiria mea ac gemitus, et os tuum aperi. Solatium mihi præbe, mi fili; non enim habeo prorsus ubi vel caput reclinem [3]. Non alius mihi superest cognatus, pater vel mater, frater aut soror, qui animum mihi reddant. Tu mihi es pater, tu frater, tu filius; tu mihi vita et spiritus, spes atque protectio [4]; tu mea es consolatio et creatio; tu Dominus meus et Deus meus: tu creator et opifex meus. Plangite jam mecum, cunctæ discipulæ Domini, quæ dolores meos, et profundissima cordis mei vulnera aspicitis. Tu mihi, jam crux sanctissima, lignumque benedictum, decumbe, ut dilectissimi filii mei, ac Dei mei plagas exosculer, propriumque filium salutem: ut filii mei corpus

[1] Luc. I, 28.—[2] Id. II, 35.—[3] Matth. VIII, 20, Luc. IX, 58.—[4] Psal. XXX, 4.

amplectar et os suavissimum, oculosque ac faciem, manus atque pedes, et cædem iniquissimam deosculer. Decumbe crux veneranda, decumbe. Eximia, o crux, tua est gloria : magna tua gratia, immensaque vis tua atque potentia. O lignum sanctum, ac benedictum, in quo Deus tuus atque Creator innocens, instar latronis et nocentis, expansus est!

V. « Mi fili, fili mi suavissime atque charissime, honoro tuas illas afflictiones : colo et adoro misericordiam et magnanimitatem tuam. Veneror lanceam, vulnus, arundinem, clavos, spongiam, alapas, irrisiones atque opprobria, fel et acetum, sputa, colaphos et verbera, mi fili dulcissime. Sed quoniam cuncta illa, creaturæ tuæ gratia, perpeti placuit; ignominia tua, mi fili, gloria cunctis facta est : tuaque mors toti mundo vita evasit. Verum enimvero, resurge quamprimum, mi fili et Deus, sicut prædixisti mihi, ut totus mundus salvus fiat. Mortem atque interitum tua morte protrivisti ac conculcasti, ut gaudium majus mihi humili matri tuæ affulgeat, mecumque lætentur cuncti dilecti tui : erubescant autem et confundantur quicumque tui inimici. »

VI. Sed te, jam nos, o pura et immaculata eademque benedicta Virgo, magni filii tui, universorumque Dei mater inculpata, integra et sacrosanctissima, desperantium atque reorum spes, collaudamus. Tibi, ut gratia plenissimæ benedicimus, quæ Christum genuisti Deum et hominem : omnes tibi procidimus : omnes te invocamus et auxilium tuum imploramus. Eripe nos, o Virgo sancta, atque intemerata, a quacumque necessitate ingruente et a cunctis tentationibus diaboli. Nostra conciliatrix et advocata in hora mortis atque judicii esto : nosque a futuro inextinguibili igne, et tenebris exterioribus libera [1] : et Filii tui nos gloria dignare, o Virgo, et mater dulcissima, ac cle-

[1] Matth. VIII, 12; XIII, 42; XXII, 15; XXV, 30. Marc. IX, 42, 43. Luc. III, 9.

mentissima. Tu siquidem unica apud Deum Christianorum spes nostra es securissima et sanctissima; cui gloria et honor, decus atque imperium, in sempiterna sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

ENCOMIUM IN PETRUM, ET PAULUM, ET ANDREAM, THOMAM, ET LUCAM, ET JOANNEM, ET IN LECTIONEM EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

I. Salvete reges sancti, Apostoli Christi: vobis enim credidit superius regnum, et inferius: baculum tradidit, ut utrasque sedes distribuatis, et gregem pascatis: inferioris quidem, volens ut hæreditas recte disponatur; superioris vero, ut gloria effulgeat, pulchritudo augeatur, lumen manifestetur, mysteria cognoscantur, potestas prædicetur. Salvete sal terræ, quod nunquam potest evanescere. Salvete lux mundi in oriente manens, et ubique resplendens, illuminans tenebris oppressos, atque absque pabulo ardescens. Lucerna Christus, candelabrum est Petrus, oleum autem subministratio sancti Spiritus. Salvete lux mundi, cui omnis nox cedit, nubes tenebras non offundit, procella non resistit, neque turbo imminet; e contrario vero quæ sunt in nobis umbrosa illustrat, occulta profert, abscondita detegit, conscientias purgat. Salvete sacerdotalis characteris impressores, magistrorum institutores, piscatores gentium, populorum concionatores; justorum magistri ad certamen, peccatorum fullones, iniquitatis occisores, infidelium illuminatores, custodes invisibiles, mercatores sump-

tuosi. Salvete et meæ vocis excussores, peccatricis linguæ exornatores, meæ imbecillitatis confirmatores, infirmitatis meæ confidentiæque præceptores, meorum sermonum artifices. Salvete qui peram non habetis, et universum mundum divitiis impletis; quibus non erat virga superflua, et undique lupos abigebatis; quibus non erat duplex tunica, sed reges a vobis vestiebantur; quibus duplicia calceamenta non erant, sed terram cursibus concutiebatis : nubes pedes vestros subibant, Angeli comparebant viam præparantes : mare vos ambulantes tanquam naves necessaria instrumenta ferentes sustinuit; quibus in zona argentum non erat, neque aurum crumena portabat, sed multa profecto ex pera claudis fœnerabatis. Vestrum cingulum cæcus cum tetigisset, dierum cursum enumerare incœpit, atque oculis solem examinare, et digito monstrare stellas, quas antea non noverat.

II. Salvete, diabolum qui impeditis; qui dæmones supplantatis; qui fraudes destruitis; qui deceptionem ex animis nostris aufertis; quorum semicinctia Domini fimbrias imitantur; quorum umbræ medicamentorum officinas multas ac varias in urbibus simul, et in regionibus instituerunt. Salvete thesauri repertores in agro absconditi, qui mulieri perditam drachmam ostendistis; qui Christo duplicia obtulistis talenta prædicationis, quæ vobis fuerant commissa; qui sagenam ex omni genere congregantem in profundum mundi demisistis; qui pisces cepistis, quos etiam nunc in cœlis Rex cœnans in deliciis habet; qui prudentem mulierem diligenter tria sata farinæ miscere, unumque fermentum efficere docuistis; qui sepes abstulistis, et vias aperuistis, et deserta investigastis, et secus viam vocatos Sponsi nuptiis saturastis. Salvete, qui angularem lapidem, atque ex ipso regios thalamos tam grandes constituistis, tam magnas Ecclesias in terra cœlo similes erexistis, tam ingentia

altaria vivifico sacrificio stabilivistis. Salve simul o Paule, et tu quoque Petre, et Andrea, et Thoma, Luca, et Joannes, et vobiscum reliquus Apostolorum delectus : in vobis enim et reliquos habemus, in præsentibus universos tenemus. Salve vis alarum sex invisibilium Seraphim, fundamentum sex dierum creaturæ visibilis, superhumeralis sacerdotalis senorum lapidum distinctio, sex panes mensæ, quam Deus ostendit, et Moyses descripsit, et Besaleël construxit : sex hydriæ, quas Cana Galilææ possedit, quorum quidem aqua vinum fuit, vinum autem lacte mitius, et melle dulcius; non enim illud corruptibilis vitis, sed incorruptibile verbum protulit, neque racemus luteus excoluit, sed Dei vox, et verbum Creatoris, conditorisque imperium.

III. Salve, o Petre : bene atque in commune inter vos ipsos et singillatim rursus singuli primorum sacerdotum etiam atque etiam gratulamini. Salve, o Petre, peccatorum porta, pœnitentium confidentia, conversorum adhortatio, revocatio abnegantium, lapsorumque consolatio. Salve, o Petre, discipulorum lingua, prædicantium vox, Apostolorum oculus, cœlorum custos, clavigerorum primogenitus. Salve, o Petre, diaboli certamen eludens, post cladem victoriam violenter reportans, supplantans maximum supplantatorem, qui retulisti post vulnus bravium, qui post casum tropæum erexisti, atque ex capite adversarii coronam eripuisti.

IV. Salve o Paule, cui a nobis rationes debentur multæ; cui universa civitas ad encomium effusa est : cujus omnis terra et sementem portat, et manipulos ostendit : cujus unguenta etiam regibus placuerunt, placarunt principes, infidelium nares a sordibus eripuere. Salve, o Paule, qui Atticam reprehendisti tanquam ignorantem; qui Atheniensium fastum transmutasti; qui rhetores persuasisti ut indoctis cederent, et sophistas

idiotis ut aures præberent induxisti : qui Areopagum stupere effecisti cœlestibus dogmatibus. Salve, o Paule, qui in cœlum sublatus fuisti, nescio autem quomodo, neque enim scio utrum pennis, an pedibus; qui in Paradisum raptus, an et tunc, qui te portabant, latuisti; qui verba audisti, omni auditione majora : qui Epistolas scripsisti, quibus, cum æquales sint legibus, etiam barbari parent : qui calamo gentes ad prudentiam revocans, charta autem vivendi rationem commutans, terram etiam atramento correxisti.

V. Salve, o Luca medice et scriptor, qui sapientiæ primos honores decerpsisti; qui paradisi eximios flores deliciasque vindemiasti : qui majus poculum miscuisti convivio : qui apposuisti obsonium, in quo convitator majestatem præ se fert, et cœna extollitur, et vocati lætantur. Salve, Luca, cujus laudem universæ Ecclesiæ meditantur; a quo quisque aliquid supra alios addiscere expectat, ut tota evangelica gratia perfectus sit. Non præteriisti prima, non siluisti secunda : duplicem librum scripsisti, quorum alter ab altero testimonium mutuatur. Salve, Luca : tu enim nobis interpres fuisti descensus Gabrielis; tu Virginem gratia plenam ornasti, virgineum in modum coronans, regali ritu postea ad sponsalia Spiritus ducens; tu nobis Elisabeth exultationes manifestasti : tu carnis Christi circumcisionem silere non sustinuisti, ut ostenderes carne eum omnia nostra esse passum, et carnem factum, nostri causa sustinuisse.

VI. Salve, Andrea, primorum primus, panem a pane suscipiens, primus ex terra bibens, a qua vitæ flumina per universum mundum infra supraque dispertiuntur. Salve, Andrea, qui de lacu ad cœlos commigrasti; qui gratiæ locasti sagenam; qui rete spiritui cessisti; qui Christo Simonem veluti piscem obtulisti; qui piscationem exorsus es ex

piscatoribus, et Apostolis, et præconibus, et regibus, et ducibus clavigeris : hæc enim omnia, atque etiam his majora erat Petrus. Salve, Andrea, qui Verbum per Vocem dignoscens, et per Lucernam de Sole edoctus fuisti, et per Præcursorem præcucurristi Regi latenti : qui audivisti agnum, et intellexisti Deum : qui interrogasti, « Ubi habitas [1], » eum qui nullo loco, atque ubique est : nullo loco quidem, quia qui supra omnem locum est, illum nullus locus capit : ubique vero, quia omnia implevit.

VII. Salve, Joannes Baptista et saltator, saltator et buccinator, veterum exitus et novorum ingressus, qui ex ventre locutus est, quæ senectuti latuerunt : puer qui prophetasti, quæ senibus fuerunt occulta. Salve, Joannes, qui vidisti columbam invisibilem : qui vidisti columbam, cujus pedes soluti, et pennæ liberæ : qui vidisti columbam, quam gladius non attingit : qui columbam vidisti, quæ ex materia non facta est. Salve, Joannes [2], ... triumphum retulit propriis vulneribus de morte, et militis lanceam beatam simul, et terribilem remisit, lancea vulnerato : ex ipsa enim ostensus est Pastor bonus, pastor ponens animam suam pro ovibus, postquam sitientem proprium gregem conspexit, et latus aperiens ex illo potum ministravit : lancea vulnerato, vulneranti terribilem, terribilem, et ferocem : aperuit thesaurum, et divitias non accepit : indicavit fontem, et potionem non sustinuit : omnibus potum præbuit, sibi ipsi negavit : aperuit portam lumini, et oculos clausit.

VIII. At Thomas non sic : sed quomodo ? Ipsum audi cum Davide psallentem : « Voce mea ad Dominum clamavi, » vox mea ad Deum, et intendit mihi [3]. » Quid intendit ? Quod non diffidens quæsivit, ac minime deficiens assecutus est. « In die tribulationis meæ : » in egestate, que nempe

[1] Joan. I, 38. — [2] Aliqua desunt. — [3] Psal. LXXVI, 2.

in cogitationibus est, « Deum exquisivi, » volens scire an quemadmodum panes, et aqua, et pisces, panes multiplicati, aqua mutata, pisces sponte hamo insilientes; sic etiam mors Deum te post mortem, quam confixisti, commendat et testatur. « Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et » delectatus sum [1]. » Cerne quantam habeant generositatem Prophetarum verba, atque apostolicæ theologiæ dogmata? « Voce mea ad Dominum clamavi : vox mea ad Deum, et » intendit mihi. » Non dixit solum ad Deum. Et aliquando ad ipsum voce clamavit Thomas, quando Apostolis dicentibus : « Vidimus Dominum, » ipse dubitans ait; « Nisi vi-» dero in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam ma-» num meam in latus ejus, non credam [2]. » Deinde post aliquot dies cum Christus ipsi apparuisset, ac dixisset : « Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et noli esse » incredulus, sed fidelis; » ipse stupefactus magna voce respondit : « Dominus meus, et Deus meus. » Christus vero vocem non respuit, sed lubens suscepit : atque idcirco calamus prophetiæ adjunxit : « Et mihi aurem præbuit. » Quis vero attentionis modus? Adesdum, adesdum, audi : cum animadverteret etenim Dominus dubitare discipulum, præconem torpescere, Apostolum dissidere, reprehensionem audi : qualem? Illum perstringere, nobis vero lumen præferre volens, addidit : « Quia vidisti me, credidisti : » beati qui non viderunt, et crediderunt [3]. »

IX. At vero Thomas non silet; verum quam defensionem attulit ad hanc reprehensionem? Joannes quidem ipse non refert; David vero celare non sustinuit; sed clara voce prædicat, quoniam Prophetarum spiritus subditur Prophetis. Quæ igitur fuit defensio? « In die tribulationis meæ » Deum exquisivi : manibus meis nocte contra eum, et non » sum deceptus [4]. » Ne acerbe feras, inquit, o rex; ne iras-

[1] Psal. LXXVI, 3, 4. — [2] Joan. XX, 25. — [3] Ibid. 26, 29. — [4] Psal. LXXVI, 3.

caris, o liberator; ne indigneris, o Domine : « In die tribu-
» lationis Deum exquisivi : » cor oppressum fuit, ratio effluxit, mens dubitavit : conturbaverunt me Pharisæorum sermones, commoverunt me Scribarum verba, Pilati proditio fidem meam concussit. Concusserunt meam fortitudinem militum voces, qui argento corrupti sunt. Quales hæ? « Discipuli ejus venientes nocte nobis dormientibus » furati sunt eum [1]. » Ad hæc cogitatio dubitavit, cor attritum est, et dies tribulationis dies lætitiæ facta est. Ideo dicit : « In die tribulationis meæ; » non tribulationis tantum, sed tribulationis meæ.

X. Mulieres enim unguentis assumptis lætatæ sunt; Petrus et Joannes, cum vidissent linteamina, exultaverunt; reliquus vero Apostolorum cœtus illius visione dignatus, non gavisus fuit solum, verum etiam subito exultaverunt, ac tripudiarunt. Exultarunt quidem mystice, tripudiarunt vero spiritaliter. At vero ipse in tribulatione : nulla enim re ex supradictis fui dignatus; verum neque sic omnino deceptus sum; sed in die tribulationis meæ te Deum meum exquisivi : ipsis non dixi : Quid mihi, et Crucifixo? Confixum redemptorem non voco, passum carne ego non possum Deum appellare, sed te exquisivi manibus meis dicendo : « Nisi mittam manum meam in latus ejus, non » credam [2]. » Itaque te Deum meum exquisivi manibus meis nocte contra Deum, et non sum deceptus : inveni enim quem exquisivi majorem : palpavi quem desiderabam, splendidiorem : inveni plagam sine plaga : vidi vulnus, et tabes non erat. Tetigi vibices, et incorruptibilitas inerat. « Renuit consolari anima mea : » quando? cum ludibria Judæorum audiebam. « Sed memor fui Dei, et delectatus » sum [3]. » Simul ac digitos in cicatrices vivificas immisi, recordatus sum Deum carne indutum. Memor fui et delec-

[1] Matth. XXVIII, 13. — [2] Joan. XX, 25. — [3] Psal. LXXVI, 3, 4.

tatus, de Deo cogitavi duplicia. Non dixi solum, « Dominus,» neque solum « Deus ; » sed « Dominus meus, et Deus » meus : » ad ipsum theologicum sermonem referre volens, de quo, inquit, Moyses dicebat : « Hic Dominus Deus tuus : « Deus deorum est, et Dominus dominantium [1]. » Ad ipsum theologiam referre volens, quem sic nobis Osee calamo prophetiæ adumbravit : « Convertere, Israël, ad Deum tuum, » quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum » verba, et convertimini ad Dominum Deum vestrum [2]. » Ad illum theologicum sermonem referre volens, de quo hæc Amos, atque ita in prophetiis pronuntiavit : « Hæc di» cit Dominus Deus exercituum Dominator, in omnibus » plateis planctus, et in omnibus viis dicetur væ, væ [3]. » Ad ipsum divinum verbum referre volens, cui et hæc etiam Joël propheta optimus, et theologus cecinit. « Converti» mini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, et mi» sericors est, patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis » super malitia [4]. » Ad illum theologicum sermonem referre volens, ad quem Jonas in ventre ceti cecinit : « Clamavi de » tribulatione mea ad Dominum Deum meum [5]. » Ad ipsum referre volens theologicum sermonem, quem Abdias adumbravit his verbis : « Hæc dicit Dominus Deus ad Edom : « Auditum audivi a Domino, et legatum ad gentes misit [6]. » Ad ipsum volens referre divinum dictum, sicut maximus propheta Habacuc talia jam ante generationes multas, de Christo et ipse divinitus disserens, pronuntiavit : « Num» quid non tu a principio, Domine, Deus sanctus, et non » moriemur [7] ? » Et ab initio Joannes post ipsum, et cum ipso commendat : « In principio erat Verbum, et Verbum » erat apud Deum, et Deus erat Verbum [8]. » Dominus Deus, et non moriemur. Quare ? quia tu pro nobis retribuens

[1] Deut. x, 17.— [2] Osee. xiv, 2, 3.— [3] Amos. v, 16.— [4] Joël. ii, 13.— [5] Jon. ii, 3. — [6] Abd. i, 1. — [7] Habac. i, 12. — [8] Joan. i, 1.

mortem. Ad ipsum referre volens theologicum sermonem, ad quem jam hujusmodi Sophonias protulit : « Silete a facie » Domini Dei nostri, quia juxta est dies Domini, quia præ- » paravit Dominus hostiam suam [1]. » Ad ipsum volens referre divinum sermonem, quem neque Malachias propheta ignoravit : ait autem sic : « Uxorem adolescentiæ tuæ noli » despicere : cum odio habueris, dimittes, dicit Dominus » Deus Israël. Operiet autem iniquitas vestimentum tuum, » dicit Dominus exercituum [2]. » Ad ipsum theologiam referre volens, de quo talia alius propheta Aggæus exposuit : « Et audivit Zorobabel filius Salathiel ex tribu Juda, et » Jesus filius Josedech, et sacerdos magnus, et omnes reli- » quiæ populi vocem Domini Dei sui [3]. » Ad ipsum divinum verbum referre volens, cujus Zacharias in sermonibus jamdudum etiam passionem publicavit, dignitatemque explicavit : « Et veniet Dominus Deus, omnesque Sancti cum » eo, et erit in die illa : non erit lux, non dies, neque nox, » et in tempore vesperi erit lux [4] : » Cursus enim diurnus fuit, non dies. Nam nox imperata diem abscondit : ad vesperam vero facta est lux. Etenim dies lucem propriam recepit. Ad ipsum referre volens theologicum sermonem, quem maximus Isaïas tantopere decantavit : « Dominus » Deus virtutum egredietur, et conteret bellum, et suscita- » bit zelum [5]. » Dominus Deus unde egredietur ? Ex sinu Patris egredietur, et non revertetur : egredietur autem carne, manet vero Divinitate : et conteret bellum crucis virtute, quoniam durum peccati et inimicitiæ stimulum inutilem reddidit : et suscitabit zelum, quem pedes Hebræorum propter signa, et prodigia sustinuerunt. At vero contra quem suscitabit ? Contra invidos, et ideo blasphemos.

[1] Sophon. I, 7. — [2] Malach. II, 15, 16. — [3] Agg. I, 12. — [4] Zach. XIV, 5. — [5] Isaï. XLII, 13.

XI. Detrimentum enim nullum, qui blasphemiis appetitus fuit, sustinuit in propria gloria : testatur autem Apostolorum collegium, testatur piscatorum gloria, testatur illitteratorum vox, testatur indoctorum sermo, testantur dogmata loqui nescientium, quæ ubique prævaluerunt. Concurrerunt per orbem, pauperis habitum ferentes, divitias vero ab iis reges mutuati sunt. Testatur Ecclesiæ desiderium, testatur sacerdotis optimus scopus, quod infirmitati carnis vim affert, et perpessiones non curat, ut imitetur vulnera, et præmia reportet. Qui enim compatitur, merito conglorificabitur : qui suffert, conregnandi sortem consequetur. « Nemo seducat inanibus verbis [1] : » non conceditur coronam referre per relaxationem, neque bravium regale per delicias reportare : « per multas tribulationes oportet nos » introire in regnum Dei [2]. » At tu dices omnino : « Non est periculorum tempus, reges non persequuntur; sed contra, Ecclesiam coronis exornant, sacerdotes laudibus prosequuntur, fovent populum, atque ad piscatores accurrunt : principes tuentur spiritus theatrum; plebes stant a nobis, qui fideles sumus, nostrorumque bonorum participes esse gloriantur. Quas igitur tribulationes commemoras ? In deliciis sunt omnes, nos autem jejuni sumus. Sudore perfundimini, et meo sermoni dare locum detrectatis. Stando defessi estis, et nugacem oratorem non vocatis, sed contra desiderium crescit, charitas augetur, preces duplicantur, imo multiplicantur, ut roboretur vas fictile, ut expurgetur vasculum luteum, ut lingua putrida spiritu renovetur. Ipsi gloria, et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eph. v, 6. — [2] Act. xiv, 21.

SERMO XII.

ENCOMIUM IN GLORIOSOS MARTYRES, QUI IN TOTO MUNDO MARTYRIUM SUNT PASSI I.

I. Illustris et peramabilis est semper Angelis atque hominibus memoria Sanctorum, ut et nos pari zelo atque fervore decertemus, et ad eorum imitationem Deum diligamus. Igne namque ardentius incidit in corda, suadetque ut contemnamus vanum hunc mundum, et omnia quæ in eo delectabilia apparent ac jucunda, omnemque vitæ istius consuetudinem noxium, et parentum amorem, ac fratrum benevolentiam, conjugis quoque, ac liberorum et possessionum omnium nimiam curam atque sollicitudinem: quin et in sublime mentem nostram erigit, cogitationemque a cunctis rebus terrenis ad cœlestia elevat, et choros cum Angelis ducere facit atque hinc throno Altissimi assistere, et dum adhuc in corpore sumus, ut imitemur incorporeos; et in terra incedentes, cœlestia sapiamus. Sic enim et Paulus, vas electionis et doctor gentium, omnes cohortatur, scribens ut « quæ sursum sunt sapiant, » ubi Christus est a dextris Dei[1]. » Quicumque igitur toto corde ad Deum accedunt, et omnem curam atque sollicitudinem in eum projiciunt, non amplius propriæ indulgere debent voluntati, neque carnis voluptates deinceps sequi, corporeisque perturbationibus inescari ac decipi. Nam qui in Deum credit, non debet hæsitare ac dubitare, tanquam penuria aliqua laboraturus in suo ministerio: qui enim

[1] Coloss. III, 1.

modicæ est fidei, velut incredulus judicatur, non firmam in Deum spem habens.

II. Sic quippe Martyres toto se corde ac animo tradiderunt Deo, ut deinceps et ipsam mortem, et cunctas inimicas tyrannorum minas contemnerent, parati ad perferenda verbera, et tormentorum necessitates, diversosque totius corporis cruciatus. Terga in lororum dederunt sectiones, et in varias fibrarum atque medullarum concisiones. Ideoque impii tyrannorum ministri, quod sanguinarii et parricidæ essent, arreptos Sanctos flagris divellebant, unguibus autem latera acriter dilacerabant; postea plumbatis dorsa ipsorum atroci animo crudeliter contundebant; pectoris vero juncturam acutis veruculis, infrementes atque rugientes, truculentarum ferarum instar, diffindebant, et eorum axillis globos ignitos admoventes, magna eas crudelitate adurebant. Crura ac femora cum nervis ensibus præcidebant. Venarum autem fistulas cultris discindebant; et membrum vel unum sine tormento atque supplicio non relinquebant. Quin et ossa ipsorum immaniter confringebant; atque ideo virtutem a Deo accipiebant, ut cunctas fortiter passiones sustinerent; et quasi sensus doloris expertes, sese ad quascumque insidias gerebant, et tanquam in alienis corporibus paterentur; imo et iis, qui ipsos excruciabant, audacter insultantes, ad majorem eos iram excitabant, dicentes: « Si graviora habetis tormenta, admovete nobis, hæc enim nullius momenti sunt. » Quare etiam illi magis incensi, iraque effervescentes, velut immanissimæ feræ adversus ipsos rugiebant; increpatisque lictoribus, vehementius sacra sanctorum pugilum corpora cædenda dilacerandaque curabant. Illi vero vicissim ad præfectos; « Ubi sunt, inquiebant, suppliciorum vestrorum minæ? nam ignis vester frigidus apparet, ac tormenta inefficacia, percussores imbecilli, et gladii vestri ligna marcida. Nihil quod nostræ respondeat

promptitudini atque alacritati, habetis; ad plura et majora toleranda parati consistimus. »

III. Quapropter mortui, tanquam viventes operantur, ægrotos sanant, dæmones expellunt, omnemque tyrannidis ipsorum nequitiam virtute Domini in fugam agunt. Semper enim sanctis Reliquiis gratia adest Spiritus sancti, quæ cuncta in eis miracula edit; quoniam viriliter Christum coram hominibus in magna patientia confessi sunt. Quare et ipse eos coram Patre et Angelis suis prædicavit, promisitque eis bona illa, quæ « oculus non vidit, nec auris audi- » vit, neque in cor hominis mortalis venerunt [1], et in quæ » Angeli prospicere desiderant [2]. » Et quid amplius hic sermone persequi atque explicare volumus? Cohæredes ipse sibi eos effecit. Hæreditas autem Christi quænam sit, ut ego existimo, nemo ignorat: cœli cœlorum, et omnia quæ in eis sunt; lux inaccessibilis, thronus gloriæ, fons mansuetorum, et omnis paradisus cum cunctis quæ in eo sunt arboribus, fructuque suavissimo. Hæ Christi Regis sunt possessiones, et aliæ præterea infinitæ, quarum etiam ignotæ sunt nobis appellationes, quoniam hominum conspectui non patent.

IV. Felicissimi sunt omnes Sancti ob hæreditatem illam qua perfruentur, perpetuamque conversationem cum Christo, in quo lumen resplendet, quod est super omne lumen: cujus inexplicabilis gloria substantiæ et impervestigabilis magnificentia, et inscrutabilis manifestatio dispensationis mysterii Incarnationis super terram. Perfecta figura atque imago ejus [3], qui genuit ipsum, et fons vitæ, omniumque opifex. Immobile Confessorum fundamentum, certantium corona, et vincentium remunerator, « Deus fortis, » et princeps pacis [4]; » Inferorum spoliator et mortuorum vivificator. Ipse sanctos Martyres corroboravit, ad

[1] Isaï. LXIV, 4. I Cor. II, 9. — [2] I Petr. I, 12. — [3] Sap. VII, 26. Hebr. I, 3. — [4] Isaï. IX, 6.

tyrannorum crudelia consilia superanda. Ipse omni genere armaturæ suos milites ad hoc bellum instruxit, circummuniens eos undique scuto fidei, et charitatis thorace, mentisque ac voluntatis firmitate : accingens eos gladio spiritus, quo hostis caput amputarunt, templa idolorum funditus everterunt, statuas ut pulverem minutissimum confregerunt, delubra atque altaria immundorum sacrificiorum iniquorumque libaminum diruerunt; et execrabiles ipsorum sacerdotes simul cum æditius igne comburendos curavit Christus, fallaciumque simulacrorum dæmones ab eis depellens, gehennæ tradidit.

V. Cernentes porro ista gloriosi Martyres sic agi virtute Christi, majorem alacritatem pro nomine potentiæ ipsius patiendi sumpserunt, manuque propria deinceps idola dejecerunt, conterentes in terra cunctas abominationes : et ubicumque simulacrum constitutum inveniebant, lapidibus confringentes in lutum projiciebant, ad extremam ignominiam atque derisionem eorum qui colebant et adorabant ea ; dicebantque ad iniquos principes ac tyrannos : « Ecce simulacra vestra sensus expertia, muta, surda et infirma, cæca et immobilia, quæ vos colitis : vos, inquam, qui ratione præditi estis, et quos Deus secundum propriam honoravit imaginem, ut ejus potentiam agnosceretis, ipsique cum timore ac tremore serviretis, et quæ grata atque accepta ei essent, quotidie faceretis. Ipse enim Deus est absque principio, et fortis, terribilis, et potens, gloriosus et invisibilis. Omittentes porro adorare Creatorem vestrum, creaturam potius colitis in exacerbationem ipsius. Solem ad illuminationem fecit diei, ut lucem et calorem ejus percipientes, Creatorem illius semper glorificaretis, qui earum rerum vobis usum præbuit atque oblectamentum. Vos autem, tanquam cæci, relicto Creatore, creaturam potius ipsius coluistis. Lunam similiter propter vos

creavit sapiens Opifex, ut præluceret nocti : vos vero velut insipientes, etiam hanc pro Deo reputantes, ipsi cultum attribuistis. Cæterum misericors Deus patienter tolerans, expectat semper conversionem omnium : cum nolit mortem peccatorum, sed conversionem ipsorum præstoletur, semperque clamat, dicens : « Venite ad me omnes, qui laboratis, » et onerati estis [1] » peccatis, quique gravati estis ponderibus onerosissimis illicitarum actionum ac voluptatum carnalium; et ego in deliciis æternis « vos reficiam, » concedens vobis remissionem peccatorum vestrorum, et ut filii regni mei efficiamini, ac cum omnibus pariter electis meis reficiamini. »

VI. In hanc sententiam ad conversionem impios sancti Martyres hortabantur, si forte salvari vellent. At contra insipientes illi subsannabant eos, maledictis impie incessentes ac proscindentes eorum admonitiones; « Quoniam in » malevolam ac dæmoniacam animam non introibit sapien» tia [2] » atque intellectus. Sancti vero omnia dicebant et faciebant in conversionem ipsorum : et quidem flagellati atque percussi, implebant dictum sui Domini : « Diligite ini» micos vestros, et eos qui oderunt vos [3] : » ut similes reddamini Patri vestro cœlesti, oblivioni injurias acceptas tradentes, et omnium miserentes. Beati ergo sunt hi Christi pugiles, qui lucem et vitam modo æternam participant : fidei columnæ, et charitatis vincula, viva fundamenta, et qui omnia continent : filii castæ ac venerandæ Christi Ecclesiæ, turres graves Sion, quæ in cœlis est. Hi nunc Sponsam Salvatoris exhilarant : hi decorem ejus exornant; hi ornatu atque elegantia quadam spiritali ipsam illustrant, et sicuti reginam circumamictam vestitu deaurato, variis eam proprii Domini virtutibus adornant : speciosam nimirum Ecclesiam, quæ astitit a dextris ejus,

[1] Matth. xi, 28. — [2] Sap. i, 4. — [3] Matth. v, 44. Luc. vi, 27.

fulgore spiritus resplendens, claritatem sensibilis solis superans, et supra quam humana assequi cogitatio queat, fulgorem omnem infinities excedens.

VIII. Hujus porro sponsor ac paranymphus divinus apostolus Paulus, sapiens architectus, qui antea quidem expugnabat ac depopulabatur ipsam, æmulationem habens legis, sed non secundum scientiam. Saulus enim cum adhuc diceretur[1], omnia perturbatione magnaque confusione replebat : trahensque ac flagris cædens eos qui Christum colebant, vinctos omnes in carceralem custodiam tradebat, minas et cædem incomparabilem spirans adversum eos, qui prædicationem annuntiare volebant, et in externis civitatibus summopere elaborans, diligenterque investigans, si quis forte inveniretur Christum nominans : ita quippe odio vel in ipsum nomen exarserat, quod omnibus hominibus dulce est ac expetendum, genusque humanum ab errore salvat. Vehementer autem sæviens in Verbi discipulos, evolat cum epistolis pontificum : ut si quos inveniret Christum nominantes, viros pariter ac mulieres, alligatos traderet cruciandos præsidi, mortisque pœna mulctandos. E cœlo autem vocatus a benignissimo Domino, cohibitus est et retardatus a cursu, quem pessime currebat. « Saule » enim, « Saule, » inquit, « quare me persequeris, » ignorans potestatis meæ virtutem? Inhibe atque omitte deinceps importunam æmulationem ; et desine persequi eos, qui me adorant. » Saulus autem, oculis corporis excæcatus vi immensæ lucis, quæ ad ipsum loquebatur in nube lucida, stupefactus jacebat in terra : apertisque oculis suis, neminem eorum videbat, qui comitabantur cum ipso. Accipiens enim sermonem, sicut piscis hamum, et profundo sursum tractus, utiliter excæcatus est : claraque et illustri vita, judaïcisque institutis abdicatis, exinde se-

[1] Act. IX.

cutus est Christum. Et in piscinam dulcium fluentorum immissus, respexit ad vocationem Christi, ac Paulus mutato nomine vocatus, requiem præbuit Christi discipulis: et prædicator securus, et columna firma fidei effectus, affirmavit semper ipsum esse Christum; qui paulo etiam postea propriam tradidit animam præ nimia sua dilectione. Sic enim tota mente Christum amavit atque desideravit, ut se ipsum totum pro ipso periculis traderet: volensque demonstrare amorem desiderii, quo in eum ferebatur, ita omnibus scribebat. « Quis nos poterit separare a charitate » Christi? tribulatio? an augustia? an persecutio? an fa» mes? an nuditas corporis? an periculum? an gladius [1]?» Recensuitque, dicens: « Neque Angeli, neque Principatus, » neque Virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque » alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est » in Christo Jesu Domino nostro [2]. »

VIII. Quis, obsecro, nunc dicere poterit se ita diligere eum, qui fecit nos, et salvos nos fecit? quis sic toto animo præsentem contemnit vitam, ut et ab omnibus, quæ in ipsa sunt, facile recedat? quis ita passiones atque affectiones omnes superat, ut vanæ gloriæ vincula diffugiat? quis rursus ita plane renuntiavit omnibus rebus, ut omnibus relictis crucem Christi portet, secundum illud, quod idem Dominus audire volentibus dicit: « Si quis venit ad me, et » non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest esse » meus discipulus [3]. » Quamvis enim vel modicum quid ex possessionibus sibi ipsi sumat atque retineat, etiam sic peccat: non enim prorsus cunctis suis renuntiavit: at in diffidentia et hæsitatione accessit. Oportet igitur talem penitus abnegare seipsum, et suscepta cruce, sequi Christum. Sicut enim qui corpore affixus est cruci, nequit secum portare quidquam; ita et qui se ipsum crucifixit iis,

[1] Rom. VIII, 35. — [2] Ibid. 38, 39. — [3] Luc. XIV, 26, 33.

quæ in mundo sunt, nihil earum, quæ in hac vita sunt, rerum attrahere sibi debet; ut non similis reddatur Ananiæ et uxori ejus, qui ea, quæ Dei erant, surripuerant. Sic enim per omnia se ipsum ab hujus vitæ rebus separavit apostolus Paulus, ut diceret, ac scriberet: « Mihi » mundus crucifixus est, et ego mundo[1], et omnia ut ster- » cora arbitror, ut Christum lucrifaciam[2], » quem dilexi. Hunc gloriosi imitati Martyres, seipsos cuicumque obtulerunt tormento atque supplicio; respicientes in ipsum sapientem Magistrum, belli hujus principem atque victorem, qui factus est dux omnibus cupientibus invenire æternæ vitæ fructum, atque oblectamentum; et quia prompte alacriterque magna cum patientia mortem perpessi sunt, ecce beati prædicantur in sæcula sæculorum.

IX. Quapropter debemus cuncti Sanctorum encomia atque certamina celebrare: quippe qui virili animo strenue decertarunt, ut Deum placatum redderent, proprioque sanguine propitiatio nobis omnibus facti, in holocausta seipsos pro nobis obtulerunt, velut agni innocentes, atque irreprehensibiles et immaculati, primitiæ pro omni populo facti: suasque ipsi animas in sacrificium gratum et acceptum multa cum fragantia Deo offerentes, habebant pro exemplo strenuos illos tres Pueros, legis custodes, et Dei præcones: quibuscum et nos Salvatorem mundi collaudemus; quoniam ipsi gloria, et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Galat. vi, 14. — [2] Philipp. iii, 8.

SERMO XIII.

ENCOMIUM IN MARTYRES II.

I. Imperitus et insipiens, impius atque abjectus pictor, venustissimam spectatoribus imaginem proponere desiderat, eamque illustrem ac splendidam omnibus exhibere, sanctorum, inquam, Martyrum certamen. Verum cum dignos illa imagine colores non habeat, nec adsit manus, quæ ad effigiem perfecte delineandam atque exprimendam sufficere valeat: quomodo, obsecro, præsumet rudis aliquis atque ignarus, imaginem ejusmodi omnem virium suarum excedentem modum spectatoribus ad inspiciendum contemplandumque proponere? Quandoquidem autem suæ non inscius imperitiæ, neque suæ memor est humilitatis artifex hujusmodi, supplex in precibus prosternitur, rogans ac obsecrans Dominum universorum Regem Christum, ut qui sanctis suis Martyribus inter certamina, atque pressuras donavit vires, addiditque animum, quo varias callidi inimici artes, atque versutias vincerent, et coronam incorruptibilem ac immarcessibilem sibi pararent; ipse benignissimus Deus ac sanctus insipienti atque inerti ac rudi opifici sapientiam et intelligentiam, virtutemque largiatur, quibus præstantissimam dignissimamque imaginem valeat erigere, et gloriosa sanctorum Martyrum certamina, atque tropæa cunctis posthac generationibus spectanda suspiciendaque proponere: ut omnes hinc posteri raram illorum patientiam præclaramque constantiam addiscant, considerentque.

II. Vere etenim firmissimi constantissimique fuerunt propositi, omnique laude dignissimi. Nam cum sævissimæ persecutionis fervor christiano gregi strages, atque calamitates maximas inferret, plurimique timore perculsi nec ad certamen venire, nec Christum Dei Filium confiteri auderent, generosissimi atque fortissimi isti instaurarunt aciem, et fide integra atque perfecta suos accincti lumbos, impavidi Christum Dei Filium, summaque animi constantia confitebantur: contra vero, qui terrore atque pavore victi, terga inimico dederant, cœlesti seipsos regno abdicarunt et privarunt. Miseri sane illi atque infelices, quos tepor atque ignavia tanta felicitate ac gloria reddidit indignos. Stabant igitur in magna constantia tempore certaminis, validissimi et sancti pugiles, pœnas quascumque ingenti alacritate animi, pro nomine Unigeniti Filii Dei ac Salvatoris mundi perferentes. Quam autem in pugna strenui, quantaque laude fortitudinis præditi illi fuerint, vel hinc constare unicuique potest, quod subjecta oculis expavescenda tormenta adversum se parata non solum nihil reformidarunt, sed et majori constantia decertantes, omnia perferendo fortiter superarunt. Aspiciebant ardentem rogum, ignitas sartagines, et ollas effervescentes, quæ ardore atque fervore nimio guttas picis, et adipis longius a se ejaculabantur. Intuebantur quoque aculeatas rotas, inter ignium globos, nimia velocitate versari ac circumvolvi. Cernebant ungulas ferreas, laminas candentes, fustes, vectes, aculeos, terebra, vincula, compedes atque catenas, omnemque plane artem, ac machinam, quam veritatis inimicus contra eos, qui nomen Salvatoris confiterentur, adinvenire potuit: omnia quippe tormentorum genera Martyribus in conspectum adduxit, ut terrorem eis incuteret, et in formidinem Sanctos verteret; aspectuque ipso, ac suppliciorum perterrefactione, lingua eorum non

amplius confiteri Christum Jesum, metu præpedita, tentaret atque præsumeret.

III. Quid porro Dei amantes illi perfectique athletæ inter ejusmodi ante oculos proposita multiplicia tormentorum genera? Fortiores, atque alacriores effecti, majore fiducia atque constantia animi, citra ullam hæsitationem intrepide coram judicum ac præfectorum tribunalibus Christum confitebantur. Non enim rogus ardens, non stridens flamma, non ignitæ sartagines, non ollæ ferventes atque ebullientes, non expavescendæ aculeatarum rotarum vertigines, non candentes laminæ, non ferratarum ungularum dentes, non acutissima terebra, non vincula, non compedes, non immensa catenarum pondera, non tyrannorum minæ, non principum fremitus, non omnia machinamenta diaboli ministrorumque ejus, deterruerunt animosissimos ac fortissimos Christi milites, non ipsum Deum et Salvatorem abnegare impulerunt: at contra, hi clypeo fidei muniti, universas inimici machinas everterunt, et proculcarunt, nihilque omnino ipsos deterrere potuit. Perspexisti bonorum et Dei amantium servorum generositatem? Perspexisti summam athletarum alacritatem, tota fide regnum Dei altissimi quærentium? Vidisti perfectam athletarum fidem vere perfectorum? vidisti charitatem Dei, qua res cunctas terrenas contempserunt, ut Deum suum conspicerent, quem dilexerunt? vidisti Christi affectum, quo pacto e terra extollat cunctos exaltari desiderantes? Aspexisti gestientem paradisum atque desiderantem videre athletas in ipso coronatos, et in luce gaudentes? Huc age, charissime frater, et mente revolve, atque considera gloriosos Martyrum triumphos. Intuere oculis cordis raram atque eximiam perfectorum pugilum fidem, inviolabilemque devotionis, ac pietatis eorum affectum. Non enim valuit pœnarum vis animos Justorum flectere, aut charitatis ardorem, quam in

Deum habebant, extinguere. Cæsi quippe, magno cum gaudio verberum ictus tanquam summas delicias excipiebant; serenoque ac hilari vultu gratias Deo, quod meruissent pro ipsius nomine pati, referebant.

IV. Quibus igitur vos encomiis celebrem, o perfecti pugiles Christi? Aut quo vos nomine appellem, viri inclyti, ac ter quaterque beati? Quisnam magnæ vestræ fidei laudes explicet? Obstupuit namque summorum oratorum eloquentia, et philosophorum sapientia, dum adeo mirabilia in Christi servis fieri cernerent. Tyrannis atque judicibus verba defecerunt, sanctorum Christi Martyrum fidem, atque constantiam alacritatemque cum incredibili tolerantia atque perseverantia intuentibus. Nam cum lictorum manus eorum membra torquerent, non tristi eos facie aspexerunt, neque inter tormenta gemitum edentes, verum hilariore ac lætiore vultu gaudia interna testantes: quippe quibus illi cruciatus pro consolatione erant, ac requie.

V. Quam ergo nos, quæso, fratres, in tremenda illa judicii die excusationem apud Deum habebimus, qui absque ulla persecutionis atrocitate tormentorumque vi, charitatem Dei vitamque nostram usque adeo negleximus? Ecce sancti Martyres exagitati, afflicti, tentati, exquisitis tormentis cruciati, Deum toto corde ac tota mente dilexerunt. Nullis tentationibus, aut minis suppliciisque, licet gravissimis atque atrocissimis, a divina dilectione dimoveri et avelli potuerunt: nos vero etiam in requie atque deliciis diligere benignissimum Deum ac Dominum nostrum detrectamus. Sed quidnam acturi sumus in die illa horrenda, quando beatissimi illi Christi Martyres, juxta solium gloriæ magna cum fiducia astantes, ostendent vulnerum suorum atrociumque cruciatuum cicatrices? Nos, inquam, fratres, quid, obsecro, tunc ibi ostensuri sumus? quas illic

virtutes proferemus? Num charitatem erga Deum? num fidem ejus? num terrenorum omnium nuditatem? num animum a passionibus vacuum et liberum? num quietem et silentium? num mansuetudinem? num eleemosynas, num commiserationis affectum? numquid orationes mundas? num puram mundamque compunctionem? num vigilias? num lacrymas? Felix profecto atque beatus erit, quem ista ibi comitabuntur; Martyrumque tunc revera futurus illic est socius, neque a cœlesti illo plenoque luminis thalamo repelletur : verum eamdem coram Christo et Angelis ejus habiturus est fiduciam, hisce bonorum operum meritis fretus.

VI. Obtestamur igitur vos, o sanctissimi Martyres, qui pro Deo ac Salvatore, ejusque amore, sponte ac prompte atrocissima tormenta subiistis, quamobrem etiam familiarius jam ei conjuncti estis, ut pro nobis miseris peccatoribus, negligentiæ squalore obsitis, Dominum deprecemini ut Christi in nos infundat gratiam, quæ corda nostra illustret atque illuminet, quo ipsum diligere valeamus. Vos etenim vere beati, ac gloriosi estis, quos Angeli pariter et homines felices et beatos prædicant : siquidem pressuræ tempore, cum tormentorum in vobis dolor augeretur, vos mentis oculis paradisum contemplabamini, sic vobiscum reputantes atque dicentes : « Multiplicentur jam hic pœnæ corporis, ut in paradiso illic voluptatis requies multiplicetur. » Cumque in altum valde fluctuum montes, molesque undarum per tormenta sese attollerent, repromissa vobis a Deo beatitudo continenter ante oculos versabatur affirmantibus vobis atque credentibus Deum altissimum mentiri nullatenus posse, qui hæc ipsa promiserat. Quandoquidem ergo futura illa bona jugiter ante oculos mentis vestræ defixa tenebatis, certoque credebatis vos eis sine fine perfruituros: ideo, beatissimi, moveri flectique haud-

quaquam potuit vestra constantia. Læta quippe ac jucunda futurorum expectatio vos ita animavit atque corroboravit, ut singulis horis nova vobis atque acriora admoveri cuperetis supplicia, neque ullis satiari tormentis potueritis. Aspexit vos inimicus securos, ac fiducia plenos, et plane intrepidos in certamine persistentes, nullamque cruciatuum atrocitatem prorsus reformidantes. Vidit, inquam, et confractæ sunt suæ improbitatis vires: quare vehementer obstupuit et indoluit, quando pœnas quascumque superabatis: opinabatur enim inimicus terrore ensis se robur constantiæ vestræ posse infringere vobisque horrorem incutere, ut Christum abnegaretis, quem toties in visceribus semper ii desiderant atque amant, qui ipsum timent.

VII. Ignorabat tamen infelix ille fore ut suo gladio, quo immensos sanguinis rivos ex Sanctorum jugulo fuderat, sibi ipsi imprimis necem pararet, ut vel ipsis pii innocentisque cruoris undis ipsemet misere suffocaretur. Dicebat autem ad milites suos, jam victus atque confusus: « Reformido ac pertimesco hunc sanguinem, qui de interemptorum pro Jesu Nazareni nomine cervicibus diffluit: se quippe invicem ad mortem fortiter pro ipso subeundam cohortantur et animant. Terrorem mihi incutit tanta ipsorum sanguinis effusio; nec ad momentum quidem temporis, coram tanta Discipulorum Christi consensione, consistere amplius valeo. Pœnitet me nunc facti mei, mallemque me adversus ipsos non concitasse regum animos: nam ecce undique eorum sanguis me exagitat. En sanguinis effusi odor jam meas dissolvit vires. Nequeo prorsus illuc oculorum intendere aciem, ubi ossa Discipulorum Jesu jacent. » Hæc sunt, o fortissimi milites, præclara victoriæ vestræ insignia. Ista, o athletæ Christo induti, vestræ fidei, vestræque fortitudinis præmia. Ista vestræ

victoriæ, o generosi theophori, Deique amantes pugiles, tropæa, corona et gloriatio. Mors ista vestra vitam vobis peperit sempiternam. Intuiti sunt sapientes hujus sæculi immensam stragem vestram, et in stuporem tota sapientia illorum conversa est, attonitique ad se invicem aiebant : « Vere magnus est Deus Christianorum, in quem omnes ipsius Discipuli crediderunt. » Frequenter autem et lictores atque tortores ipsi, tanta beatorum Martyrum permoti constantia, Christum veneranter adorarunt, et patientia atque tolerantia maxime eorumdem exhortationibusque, quibus se invicem in ipso certaminis ardore ad tormenta quæcumque subeunda animabant, provocati, in Dei timore ac fide perfecti evaserunt.

VIII. Conspexistis, fratres, divinam consensionem : vidistis, charissimi, charitatem Dei, sua membra inter dolores atque agones mirifice corroborantem. Siquidem Sancti illi se invicem in ipso certamine cohortabantur, pusillanimesque semper consolabantur, ita ut et ipsi servi una cum dominis alacriter coronam referrent; dum nos interim mali atque perversi ob nostram perversitatem invicem invidemus, invicem mordemus et comedimus. Huc igitur jam age, et sanctorum te Martyrum discipulum præbe. Nam si te illis in discipulum dederis, erunt et ipsi vicissim tibi magistri optimi, addiscesque ab ipsis passiones quascumque superare : disces quoque ab eisdem perfectam fidem, dilectionem Dei, ac ingentem commiserationis affectum, futurorumque bonorum desiderium : nam ardentem hi rogum ac flammam virtute Dei fideque perfecta vicerunt : quare et tu semper pravæ concupiscentiæ flammas in te ipso restingue ac vince. Varia illi tormenta superarunt, patientia et spe, quæ est in Christum, suffulti : quocirca et tu turpes cunctas passiones continentia et casta mente atque cogitatione superare contende. Vice-

runt illi tyrannos sua modestia atque longanimitate: vince igitur et tu tyrannidem iracundiæ. Illi palam martyres fuerunt : at tu in secreto martyrem perfectum te præbe. Illi in aperto certamen consummarunt : perfice tu quoque certamen in occulto, ut in die retributionis corona cum ipsis doneris, ac in cœlesti regno socius gloriæ illorum inveniaris, simulque sempiterno gaudio perfruaris.

IX. Nunc ergo, o sancti, et pro me peccatore, qui tantæ ipsius Dei beneficentiæ tempore obdormisco, precibus vestris intercedite, ut in illa hora tremenda misericordiam consequar, quando manifestabuntur occulta hominum. Velut pincerna aliquis inutilis atque imperitus vobis hodie, o sanctissimi Christi Martyres, effectus sum. Nam de vino inclyti vestri certaminis filiis ac fratribus fidei vestræ poculum tradidi : et de præclara victoriæ vestræ mensa, omni ferculorum atque epularum genere instructa, patres ac fratres, cognatos affinesque vestros, quotidie mensam ipsam frequentantes, toto animi affectu ac desiderio recreare studui. Ecce enim psallunt, Deumque cum exultatione ac jubilo glorificant, qui sacratissima virtutis vestræ capita coronis decoravit : ingentique cum gaudio sacras certaminis vestri Reliquias circumstant, benedici optantes, secumque referre sancta animæ et corporis remedia desiderantes. Omnibus igitur benedictionem impertiamini, ut boni discipuli optimi præceptoris. Ego quoque quantumvis imbecillis ac debilis, accepto a vobis robore, tota animi devotione ante sanctas vestras Reliquias decantavi hymnum laudis vestræ ac gloriæ. Quare, obsecro, pro me vili ac misero ante thronum divinæ majestatis intercedite, ut precibus vestris salutem ibi consequi merear, gratia Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, cui gloria, et Patri, et Spiritui sancto in sæcula. Amen.

SERMO XIV.

ENCOMIUM IN SANCTOS QUADRAGINTA MARTYRES.

I. Imaginem sanctorum Martyrum describere cupio, etsi, cum non illustribus illorum constantiam possim exornare coloribus; considero autem et reformido Davidem, ne ad me loquatur : Dicit tibi Dominus per me : « Peccator, « Quare tu enarras justitias meas [1] ?» Cupio illorum narrando persequi fortitudinem , et contremisco, cum omnis boni operis sim inops. Magnum ac gloriosum pelagus laudum patientiæ illorum trajicere desidero : et instar inexperti alicujus gubernatoris, perhorresco ne illorum laudibus celebrandis succumbam. Sanctorum exercitum prædicare dum quæro, vertigine laborare incipio, armis justitiæ destitutus. In prata illorum ingredi compellor, et floribus virtutum bene redolere : ad paradisum autem sanctorum Martyrum properans, fructibus laudum capiendis non sufficio. Curram ad enarranda victoriæ eorum bravia : sed quo pacto? cum debilis sim atque peccator. Quoniam igitur indignus sum atque infirmus, tacendo privabo-ne vos hac utilitate ? an potius miserationibus ac visceribus pietatis Christi confisus, dicere aggrediar Martyrum encomia ? Arbitror autem hoc magis expedire celebrare scilicet laudibus sanctos Dei Martyres, quam defodere talentum , et condemnari : præsertim cum debitor sim charitati vestræ cum fœnore mutuum rependere. Non enim oblitus sum mei promissi, quo vobis de egregiis pollicitus sum victoribus, quando ea quæ sancti ac fidelis sunt Basilii, electi viri Dei, enarrabam (5).

[1] Psal. XLIX, 16.

Subvenite ergo mihi, Sancti, vestris intercessionibus, et vos, dilecti, sanctis vestris precibus, ut Christus sua gratia linguam meam ad dicendum moveat, os ad enarrandum, cor ad intelligentiam, animum ad compunctionem, mentem ad illuminationem eorumdemque imitationem, vos autem ad sobrietatem, æmulationem, et auscultationem, desiderium ac vigilantiam, studium atque continentiam; nam ad hoc præclarum munus obeundum nos vocando censuit fidelis Pontifex.

II. Sed tempus deinceps est sermonem ad ipsa athletarum septa admovendi, fratres dilectissimi; tempus melius iter aggrediendi; tempus duplicandi lucra talenti. Dixit autem ille in legione quadam quadraginta Martyres pie atque religiose vixisse, qui statim ostenderunt initio gloriosum se efficere chorum, atque honore dignissimum : quin et prophetica imagine historiam nobis proposuit enarrandam de sanctis hisce Martyribus. Nam Moyses quadraginta dies jejunans in monte Sina legem accepit; at hi, juxta illum numerum corpora ad cædem destinantes, vitam æternam adepti sunt. Et ille quidem populum insanientem perspiciens, tabulas in monte cum indignatione confregit : hi vero, dæmones rabidos despicientes, inconcussam suam fidem servarunt. Iterumque mansuetus Moyses tabulas apprehendens, sic tandem cunctis Hebræis legem sanxit : isti autem, in uno crucifixi signaculo, Christum in se quasi legis loco omnibus præscripserunt. Et quid mirum est, si et Eliæ virtutem his inveniamus adæquari? Nam in fortitudine cibi unius, Elias Thesbites per dies quadraginta ad montem Oreb pervenit : at hi, corpore Christi gustato, quadraginta pariter ad cœlos pervenerunt. Apparuit huic Deus per iter currenti, dicens : « Multa adhuc tibi restat via, » o Elia [1] : » innotuit quoque istis Deus, confirmans intellec-

[1] 3 Reg. xix, 7.

tum eorum, ac dicens : « Præclarum est vestrum studium ad pietatem directum. » Reliquit Zelotes caprinam suam pellem super Eliseum, et ascendit curru : largitus etiam est suam pacem Salvator supra quadraginta istos, et assumpsit eos in gloria. Sicut igitur numerus quadraginta dierum omnem, Noë tempore, sustulit lasciviam : ita et numerus quadraginta Martyrum iniquam tunc tyranni insaniam repulit ejecitque. Venit columba portans ramum in signum serenitatis Justo : abierunt Sancti isti perferentes labores, et præmia victoriæ offerentes Deo. Accepit arca irrationales victimas, multasque ex eis in sacrificium dedit : accepit caminus sancta corpora, universa Domino in sacrificium adduxit : juxta quod etiam divinitus inspirata nobis testatur Scriptura : « Quoniam omne sacrificium igne » consumetur[1]. »

III. Sed jam dicat nobis voracissima fornax quomodo Sanctorum rursus contubernalis evasit; et quo pacto ab oriente ad partem aquilonarem trajecit, quærens ejusmodi segetem, et non in Chaldæorum terra perstiterit, quæ res varias depascit, stupam ac sulphur, bitumen atque sarmentum proferens; quo pacto a Babylone in Sebasten jam te transferens, accendisti faculam. « Imo vero, inquit, in terra Assyriorum habitabam, procul a Romanorum finibus, et ulterius : verum audivi in regione boreali quadraginta glebas aureas repertas, et veni igne probatura, et illustratura illas, ut easdem probatas Artifici suo reddam. Nam ubi Domini reperitur opificium, illuc meam transfero aëris potentiam. Officinam enim me fecit Deus, ad separandos bonos de medio improborum. In afflictionem namque constituta sum eorum, qui oderunt Deum, et in indignationem existo illorum, qui non diligunt eum. Cognosco sanctos, et ignoro inutiles : abominor impios, et

[1] Levit. VI, 23.

complector pios. Non aduro sanctos, ut existimant insipientes : neque lædo fideles, sicut considerant gentiles. Duos ignes possideo, et in duobus ego operor ; unum ad mortem, et alterum ad vitam. Invaluit Licinius, et Nabuchodonosor ; plus autem Nabuchodonosor cum ministris suis : siquidem ille Sidrach, Misach, et Abdenago cum tiaris vivos in fornacem atque ardorem ignis injecit : hic autem Sanctos absque indumentis fractos, omnes ad me emisit. Et cum arbitrentur, inquit, iniqui tyranni quod ignem perniciosum habeam adversus fideles, non secum reputant quo pacto utrisque tanquam ancilla obediens, mystice ministratura venerim. Quos enim accepi vivos, emisi vivos : et quos tuli mortuos, ad vitam incendi. Neque illorum sancta inquinavi corpora, neque eorum venerandas minui Reliquias. Non sacrificarunt illi imagini aureæ : neque isti ignominiosis idolorum formis. Illos flamma tanquam ros illustres reddidit : hos vero fluminis fluentum purificando illustravit. Tres illic accipiens, quatuor effeci, ut quadraginta decadas texerent : et quatuor duces, atque promotores quartæ decadis, ante tempora non pauca mystice designavi. Hæc vero effingebam per virtutem illius qui astitit Azariæ, et iis qui cum eo erant in fornace, qui est Deus verus, per prophetam loquens : « Quoniam si in igne constiteris, flam» ma non nocebit tibi[1]. »

IV. Cernis quantum certamen fecerit memoria præclaræ fortitudinis strenuorum Christi pugilum. Volebam ergo rursum trutinare hic sermonem, ut pietatis modum perdiscam. Nam quemadmodum qui numero quadraginta erant, habebant signacula, quod strenui atque invicti essent : sic et perspicue interiora cordis eorum Crucifixi figura insignita erant. Quid enim ? etsi corruptibili corpore coram rege mortali consistebant, spiritu tamen ac mente, immor-

[1] Isaï. XLIII, 2.

tali Regi serviebant: et omnes tyranni immoderationem tenentes, crucem signifera figura in mente gestabant. Non valuit caligo intolerandæ impietatis amorem præclaræ pietatis obscurare. Non abolevit dolus amorem pacis, ut neque rursus odium charitatis cursum. Non extinxit obscuritas impiæ idololatriæ lampadem illam cognitionis Dei. Non fregit metus illorum, qui castris præerant, zelum neque studium ad cœlum contendentium. Non perturbavit erro luctam virtutis: neque ipsa pugna veram orationem. Invisibiliter super terram iidem intra se pro sua dignitate juventutem transigebant. Foris scuto atque thorace induebantur: intus sanctissimæ Trinitatis fide armabantur. Foris pharetras corpori admovebant: intus autem animæ custodem sapientiam adhibebant. Foris sagittas ac tela manibus circumgestabant: intus gloriam et honorem Deo deferebant. Cum enim dicantur Deo occulta omnia esse manifesta, multo magis erunt nota quæ sunt hominibus aperta. Foris hominibus gladium intentabant: intus vero ensem Spiritus sancti adhibebant. Alius quidem repellebat sensibilem barbarum: alius vero intelligibilem tyrannum exterminabat. Alius in acie contra adversarium stabat: et alius adversus principatus et potestates invisibiles pugnabat. Ille hostis jugulum petebat: hic improbi adversarii capita amputabat. Ille inimicorum insidias retundebat: hic vero Beliar fraudes prævidebat. Ille depopulantium hostium superbiam reprimebat: hic autem dæmonum cuneos ac copias proculcabat. Licebat enim novum et inauditum in uno certamine videre spectaculum, ac duo fortitudinis documenta. Idque profecto aperte declarat et loquitur in præliis quoque fortes et insuperabiles eos fuisse, non quidem in prælio quasi unico conflictu; nam duplex erat pugna, et duplex prælium: unde victoriam utrinque reportantes, justitiæ corona cincti sunt.

V. Præclara igitur perspicere licet, fratres charissimi, historiæ istius ornamenta. Quadraginta enim numero erant personæ, et omnibus divina Providentia diversi aspectus, ac nominum appellationes : sed æqualis inter eos cognominationis pulchritudo. Non expunxit immarcescibilem ipsorum pulchritudinem infidelitatis squalor, neque erroris pestilentia. Non dissecuit, ac separavit eos telum impiorum, neque coinquinavit ipsos sagitta acuta; quin et indivisibilem, atque robustam Athletarum aciem erga Salvatorem Christum reddidit. O singularis Sanctorum, ac fidelium consessus! O chorus aërius, et sors cœlestis! O vinculum compactum, et nexus indissolubilis! O splendidum symposium, et tremenda necessitudinis conjunctio! O via indivisa, et concilium ineffabile! O exercitus incomprehensibilis! O gens sancta, et populus electus! hæredes vitæ atque resurrectionis, astra lucidissima, ac lucernæ inextinguibiles, incolæ gloriosi amœnissimi paradisi, digni sponsali thalamo et cœlesti vocatione, digni nuptiali convivio æternæ lucis! Qui potiora sibi mutuo constituerunt, ut sequerentur sceptrum regni : qui admoventes manum aratro, nequaquam respexerunt retrorsum : qui respuentes honorem rerum præsentium, elegerunt sibi gloriam futurorum : qui pariter in occisionem associati, concorditer ad vitam commigrarunt. Celebritas sacra, quæ inter primos fructus charitatis relata est. Chorus munitissimus, quadraginta militum turris, quam sapientissimus ædificavit Artifex. Acies sancta, a Deo erepta ex ore secundi illius Pharaonis. Nam sicut Jannes, et Mambres ac Pharao restiterunt Moysi, et exemplo propositi sunt : ita etiam præfectus ille, ac Satanas sanctis hisce resistens, citissime ut nequissimi convicti sunt. Quo pacto enim quadraginta expugnare potuisset, qui ab uno mitissimo confusus est in Ægypto? Nam si Moyses et

Aaron, quos genuerat Abraham, ita mendacii semina sunt ulti, nonne multo magis qui ex Spiritu sancto nati sunt, erroris dogmata redarguere poterant? Existimabant principes posse se suis venenatis verbis sanctorum Martyrum perrumpere constantiam; quemadmodum venefici draconteis se putabant inescare virgis servum prudentem: verum sicut vera Moysis virga veneficorum baculi consumpti sunt; ita ab inconcussa Sanctorum fide judicum verba superata.

VI. Unde enim Israël confirmabatur? Perspicuum quod per Moysen, Aaron, et Mariam. Et Sancti isti unde magis corroborabantur? Plane trium exemplo, qui omnibus duces sunt ad imitandum propositi. Denuntiatum quippe erat tres ex iis esse, qui verbo doctrinæ omnes ornarent, repræsentantes et in eo Christum caput Martyrum: eo quod libenter admonitionem susciperent, et in charitate sibi mutuo parerent, quodque ad omne opus bonum obedientes essent. Cernitur Dominus illis adesse, qui dicebat: « Quo pacto adversarios superavimus? Cum hos quidem imminentes, gladio interfecerimus: illos autem inter se conspirantes repulerimus. Sed non est ita mirabile istud quod sensibilis belli insultus detraxerimus: sicut multo admirabilius fuerit tentationum hujus sæculi et invisibilis inimici machinamenta vicisse. Hæc quippe verissima est palæstra; hæc strenuitas est, et valida fortitudo; hoc certamen est gloriosum, et vexillum tremendum; hæc victoria est, atque potentia, et gloria æterna; hæc regio nostra, atque corona: hæc fama, et honor, ac laus in Deum. Dicamus igitur quasi semper et omni tempore ad misericordissimum Dominum: « Deus in nomine tuo salva nos[1]: » et mox emittet auxilium suum ab alto, addetque vires animabus nostris. Hoc etenim Daniel proclamans in lacu, etiam ferarum agrestium fauces effugit. Hujus quoque pro-

[1] Psal. LIII, 3.

pheta meminit Jonas in ventre ceti, et ab omni interitu salvata est vita ejus. Ex medio ardentis ignis, sanctissimum hoc nomen tres pueros liberavit : quod idem et nos ab errore eximere poterit, et ab elatione victoriæ alacritatem nostram continere. Sicut ergo in momentanea hic militia cum hostibus congressi sumus : ita etiam ad perennem dignitatem conjungamur. Et sicut ad summos hic honoris gradus assequendos festinavimus, atque contendimus pro omni securitate nos galea induere : ita quoque animabus nostris, pro galea spem salutis assumamus. Ne igitur locum nostrum dividat inimicus : neve superbiam adversus nos statuat seductor. » Ne sanctorum Athletarum deprædetur numerum, neque in Deum sperantium corda territet, ejusmodi commeatu Dominus sanctus, passionis ac martyrii sui socios ubique instruit.

VII. Et alii quidem hoc atque hujusmodi viaticum custodiebant, die noctuque oratione inungentes. Alii vero ad illorum temporum tribunalia ducti, pro omni clero ad judicem dicebant « : Deum diligimus, te autem odio habemus. Nobis vero cum sis odio, noli diligere nos. Sume igitur zonas nostras, accipe et corpora : nobis enim nihil optabilius est Christo. Considera porro hinc sincerum desiderium ac zelum perfecti amoris. Tolle, tolle corpus nostrum, acclamabant : nihil enim nobis, aiebant, Christo est optabilius. Quid enim, inquiunt, assentaris mentibus nostris ? optabant enim aspicere Verbum cœleste. Quid simulacrorum insania nos conaris attrahere ? transfiguratus enim est Christus in cordibus nostris. Quid effringere atque destruere tentas fundamenta nostra, quæ utique supra firmam fidei petram firmata sunt ? Quid novi Testamenti Athletas tentas, quorum mens ad Altissimi ministerium exercitata est ? Quid porro surreptitiam, ac falsi nominis consuetudinem connectis adversus rectitudinem,

nequissime ? Munerum promissa prædicis nobis : sed oleum ab impiis non suscipimus. Agrestis assentator appares in verbis, sed lenitatem sermonis nostri non confundes. Latenter nos omnes perdere cupis : sed servos Christi subvertere nunquam poteris. Confundantur igitur ora impudentissima loquentium iniquitatem adversus Deum : nam Domini est victoria, ac potentia, gloria et honor in sæcula sæculorum. »

VIII. His atque similibus superantes generosi illi pugiles, ad supracœlestem properabant Dominum. Vere igitur fortia horum fuerunt certamina : vere magna fidelium atque insignium victorum istorum præmia. Nam qua alias ratione in tanta persecutionis perturbatione mansueti remansissent, et insidias minime curassent ? Et quamvis in oculis hominum visi sunt mortui, finis tamen eorum non sine honore. Tyrannum fregerunt : errorem extinxerunt, et victoriam retulerunt. Præparaverunt pedes ad sancte incedendum in præparationem Evangelii. Cinxerunt robore lumbos ad ascendendum in supernam civitatem Hierusalem. Cum enim lampades ex igne spiritali, atque illud vivificum oleum secum gestarent, his ignis ille fulsit in stagno. Sicut enim Israëli columna ignis fuit in mari : ita hic ignis sanctos Martyres salvavit ex medio caliginosi erroris dæmonum. Hic ipsis cœlitus de nocte apparuit dum algore corpus obrigesceret. Non reliquit eos divinus ignis nunc retro, nunc ante apparens. Non deseruit eos nubes, cœlesti dono super illos die noctuque extensa. Non reliquit eos gratia supernæ potentiæ, mentem eorum in aquis consolans. Et in exitu quidem filiorum Jacob, creatura visibilis exultavit : at in sanctorum Martyrum redemptione, cunctæ invisibiles potestates exultarunt. In illis, montes exultaverunt, sicut arietes : in his, Angeli gavisi sunt et spirituum Deus.

IX. Plura igitur ac majora, ut existimo, in egregiis istis ac strenuis victoribus reluxerunt miracula, quam in illis veteris Testamenti. Ibi siquidem mare conversum est in aridam, ne Israël pertransiens submergeretur : hic vero Martyres intra aquas quasi in thalamo suo diversantes, non sunt submersi. Ibi, ossa Joseph ad Hebræos simul ferebantur : at hic, Corpus Christi simul continebat Sanctos. Ibi, virga Aaron consequebatur populum : hic autem, brachium Domini conservabat fideles. Ibi, cymbalorum sonus in medio undarum : hic, vox Domini in aquis. Ibi, columna ignis apparebat in militibus : hic, Crux Christi resplendebat in Martyribus. Ibi, Moyses, et Aaron, ac Maria præerant : at hic, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Vides quanta admiratione plena, longeque mari Rubro præstantiora, per fortes illos Athletas in stagno acciderint? Gloria, et adoratio, atque magnificentia ei, qui ipsos in istis certaminibus confirmavit.

X. Tunc amare flevit, qui juxta palustrem herbam butomon, papyrum, et arundinem, delitescit serpens. Tunc corde dissecabatur, quod accedere nequiret, ac funditus gloriosum illorum exercitum succendere. Tunc stridebat in conflictu oppressus, qui adversus Sanctos illos fines orbis turbaverat. Nam qui Jordanem unico obtutu de medio tollit, unica aspersione Trinitatis præfocabat eum. Qui obumbrabatur ramis ac surculis, nudus ac perditus lacerque periit. Qui arctabat puppim suam sicut cypressum, instar passeris illusus est a servis Dei. Thesaurorum pretiosorum receptaculum erat sinus stagni : et sacrilegum nequaquam secum admittebat. Sibilabat draco, terrorem iis qui coram erant, incutere tentans : et supinus tamen una mox ferebatur. Repebat pectore ac ventre, et ad aquarum stagni ductus non pervenit.

XI. Quare ne conturbaret Martyres Christi inimicus,

Angeli spatium stagni custodiebant: hinc quidem Gabriel, illinc vero Michaël: et ab alto, Christus universorum inspector, qui protinus super ipsos demonstravit coronas, ut numerum deficientem expleret, utque dignus loco indigni referat dignitatem, ac meritum Sanctorum in luce: et veniat corona ejus, qui locum sibi assignatum deseruerat, super caput ejus, qui Christum desideraverat, et (quod etiam dicere oportet) clanculum Sanctorum choro adhæserat. Qui enim cum ipsis fuerat, ab illis pellebatur: et qui ad eos accessit, contrarius ipsis fuerat; qui ad calorem confugit, charitate refrixit: et qui frigore tremebat, desiderio atque amore incensus est. Quin et opportunum hic fuerit referre, charissimi, quomodo Judas ex numero atque collegio Apostolorum exierit, et Matthias ejus loco ingressus sit: quo pacto item Paulus, qui aliquando spirarat minas ac furorem in Discipulos Domini, factus sit ipsius discipulus; quomodo etiam hic, qui antea persequebatur prædicatores Christi, ipse Christum Dominum in stagno postea invocaverit; circumfulsitque eum lux de cœlo media nocte, quemadmodum Paulum tempore meridiei. Illius squamas detraxit Ananias: hujus autem malitiam sustulit Sanctorum exercitus. Ille dum persecutorem agit, vulneratus est et sanatus: hic autem cum venatur, captus est et salvatus, ut quartam decadem sanctus ipse cum Sanctis expleret.

XII. Quales igitur imagines conferre suffecero cum invicta illa insignium Athletarum victoria? et quibus figuris assimilare potero historiæ istius mutuas similitudines? Dicam plura et majora horum victorum egregiorum tempore, quam Jesu Nave, accidisse miracula. Ibi siquidem quadraginta millia bellatorum Jericho errorem sustulerunt ex Israël: hic autem quadraginta Martyrum numerus quæcumque de terra sculptilia delevit. Trajecerunt

illi fluenta Jordanis, occideruntque Sion cum potentia ejus: subierunt et isti stagneas aquas, ac Satanam cum ministris ejus dedecorarunt. In petrinis tunc gladiis circumcidit Jesus Hebræos, in tentoriis conquiescens: at in sanctis largitionibus Christus fideles coronavit Athletas, abripiens eos cum luce. Admirabilis erat arca in Jordane, sed magis suspiciendi hi Sancti in medio aquarum. Jucunda etiam fuit lex, ac virga, et tabulæ: delectabiliora vero in cunctis sunt ossa sanctorum Martyrum. Pretiosum quoque fuit manna, et urna aurea: at multo his amplius, sanguis sanctus. Sicut Levitæ ex Jordane tulerunt lapides, ut miraculum posteris dicerent: ita in memoriale coram Christo jacent eædem passiones fortissimorum pugilum. Sic exornatum est Testamentum novum pretioso sanguine electorum Dei virorum. Ita Ecclesia armaturis spiritus corroborata est, et e terra ad cœlos evecta. Ita quoque germina ac fructus membrorum Martyrum animas fidelium enutriunt, et frumentum electum Deo evadunt, seminati super campum stagni: et quæcumque dici possunt ad germinationem opportuna atque utilia, pie in corporibus suis suscipientes, gelu, frigus, atque rigorem, deinde etiam superna virtute calorem, donec spica animæ ad superna limina vitæ æternæ deportata est.

XIII. O amabiles surculi charitatis atque concordiæ Pauli! quomodo variis distinctam coloribus lunam obscurarunt? O veri fructus agriculturæ Petri! quo pacto rabidam obmutescere fecerunt locustam? O rami sancti plantationis Christi! quo pacto cuncta corruptionis pericula superarunt? Radices egerunt in profunditate charitatis: et sic vehementem fregerunt impetum ventorum. Statuerunt etiam amoris carbones acutos, et bruchi ora palo suffixerunt: granum absconderunt in receptaculis spiritus; et serpentem vulnerarunt virga arundinea: ac deinde cuncti

pariter salvi atque impolluti, ad dignitatem decem agnarum commigrarunt. Ipsi eximiam pulchritudinem cœlestis suæ messis Deo obtulerunt, et evangelicis sermonibus irrigati centesimum fructum produxerunt : ideoque etiam tyrannica demessi falce, manipulos salutis in terram reposuerunt. Plaustris vero inde tanquam frumentum, ad latissimum Ecclesiæ adytum vecti sunt, ut psalmodiis fideliter impinguati, oleum petentibus tribuant. Quis igitur unquam vidit tales admirandos manipulos stillantes sanguinem, et coronas? Quis germina vidit ejusmodi muneribus conspicua? aut corpora, medicamenta hominibus præbentia? Quis porro linum aspexit messis tempore demessum, et a messoribus vegetatum?

XIV. Ut enim unum adhuc spirantem viderunt infelices tortores, non assumpserunt cum cum reliquis Martyribus : stulto igitur consilio usi, unum ex numero surripere voluerunt. Cæterum diligens colona mater ejus, in humeris ipsum tollens, conjunxit reliquis manipulis, ut ad spiritalem simul aream pervenirent, et ad cumulum spiritalis vocationis : utque in ventilabro intelligibilis spiritus, ipse citius e terra in cœlos referatur : ut qui super terram filium lucis cognovit, introducatur in viventem civitatem Hierusalem, fiatque sanctus panis cum cæteris in perenni mensa cœlorum. Sic reputabat secum fidelis ac sancta mater, filium gestans via regia; sic suas suffulciebat cervices, ipsumque ad cœlestia regna dirigebat ; sic fide contemplabatur onus accumulatum, et suum filium jam eruditum. « Nam si iniqui ac fraudulenti illi, inquit, operari permiserunt mihi fructum meum, et non aggregarunt sibi ; ego-ne germen dolorum partus mei despiciam? Imo vero ipsum colligam, et Christo offeram, ut in immortalitate recipiam eum, quando venerit qui pro ipsis crucifixus est. Non dissolvor, neque succumbo tali oneri : quoniam mu-

liebrem indulgentiam repudiavi. Montes omnis ponderis, et horoscopia fœminarum diffregi, virilis facta sum atque exultans iter pulcherrimum charissimi filii mei amplector, ac sequor.

XV. « Novem menses ipsum in utero portavi, ut descendens continentis ac terræ latitudinem videat: parumper iterum humeris eum gestabo, ut ascendens cœlorum pulchritudinem intueatur. In utero conclusum circumgestabam eum, donec cum omnibus aliis eum mundo peperissem: cruentatumque rursus ipsum collo impono, quousque cum Angelorum multitudine choreas ducat. Semel eum ex utero in mundum produxi, venitque mortali et caduco amictus corpore: postremo autem jam in humeris eum altissimo et immortali Domino offero, illumque de cætero loco rerum omnium habebo. Ecce enim magnus mentem meam stupor invadit; quippe quæ filium meum etiam nunc tanto ante prospicio: et ecce præcurrit mihi, et juvenescit. Resupinus mihi puer jacere videtur fractus, seseque in cœlum ipsum erigere: vulneribus et cicatricibus notatus est undique, stolaque valde gloriosa circumamictus apparet: silet ore, et spiritu Deum laudat; pennas habet plantas, et ad excelsa pertingit. Vox cœlitus eum cum martyrii consortibus invitat, dicens: Venite, ingredimini in thalamum lucis. Propterea super his omnibus gaudebo, dicamque ad filium meum: Beatus es, fili dilecte; qualem repente dignitatem tua pulchritudine attigisti ac consecutus es? qualem nunc hæreditatem tua invenit juventus? divinumque convivium tua obtinuit vita? Beatæ tuæ sunt manus, fili charissime, quoniam invisibiles divitias contrectarunt: beati tui pedes, dilectissime, quoniam a cœno densissimo jam extracti sunt. Quoties ego animo mecum revolvi, dicens: Unde filio meo nuptias parabo? paupercula ego sum, et ipse ignobilis: quo pacto ergo nos quis

piam in affinitatem secum admittet? quomodo opes acquiram? aut generis splendorem in nostram utilitatem se inclinantem?

XVI. « Ista mecum expendebam, et non noveram quod ineffabili modo apud Dominum constitutus astabas. Neque cognoveram, fili, quod oculis intellectus ascendisses, ac spiritu supernis virtutibus adhæsisses. Nesciebam quod corporis passiones extinxisses, et incorporeorum locum omnis passionis expertem acquisivisses. Unde præclarus in te Rebeccæ quadrat arrhabo, dilecte fili, propter quam Abraham servum suum misit: at propter te, suum Unigenitum Deus. Illa in fonte donaria accepit: tu autem in stagno immaculatas coronas. Illa per aquam inaures tulit: sed tu per sanguinem gratiam spiritus. Non ita puellam decebat tunc accuratus ille ornatus, ut te hodie, propter Christum suscepta vulnera. Non sic aurum tunc ornavit puellam juvenculam, quantum te jam martyrii hujus flagella. Non sic obviam juvenculæ processit Isaac in agro, ut tibi in occursum venit ipse Dei Filius. Non in terram Chananæorum habitaturus pergis, sed in sanctam civitatem primogenitorum: non ut Abraham solum ibi spectes, sed et Deum ipsum patris tui Abraham. Non ergo cognationem ac domum duntaxat odisti, sed et mundum universum, ut Christum tibi lucrifacias. Ipse tibi dotes ascribit in cœlis; ipse tuam infantiam illustrat, capitique tuo coronam imponit, ac residere magnifice facit in splendore lucis.

XVII. « Cognoscebas, fili, me jamdiu viduitatem cum extrema paupertate amplexam esse: et ideo sic contendisti ad patrem orphanorum et judicem viduarum confugere. Ideo animam tuam potius elegisti, ut eam puram et immaculatam Domino gloriæ traderes. Ideo fidelium te domicilium vadis constituturus in vitam æternam. Suspicio

te, et glorifico Dominum, quod ita repente in tantam transilieris altitudinem. Ecce tibi divitias adinvenisti integras, quas non thesaurizarunt tibi parentes tui antea. Ecce dignitatem invenisti firmam, atque infractam, quam non dedit tibi rex aliquis terrenus. Ecce invenisti fratres ibi omni ex parte germanos, quos tibi non peperit pauperrima mater. In jucundum comitatum te ipsum retulisti: et cum fidelibus viatoribus ad Christum modo proficisceris. Pulchram hinc regionem desiderasti atque amasti, pulchram dico, et celebrem, atque insignem. Istis adhæresce nunc, et in perpetuum. Cum istis etiam ad dexteram Patris consiste. Paululum jam hic in plaustro conquiesce, ut decem civitatibus in cœlis imperes. Admisceatur sanguis tuus pretioso aliorum sanguini, ut nomen tuum libro inscribatur vitæ. Sursum volvatur rota a reliquiis tuis, ut rotas throni Altissimi aspicias. Unico adhuc momento recumbe cum ipsis, ut ad cœlestem mansionem cum iis pervenias. In sensibilem nunc ignem cum eis proficiscere, ut vero cum ipsis lumine mox induaris. In fornacem una cum illis congredere, ut aurum cum ipsis purum egrediaris.

XVIII. Novi quippe ex quali procella erepti sitis, et in quem modo portum transferimini. Novi vos ejusdem vocationis socios factos esse, et ad cœlestem Patrem contendere. Novi vos ad regionem illam capiendam currere, ubi exulat dolor, luctus, ac gemitus: ubi non regnat angustia, neque corporis corruptio: non invidia consumens, non inimicus insidiator: ubi non est malitia, atque adeo ne ullæ quidem tenebræ, sed lux veritatis, et splendor decoris: ubi optimus ordo est, et beneficentia: ubi salus vera, et immortalitas. Cur me non simul vobiscum impius tyrannus suppliciis affecit? Quare non hanc felicem oppetii mortem, fili, et essem beata? Quamobrem ad splendidum hoc convivium et ego non discubui, ut delicias essem nacta? An

quia nuda sum, atque peccatrix? an quia miseranda sum, et valde miserabilis? Verum non his de causis vobiscum non venio: nam qui vocavit vos, pauperum amator est: sed quod inter vos plures non admittatis. Estis enim Deo una quadragenaria cohors: quia estis deni ac deni ad convivium evocati Evangeliorum: et quia in numero quatuor facierum animalium jussi estis afferre divinum currum; omnique tempore illud, « Sanctus, Sanctus, Sanctus Domi» nus[1]. » Rex gloriæ, dicere. Quoniam ergo talibus dignatus es, mi fili, Christum Salvatorem pro me ora, quando ad vos dicturus est: « Venite, possidete regnum meum, quod præ» paravi vobis[2]. » Recordare mei, fili, cum consortibus tuis, et mercedem a Patre luminum deposce mihi: ut sicut corpus tuum in me animam egit, ac spiritum duxit, ita aspirent mihi cœlitus Christi miserationes; et sicuti laceras vestes meas sanguis tuus tinxit, ita misericordiæ Domini ab alto me irrigent; et ut tecum veni ad milliare hoc unum, sic ad istas tecum Sanctorum mansiones perveniam; ut et ego una cum iis Deum prædicem, dicamque quod « non est » sanctus, sicut Dominus Deus noster[3]: quia respexit humi» litatem ancillæ suæ[4], et erexit cornu[5] » omnium servorum suorum: inimicos confudit, ac pauperes salvavit: ipsique semper convenit gloria in sæcula. »

XIX. Ecce quam mysticam atque arcanam enarravit tragœdiam apta hæc et vocalis hirundo. En quomodo effinxit, ut dicitur, alvearis fistulas, ad mel conservandum, apis ista sapientissima. En quantam Scripturarum materiam florum instar collegit, et undique melle circumdedit. Idcirco vespæ stimulo malitiæ non perturbarunt atque infecerunt fidei ipsius dulcedinem. Neque rursus locum invenerunt, ubi spiritalis mellis pulchritudinem revelent, ac comedant. Ideoque pia mater tanquam prudens regina

[1] Isaï. vi, 3.—[2] Matth. xxv, 34.—[3] I Reg. II, 2.—[4] 4 Luc. I, 48.—[5] Ibid. 69.

fœtum ad ramum vitæ proferre cupiens, ipsum ceroma cum mellificio integrum servans, orationum alimentis munita, opus non fictum superis exhibuit, in mysticam illam cœnam donum remittens, quod suavitate ac dulcedine gustus etiam lætificat Angelos. Quid igitur pro his retribuemus optimæ mulieri? Quid ad ista dicemus, charissimi? ita enim illa amorem suum ac desiderium in Christum demonstravit, laudibusque ipsum celebravit, ut dicendo vix assequi queamus: quare ex multis pauca saltem attulisse ei hic encomia suffecerit. Siquidem et ex ipsis jam diligenter enarratis, discimus hanc fidelem, valdeque Deo devotam fuisse: quoniam quæ sursum sunt sapiebat, regnique penetralia inspiciebat, ac immortalitatis præmia apprehendebat. Sanguinum fontes, et corporum vulnera, divitias perfectas arbitrata, mortem filii in immortalitatem jam versam cernebat, mentis oculis prospiciens.

XX. Dicebat enim: « Nunc magis me recreas, amantissime fili, nuncque te melius educare queo, quam cum te salvum atque incolumem produxi ex utero. » Sed quo pacto fieri ista possunt, o sancta, fidelis, atque beata! Vides cerebrum confractum; vides pupillas oculorum exilientes: vides illis ora contusa: vides labia in duas partes divisa, ipsasque verborum scintillas extinctas: et (ut uno verbo dicam) cernis universam altitudinem corporis, attractione, ac pondere verberum mutilatam: et dicis: « Nunc me vivam magis reddis, amantissime fili? Imo vero, inquit, et optime possum, ac valeo. Sed quo pacto, et in quo, ac qua medicina? Ego autem amplius dico: quo pacto, et in quo, ac quali gratia? Proferam Ezechielem prophetam in medium, qui evangelizabit ei, quod ad te dixit Dominus, o adolescens: « Ecce ego intromittam in ossa tua spiritum, » et stabunt super pedes suos, et vivent in perpetuum [1]. »

[1] Ezech. XXXVII, 5.

Deinde Paulum adducam affirmantem atque dicentem : «Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini : quoniam ipse » Dominus descendet de cœlo, et resuscitabit te in vitam » æternam [1]. » Postea ipsum quoque Dominum, divina sua voce edisserentem. « Qui perdiderit animam suam propter » me [2], in vitam æternam custodit eam [3]. » In istis tribus signis certis ac veris, apparuit mihi dilectissimus meus filius : et propterea non contemplor illum ut mortuum, sed tanquam viventem, atque superstitem, et permanentem in sæcula. Ideo et me oportebat manifestari tyranno quod mater ejus sim. Desiderio enim desideravit anima mea videre ipsum bibentem calicem istum : et ecce eum ebibit multa cum facilitate, et abiit in gloriam, referens mercedem suam. »

XXI. O « Mulier, magna est fides tua [4] : » vere, inquam, magna et celebris. Magna fortitudinis tuæ premia, ac valida pietatis tuæ bravia. Radix tua sancta, et ramus tuus sanctus, et sanctitas tua permanebit in æternum. Reliquisti hominibus nomen gratum, atque amabile , et invenisti inter Angelos laudem sempiternam. Ut suavis odor agri in conspectu agricolæ, sic bona fragrantia tua coram Angelis. Ut arbores fructiferæ in bona temperie aëris, ita oratio tua in conspectu Salvatoris. Instar Saræ benedicta es, et instar Liæ sanctificata ; tanquam Rebecca, et Rachel pulchritudinis flore glorificata es; velut Ruth conversa ad Dominum, directa es; sicut Martha et Maria, a Christo dilecta es; ut Anna et Salome, in precibus exaudita es; libro vitæ tuum inscriptum est nomen : et inter filios lucis, memoria operis tui. Juravit enim Dominus bonitate sua : « Propterea quod opus hoc fecisti propter me, choro Angelorum ascribam te, in requiem meam. » Unde a te deposco, o sancta atque fidelis, et beata, ora pro me Sanctos, dicens : « Intercedite, o triumphatores Christi, pro mi-

[1] 1 Thess. IV, 14.— [2] Matth. X, 39.— [3] Joan. XII, 25.— [4] Matth. XV, 28.

nimo ac miserabili Ephræm: ut misericordiam inveniam, Christique gratia salvus fiam. Quoniam ipsi convenit gloria, et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

ENCOMIUM IN MAGNUM BASILIUM.

I. Flectite ad me aures, fratres dilecti; narrabo vobis pulcherrimam narrationem. « Etenim consilia regum abs- » condere bonum est; Dei vero mysteria revelare est pro- » bum[1], » qui per occasionem fidelium servorum suorum corroborat infirmos, quorum primus ego sum. Mihi ergo inest desiderium attingendi res, quæ ad sanandam infelicem animam meam pertinent. Telam ego volo hodie ordiri ex præclara lana ovis rationalis : tunicam variegatam texere cupio ex vellere linguæ sub intelligentiam cadentis atque optabilis. Arietem enim aliquando vidi, cui pulchra erat pellis, et cornua ratione prædita divinitus loquentia : ad quem accedens cum multa sollicitudine, parvam tramam ex ipso sensim abstuli. Invasit autem me timor intolerabilis, quod cum non essem cordatus, talia ausus sim. Vultis-ne ergo clare accipere quisnam sit iste aries tot adeo elegantibus coloribus distinctus? Is est sapiens, et fidelis Basilius, qui Cappadocum chori episcopus est, qui in Cæsariensium civitate salutaria dogmata universo orbi descripsit. Basilius vere basis virtutum, liber laudum, vita miraculorum : qui in carne vadit, et in spiritu progreditur : convictor inferiorum, et superiorum inspector : beryllium plectrum mysticæ citharæ, quod regionem sanctorum

[1] Tob. XII, 7.

Angelorum oblectat : firmus agnus matricis vitæ, sacri Spiritus herbam illustrans : homo qui exilit affectu, et abripit florem ex ima radice venerandæ crucis : præsepe dogmatum, lingua verborum, præmium rectarum utiliumque cogitationum : qui immersit se in profundum Scripturarum, et extraxit splendidam margaritam : racemus venustus divinæ vitis, cœlitus divinam dulcedinem enuntians; membrana præclara sacræ sapientiæ, desuper divinis characteribus exarata : optimus superni regni ager, qui Deo germinavit fructus justitiæ : collis perflorens mystico roseto, cujus odor in ipsum cœlum aspirat : qui clamat in Domino grata cantica, accipitque in cœlis faciles coronas; qui intelligit gratiam et instar Jacobi[1] vicissim confessionem proclamat Servatori omnium, dicens : « Spiritus Do» mini Dei, qui fecit me, et quæ docet me spiratio omnipotentis[2] : » asseverans quod in Spiritu sancto Dominum Jesum Christum prædicaret.

II. Adhuc attexere orationi gestio ad encomia; ut lauta acceptione et memoria justi, nanciscamur precibus cognitionem et compunctionem. Oportet igitur radium Spiritus resumere, et sententiarum filum conficere : atque ita tali operi finem imponere, ac si in stamina tramam conjiciam. Nam si quis filum hoc sedulo neverit, stolam immortalitatis desiderantibus eam præbebit. Hujusmodi sunt primitiæ mystici agni : hujusmodi reditus sanctæ possessionis. Sic assidue doctrina quasi pilis abundabat, vestiens eos qui intererant. Aries spiritiferus gregis Christi, in misericordia efflorescens splendidæ Ecclesiæ; tonsura quidem sua pauperes refovens, cornibus vero divites feriens; in ipsis adytis dies noctesque consistens, a supernis gratiam accepit. Unde quotidie floribus instructo sermone, immutabile ornamentum animabus renovabat; quotidie cunctis se me-

[1] Genes. XXXI. — [2] Job. XXXIII, 4.

tiens, varietate sua non superabatur. Cum enim in floribus incorruptis cresceret, cum sanctis caliculis nutriretur, cum semper in Scripturas incumberet, in legibus apostolicis vacaret, ac in sacratis aulis resplendesceret; ideo et fluminis instar manabat ipsius oratio, et justitia velut fluctus maris. Illic nutricabatur divinis cogitationibus, et sic immortalia verba degustabat; inde gustabat virtutum cibos, et ita verba eloquebatur benevola. Non enim austerus ei erat cibus, non rubus; sed vel rosa, vel lilium, crocus et cinnamomum. Post hujusmodi pascua respiciebat, e mysticis germinibus cibum velut ex balsamo conficiens. Quocirca et splendida vigebant illius vellera, cedentia in divinorum documentorum texturam. Et quid plura de hoc ariete dicere opus est? ubi sermo evasit in vas perfectum, vas non quodlibet, sed quale Petrus vidit, quatuor initiis submitti de cœlo [1]. At illud quidem in terram descensionem faciens, volatilia et quadrupedia se continere ostendit; Basilius vero in cœlum ascensum nactus, eloquia nobis demonstravit inclyta et admirabilia. Atque illud quidem vas ad modicum tempus apparuit, et retracta est species ejus, quæ uni soli revelaverat: hic autem diuturno tempore in altum sublatus, Spiritus gratiam subministravit multis. Per illud Petrus cœlitus audivit: «Quæ ego purificavi, et tu » sume [2]. » At de hoc dictum est omnibus: « Quem ego sanctificavi, vos pariter honorate. » Quis ergo non laudaverit, quem Pater gloria affecit? aut quis eum non honoraverit, quem Filius sanctum effecit? Quis vero illum non prædicaverit beatum, quem sapiens et intelligens venerandusque Spiritus beatum habuit?

III. Papæ, quomodo complacuit consilio Numinis habitare in eo, et incedere? «Requiesco enim, inquit Deus, super » mansuetum et quietum, ac trementem sermones meos [3]. »

[1] Act. x. — [2] Ibid. 13, 15. — [3] Isaï. LXVI, 2.

Sic ipsius gratia mentem inundavit; illa veneranda et perennia fluenta; ut et homines peccatis suis coinquinatos exhiberet venuste compositos, tanquam baptizatos. Ubi ergo Dominus erga me misericordia commotus fuit, occasione orta miserans in quadam civitate, illic audivi vocem dicentem mihi : «Surge Ephræm, et comede sensa.» Et respondens dixi in multa anxietate : « Unde ego, Domine, comedam ? » Dixitque ad me : « Ecce in domo mea regium vas suppeditabit tibi cibum. » Vehementer autem admiratus super dictis, surgens perveni ad templum Altissimi : et cum sensim ad aulæ vestibulum ascendissem, ac præ desiderio per locum portæ adhærentem prospexissem, vidi in Sanctis Sanctorum vas electionis coram ovili præclare extensum, verbis Deum decentibus varie ornatum, omniumque oculos in illum defixos. Vidi templum per eum Spiritu nutritum, nec non erga viduas et orphanos potissimum misericordem. Aspexi illic apud eum, lacrymas, fluenta fluvios imitantia, et vellus vitæ cunctis instar auri radians; ipsumque pastorem pennis Spiritus pro nobis preces evehentem, ac deducentem verba. Vidi ab ipso Ecclesiam decoratam, et eam, quæ dilecta est, exornatam. Conspexi per eum Pauli doctrinam, Evangeliorum legem, mysteriorum timorem. Illic intuitus sum utilem salutaremque sermonem, ad ipsum usque cœlum fideliter assurgentem; uno verbo, totum illum cœtum splendoribus gratiæ collustratum. His porro cunctis religiose adeo per vas regni electum vigentibus, laudibus celebravi sapientem bonumque Dominum, qui sic ipsum glorificantes glorificat.

IV. Post auditorium vero, ex Spiritu sancto notitia viro data est de me; et arcessens vilitatem meam, per interpretem interrogavit me, dicens; « Tu-ne es Ephræm, qui præclare cervicem inclinasti, et sustulisti jugum salutaris verbi? » Et respondens dixi; « Ego sum Ephræm, qui cœ-

lesti cursu me ipsum frustratus fui. » Cumque me apprehendisset divinus ille vir, sanctum osculum suum in me confirmavit; apponensque mensam, ex esculentis sapientis sanctæque et fidelis animæ ipsius, non quidem corruptibilibus conditam ferculis, sed incorruptis refertam sententiis : « Quibus enim, dicebat, bonis operibus possumus Dominum præclare nobis placatum reddere? quo pacto peccatorum coërceamus insultus? et quomodo affectuum occludamus ingressus? qua ratione apostolicam comparemus virtutem? et quonam pacto incorruptum exoremus judicem? » Tum lamentatus clamavi, et dixi; « Tu, pater, custodi mollem ac desidem; tu in rectam semitam dirige me; tu lapideum meum cor compunge. Ad te enim projecit me spirituum Deus, ut animam meam cures. Tu animæ meæ navim seda, ad aquam requietis. »

V. Atque hic mihi præclari magistri studium contemplare, unde virtutem meam comprehendit, formam continuit, ut ita dicam, virgam corporis, evellensque irrationabilium affectuum mores, detraxit squamas, tabem oculorum; et subtrahens viriditatem immaturitatemque sermonis, me zelo cepit, ac demersit in documentorum suorum immersoria. Tunc concepit venter meus prudentiam, ut pararet quadraginta martyrum laudes. Omnem enim tolerantiæ ipsorum modum meis adjunxit auribus egregius vir; quemadmodum scilicet elegerint mori pro Christo, quantaque pericula contempserint, ut ipsum lucrifacerent; tum quot numero fuerint Sancti illi; reliquaque ad pietatem eorum pertinentia edixit.

VI. Quia ergo ad insigne adeo opus nos dignos censuit fidelis pontifex, horum triumphantium pulchreque vincentium, virorum laudibus ad aliam orationem rejectis, hunc sanctum Christi beatum prædicemus, eorum æmulum, parisque dignitatis virum. Sicut enim Sancti illi viriliter

Licinio tyranno restiterunt, et duci præsidi; ita et sanctus hic opposuit se Valenti, Ario, et feroci præfecto. Verum illi spinas erroris evulserunt; hic autem hæreticæ insaniæ tribulos. Illi Licinii septa athletica solverunt, et hic Valentis edicta dissolvit. Illi jussa ducis irrita fecerunt: hic Arii objectacula confudit. Illi præsidis temeritatem diremerunt; hic vero Modesti præfecti vesaniam perfregit. Illorum enim certamine extimulatus, velut Phinees, linguas perfodit a Deo fornicantes. Unde vehementi admodum desiderio tenebatur bibendi calicem, et tropæum per martyrium statuere studebat. Martyres propter fidem in Christum, universam simul tribulationem in se ipsis ferentes, fortiter sustinuerunt; at Basilius ob spem in Christum, tentationum velut nivium defluxus viriliter pertulit. Illi vestes suas exuerunt, membraque tradiderunt plagis; et hic detritum panniculum collo corporique circumpositum præexuere festinabat. Illi in stagno hominem in impietate errabundum ad se traxerunt, atque gloria donarunt; hic vero in piscina fideles baptizans, conciliavit illis regnum cœlorum. Illi inter aquas desiderio inflammati, lumen cum coronis super capita sua conspexerunt; atque hic dogmatibus sanctæ Trinitatis incensus, præmium certaminis adversus male sentientes retulit.

VII. O quanta improbus machinatus est Beliar, ut Basilium a superno regno separaret! Irritavit reges, principes, et populos; et Basilius basis ac fundamentum extitit fidelium. Exasperavit omnes procellas suas; ignitum tamen sapientem nullatenus turbavit. Intulit tempestatem per suos ministros, varios hæreticos; sed gubernatoris ars magis enituit. Excitavit in Ecclesiam fluctus maximos; et navim fidei Basilii submergere nequivit. Hæreticis verbis impugnavit eum, statimque theologiæ dogmatibus impetebatur. Adversus eum armavit Arium, tanquam Goliathum;

ac tribus fidei lapidibus ab ipso missis velut funda petebatur. Allisit ad turrim ejus per ventos perversæ doctrinæ; venti enim erant sermones impiorum: atque hunc a sententia non dimoverunt; muniebatur siquidem tribus inexpugnabilibus muris, immaculatæ Trinitatis. Emisit sagittas Polytheiæ, seu erroris de multiplici divinitate; at mox per monarchiam, seu verum de Deo uno dogma fugabatur. Venerunt castra latrantium canum; et baculo crucis vulneravit eos. Pelle rursus ovina tegebantur lupi; et protinus illorum redarguebat hypocrisim. Festinabat iniquitas turbare; et subito vincebatur per viri justitiam. Contendebant infideles imitari fidem et doctrinam illius; verum illico declarabatur perfida eorum impiaque sententia. Captabant ipsius habere libertatem; statimque apparebat illorum insipientia.

VIII. Cum enim etiam adversarii noverint in veneratione atque honore habere virtutem animique fortitudinem, dum gravi morbo detineretur filius tyranni, rogabant virum hunc ut pro eo precaretur; illo vero proponente conditionem: « Si eum mihi tradideris, ut adducam ad immaculatam fidem, liberemque ab omni impietate arianæ doctrinæ; » et ipso assentiente; statim Basilius pro imperatore terreno erga cœlestem intercessor extitit; obtulit viri promissum, eique sanitatem filii retulit. Ut autem serpentes viderunt puerum servatum, rursus levis imperatoris mentem depravarunt, ejusque filium acceptum baptizarunt aqua, non tamen Spiritu; docebant abnegare Filium Dei; interius irretientes, et exterius induentes; foris Christum induit, intus dilacerat. Quare non multo post miseri spiritum abstulit, prædicans ingratam eorum mentem.

IX. Hæc miraculis Eliæ nequaquam cedunt, nec inferiora sunt signis Elisei. Quemadmodum illi mortuos reduxerunt inter vivos; ita fidelis Basilius oratione, moriturum jam

puerum a morte eripuit. Sed et sicut rursum Petrus Ananiam et Saphiram ob furtum enecavit: sic et Basilius locum Petri obtinens, ejusque pariter auctoritatem libertatemque adeptus, Valentem suæ promissionis furem arguit, ejusque filium morte mulctavit. Unde ingens animi dejectio, atque anxietas miseros cepit, infidelemque illum imperatorem.

X. Quis porro enarraturus est imbres miraculorum, quæ beatus et fidelis Basilius exhibuit rebus ipsis. Quia ergo impotentes sumus ad tot tantaque viri recte facta enarranda, omnibus silentio prætermissis, unum commemorantes ostendamus, quomodo etiam sensus expertia virum istum societate pugnæ adjuverint. Nam cum nihil non moverent genimina viperarum, quo Justum e medio tollerent, a quo assidue verbis simul ac miraculis tanquam telis feriebantur, accesserunt, petieruntque abripi eum atque exterminari. « Gravis enim, inquiunt, ille nobis est, vel solum conspectus. Etenim valde contrarius nobis est in sermonibus; propterea fieri nequit, o imperator, ut fides nostra progressum capiat, si iste adsit. »

XI. Quorum sermonibus inductus imperator, suscepit in exilium eum mittere : statim vero calamus qui non sustineret iniquo subservire consilio, ultro confractus est; insipientem erudiens quam enorme facinus patrare vellet in servum Christi, unius in Patre, et Filio, et Spiritu sancto Divinitatis præconem, quique ita non sentientes aut loquentes, tanquam canes rabidos sapienter redarguebat. Cum autem non sentiret is, in animo calamo insensibilior, filius revera erroris, secundum quoque sumpsit, ad subscribendum, et ad finem imponendum malæ voluntati : verum hunc similiter confringi vidit, nec pati velle communionem mali, quod ipse facere nitebatur. Quid conaris, o imperator, in peregrinam eum ejicere regionem, qui inhabi-

tatorem habet universa complentem? Cur capere tentas nulli expugnabilem? Quare civitate pellis civem cœli? Nam si tertium quoque calamum sumpseris, cernes contritum, nolentem, nec tibi cooperantem. Quod utique etiam contigit. Tunc aperte victoria a cunctis prædicata fuit; tum illustre tropæum invicti hominis, calami tres extiterunt, Trinitatem consubstantialem prædicanti patrocinantes. Manus ad proferendam sententiam festinabat; et calami eam injustam demonstrarunt. Manus pravum calculum dare properabat; calami vero inane studium retinebant. Et sicut virga Moysis confudit omnes incantatores, reliquosque Ægypti maleficos; ita calami subito destruxerunt consilium impiorum, ac filiorum tenebrarum.

XII. Qua ratione tuam prædicabimus beatitudinem, o pater Basili? qui velut stimulo errorem pungis, et abigis; qui sagaciter proficisceris cum apibus, habitasque in prato divinitus inspiratarum Scripturarum, illincque nobis flores decerpis propheticos, rorem apostolicum, evangelicam vitam; qui semper insides virtutum alvearibus, unde divinum nobis conficis munimentum; qui mel divinæ ac immaculatæ fidei sapienter in Spiritu sancto operaris; qui nos doces contemnere improbos fucos, et fidem in ipsum cœlum facere; quippe clamas cum Davide: « Dulcia eloquia tua faucibus meis sunt, super mel ori meo [1]. »

XIII. O fidelis Basili, velut Abel susceptus es, velut Noë servatus, tanquam Abraham amicus Dei vocatus, tanquam Isaac victima Deo oblatus, ut Jacob tentationes fortiter sustulisti, et ut Joseph magnam gloriam adeptus es; instar Moysis, secundum Pharaonem virga crucis demersisti, dum affectuum mare secas; instar Aaronis summus sacerdos Domini declaratus es; sicut Jesus, filius Nave,

[1] Psal. CXVIII, 103.

hostes in fugam vertisti; sicut Phinees zelo inflammatus, gratia dignus habitus es; sicut Esaïas igne spiritali mundatus fuisti; quasi Ezechiel sedentem super Cherubim conspexisti; quasi Daniel ora leonum obturasti; et veluti tres pueri flammam adversariorum præclare conculcasti; quemadmodum Petrus prædicasti; quemadmodum Paulus docuisti; quemadmodum Thomas Deum passum confessus es; in morem Matthæi, Marci, Lucæ, et Joannis, tu de rebus divinis disseruisti, et more Apostolorum iniquos erudisti, impios convertisti, Deo fuisti gratus, et acceptus. Deprecare pro me admodum miserabili, et revoca me tuis intercessionibus, pater; fortis ignavum, sedulus segnem, alacris socordem, sapiens insipientem; qui thesaurizasti tibi virtutum thesaurum, me omnis boni operis inopem. Te enim magnum effecit Pater misericordiarum; te beatificavit Filius Dei; te in templum sanctum instauravit Spiritus sanctus: cui convenit gloria, imperium, magnificentia, in sæcula.

SERMO XVI.

IN VITAM BEATI ABRAHAMII, ET NEPTIS EJUS MARIÆ.

I. Fratres mei, enarrare vobis volo pulchram perfectamque viri admirandi vitæ rationem: quam quidem ipse sic inchoavit atque perfecit, ut gloriam promeruerit. Cæterum vereor admirabile atque illustre testimonium texere imaginis ejus Deo acceptæ virtutis. Ecce enim vita quidem ac conversatio viri bona et perfecta est: at ego infirmus et imperitus. Imago virtutis luculenta et admi-

randa est : colores vero tristes sunt ac horridi. Verumtamen quamvis imbecillis sim et imperitus sermone, perfectionemque illius digne comprehendere nequeam ; tentabo tamen vel ex parte enarrare, qualiscumque sim, atque disserere, licet insufficiens, de altero Abrahamo, qui nostris extitit temporibus, et angelicam cœlestemque vitam in terris duxit, posseditque patientiam, adamantis instar, et cœlestem meruit consequi gratiam. Et quoniam a juventute sua castum pudicumque se exhibuit, templum Spiritus sancti effectus est, et vas sanctum, ut in eo qui vocaverat ipsum Deus, suum domicilium habitationemque teneret.

II. Hic igitur beatus parentes habuit admodum divites, qui cum supra modum humanæ naturæ ipsum diligerent, desponsarunt ei puellam adhuc puero, expectantes ut ad dignitatem aliquam promoveretur. At hic longe aliter sentiens, ab ipsa mox ætate juvenili, ecclesias frequentare cœpit : et si quando sacras Scripturas legi audiret, lubens aures accommodabat, et studiose in iis se exercebat, et meditabatur. Cæterum parentes ejus compellebant ipsum matrimonii vinculis obstringi, quibus cum ille diu multumque obstitisset, tandem tamen pudoris verecundia victus, acquiescere ac consentire cogitur. Celebratis ergo die septimo nuptiis, ipsoque jam in thalamo cum sponsa sedente, subito tanquam lux quædam, divina gratia in corde ipsius refulsit, quam veluti ducem nactus atque secutus, illico domo exiliens, e civitate egressus est. Duobus autem milliaribus procul inde cellulam quamdam vacuam invenit, in quam ingressus, magno ibi cum gaudio habitabat, lætoque corde Deum glorificabat. De quo ejus facto tam parentes ipsius, quam cognati et vicini magno correpti sunt stupore : egressique, beatum illum ubique requirebant. Cumque illum post decem et septem dies in ea cella preces

ad Deum fundentem invenissent, ad ejus aspectum valde obstupuerunt. Beatus autem ad eos : « Quid, inquit, admiramini? Deum potius benignissimum collaudate, qui me a cœno iniquitatum mearum eripuit; et pro me orate, ut in finem usque vitæ jugum hoc, quod me licet indignum subire voluit Dominus, valeam sustinere, vitamque meam beneplacitam secundum ipsius voluntatem instituere. » Cui cum respondissent, Amen; hortatus ac deprecatus est ipsos ne sæpius ei molestiam prætextu visitationis inferrent. Tum ostium cellulæ obstruxit, seque ipsum intus reclusit, minima fenestella relicta, per quam cibum acciperet. Illustrataque est mens ejus divina gratia, qua in dies in optimo vitæ instituto proficiebat, continentiamque magnam possidebat, ac vigiliis, planctui, humilitati atque charitati vacabat. Cumque ubivis locorum fama ejus percrebresceret, cuncti audientes, ad eum visendum, et ut ab eo juvarentur, undique confluebant. Datus enim eidem a Deo fuerat sermo sapientiæ et intelligentiæ : eratque opinio ac fama de ipso inter parentes, lucidissimi luminaris instar refulgens.

III. Accidit autem post decem annos a tempore renuntiationis suæ, ut parentes ejus ex hac vita migrarent, cum magnam auri vim opesque ei reliquissent. At ille rogavit amicum quemdam sibi fidum ut universa quæ sibi obtigerant, in pauperes et orphanos distribueret, ne per ea ab orationibus avocaretur impedireturque. Quibus sic actis, tranquilla mente, vacuoque curis animo remansit. Illud quippe beati viri erat studium, ut mentem nullis rebus terrenis obstrictam haberet : atque ideo nihil super terram, præter sagum unum, et tunicam unam cilicinam, quam gestabat, unumque catinum, ex quo edere ac bibere consueverat, possidebat. Cum his vero omnibus humilitatem supra modum, et charitatem erga omnes parem sibi

vindicabat. Non divites pauperibus in honore præferebat, nec principem subdito; verum omnes æqualiter citra personarum acceptionem honorabat. Neque interdum quemquam durius increpabat; sed erat sermo ipsius sale charitatis et mansuetudinis conditus. Nam quis pulcherrimas ejus responsiones audiens, satiari aliquando dulcedine eloquiorum ipsius potuit? aut quis vultum ejus venerabilem, aspectumque angelicum quandoque intuens, non magis accensus fuit ad sæpius eum videndum? Toto porro tempore religiosæ ipsius exercitationis, canonem seu regulam semel arreptam non mutavit, sed quinquaginta annorum spatio in eodem vitæ tenore cum omni alacritate se exercuit. Propter nimium autem amorem ac desiderium, quo in Christum ferebatur, omne temporis illius ævum quasi dies paucos reputabat, nullaque satietate religiosi instituti sui capi unquam poterat.

IV. Erat vero non longe a civitate illa vicus valde magnus ac spatiosus, in quo cuncti pariter pagani a minimo usque ad maximum degebant, quos nullus plane convertere poterat, quamvis multi presbyteri et diaconi ab episcopo illius loci constituti fuissent : nemo tamen illos ab idololatria avertere valuerat; sed omnes, qui id tentabant, re infecta ab iis recedebant, ob gravissimam afflictionis molestiam, qua ab illis premebantur. Cumque turba nihilominus monachorum semel atque iterum illos adire tentasset, nihil omnino super eorum conversione profecerunt. Quadam ergo die episcopus sedens cum clericis suis, beatissimi hujus viri memor, dixit ad eos : « Talem ego virum cunctis temporibus meis non novi, ita in omni opere bono perfectum, omnibusque exornatum virtutibus, quas Deus diligit, sicuti domnum Abrahamium. » Clerici autem respondentes, vere illum Christi famulum, monachumque perfectum esse affirmabant. Ad quos episcopus : « Volo,

inquit, eum ad hunc paganorum vicum ordinare presbyterum : patientia siquidem et charitate sua illos ad Deum convertere poterit. » Et consurgens e vestigio, una cum clero ad cellulam ejus contendit : quo cum pervenissent, eumque salutassent, cœpit mox episcopus de vico cum illo agere, ipsumque hortari atque rogare ut istuc proficisceretur. Quo ille audito, vehementer contristatus, ait ad episcopum : « Permitte mihi, obsecro, pater, ut meas iniquitates deplangam ; neque ejusmodi negotium mihi homini imperfecto et infirmo imponas. » Ad quem denuo episcopus : « Christi, inquit, gratia idoneus es : quare noli te in hac obedientia cunctabundum exhibere. » Cui vir beatus respondit : « Rogo sanctitatem tuam ut tenuitatis meæ misereatur, meque propria deflere mala permittat. » Et ad eum episcopus : « Ecce, inquit, omnia reliquisti, et mundum ac quæcumque in eo sunt, odisti, teque ipsum crucifixisti ; verumtamen licet hæc cuncta recte perfeceris, obedientia tamen adhuc cares. » Quæ cum ille audiret, illacrymans dixit : « Quis sum ego canis mortuus, et quæ est vita mea, quod talia de me cogitasti ? » Cui episcopus : « Ecce hic, inquit, residens, tuam duntaxat salutem curas : illic vero divina adjuvante gratia plurimos salvare, et ad Deum convertere poteris. Perpende igitur tecum, unde ampliorem consequi mercedem possis, hinc-ne, an inde ? utrum si teipsum solum salvaveris, an si plures alios tecum ad salutem adduxeris ? » Beatus autem ille vir plorans, dixit : « Fiat voluntas Domini ; attamen propter obedientiam proficiscar. » Eductum igitur illum ex sua cellula, in civitatem adduxit, ibique per manus impositionem illum ordinavit, ac protinus cum gaudio comitantibus clericis ad vicum destinavit. Quo dum beatus se conferret, precabatur in via Deum, dicens : « Benignissime ac optime, respice imbecillitatem meam, et gratiam tuam in

auxilium meum mitte, ut nomen sanctum tuum glorificetur. »

V. Perveniens vero ad vicum, conspexit illos idololatriæ insania vehementer esse detentos : quare suspirans, flevit amare, sublatisque in cœlum oculis, dixit : « Tu Domine, qui solus absque peccato es, qui solus es misericors, et solus clemens atque benignus, ne despicias opera manuum tuarum. » Festinanterque misit nuntium in civitatem ad quemdam charissimum amicum, ut pecunias ex patrimonio suo relictas sibi mitteret. Quas cum accepisset, intra paucos dies extruxit ecclesiam, in qua assidue preces Deo offerebat, et sic multis cum lacrymis orabat atque dicebat : « Congrega, Domine, populum tuum dispersum, et introduc eum in hoc templum tuum, oculosque mentis ipsorum illumina, ut te solum verum Deum cognoscant. » Qua expleta precatione, confestim ab ecclesia egressus, contendit ad fanum gentilium, ubi abominationes eorum destruxit, et aras subvertit. Quod factum cernentes pagani illi, tanquam feræ agrestes in eum irruerunt, multisque verberibus laceratum, ex vico ejecerunt. Ipse vero illuc reversus, iterum in ecclesiam se recepit, ubi cum fletu ac gemitu pro illis, ut salvi fierent, Deum deprecabatur. Mane autem jam facto, adventantes pagani invenerunt eum orantem : unde magno perculsi stupore, quasi stupidi evaserunt. Quare etiam ad ecclesiam quotidie veniebant, non quidem orandi gratia, sed ut pulchritudinem ædificii, et ornamentum ecclesiæ suis oculis contemplantes recrearentur. Cœpit itaque rogare eos ut verum Deum agnoscerent. Illi vero baculis eum tanquam lapidem aliquem exanimem percusserunt; mortuum autem illum existimantes, recesserunt, semivivo eo ibi relicto. Media vero nocte ad seipsum reversus, ingemiscens flevit vehementer, et dixit : « Cur despexisti humilitatem meam, Domine? et quare faciem tuam

a me avertis? et quamobrem animam meam repellis? et opera manuum tuarum contemnis? Nunc igitur, benignissime Domine, respice super servos tuos, et concede eis ut cognoscant te, quoniam præter te non est alius Deus. Post orationem vero surgens intravit in vicum, ingressusque ecclesiam, stans Psalmos decantabat.

VI. Facto autem diluculo, rursus adventantes conspexerunt eum ibi, et obstupefacti, atque in insaniam versi, ut truculenti, et omnis misericordiæ expertes, diris illum tormentis crudeliter affecerunt, et iterum funibus alligatum, sicut prius, extrà vicum traxerunt. Ista autem cum per triennium pateretur, adamantis instar, fortiter perdurabat, neque tòt tantisque tribulationibus atque necessitatibus unquam cessit; sed cum percuteretur, et contumeliis afficeretur, cum traheretur, cum affligeretur atque opprimeretur, cum fame et siti conficeretur; in omnibus tamen his, quæ ipsi accidebant, nunquam aversatus est illos, neque indignatus ac commotus est; verum magis magisque ejus in ipsos charitas augebatur, et quasi rogum ardentem, iracundiam eorum sua modestia ac mansuetudine restinguebat. Modo enim eos obsecrabat, modo admonebat, modo dulcium verborum blandimentis ipsos deliniebat : et quidem seniores, ut patres, rogabat; juvenes autem, ut fratres, et pueros ut filios; licet interim ipse ab eis irrideretur atque subsannaretur. Quadam porro die incolæ vici illius simul congregati a minimo usque ad maximum, vehementerque obstupefacti, dicere cœperunt ad invicem : «Videtis patientiam viri, ineffabilemque ipsius in nos amorem et charitatem? quoniam in tantis tribulationibus ac malis per nos ei illatis, nequaquam hinc abscessit, neque verbum aliquod malum cuiquam nostrûm dixit, neque alienior a nobis est factus : verum magno cum gaudio hæc omnia patientissime sustinuit. Nisi sane

esset Deus vivus cum eo, sicut dicit, et regnum, et paradisus, et supplicium, et retributio, non hæc utique perferret a nobis : quin et deos omnes ipse solus confregit atque evertit, et in nullo eum offendere vel lædere potuerunt. Vere servus Dei hic est, et quæcumque ab eo fuerunt dicta, divina sunt ac vera. Venite igitur, credamus in Deum, qui ab ipso prædicatur. »

VII. Qui cum inter se loquerentur, omnes pariter ad ipsum in ecclesiam contenderunt, clamantes et dicentes : « Gloria cœlesti Deo, qui famulum suum misit, ut nos ab errore liberaret atque salvaret. » Beatus autem vir illos conspiciens, gavisus est gaudio magno, et facies ipsius ut flos pulcherrimus apparuit : aperiensque os suum, dixit ad eos : « Patres, fratres, ac filii, benedicti vos, qui huc intrastis in nomine Domini. Venite unanimiter, demus gloriam Deo, qui oculos mentis vestræ illuminavit, ut ipsum agnosceretis : et signaculum vitæ accipite, ut ab idolorum immunditie purificemini : totoque corde ac animo credite quod Deus sit creator cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, omnis principii expers, incomprehensibilis, inenarrabilis, inseparabilis, inalterabilis, omni fine carens, dator luminis, hominum amator, magnus et admirabilis, terribilis et fortis, suavis atque benignus : et in Filium ejus credite unigenitum, qui est potentia Patris et sapientia, gloriæ ejus splendor, per quem et omnia facta sunt : et in sanctum ejus Spiritum, ipsi consubstantialem, qui simul cum eo regnat in immensa ac infinita sæcula, omniaque vivificat : et credentes vitam æternam adipiscemini. » Respondentes autem cuncti dixerunt ; « Ita sane, pater noster, ita dux vitæ nostræ : ita fiet, sicut asseris, et nos doces ; ita crédimus, et sic sentimus. » Et illico Beatus sanctum baptisma arripiens, baptizavit eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,

a minimo usque ad maximum, ad mille usque animas.

VIII. Per singulos autem dies sacras Scripturas eis legebat, disserebatque cum ipsis de regno cœlorum, de fide et justitia, de mortuorum resurrectione, et de tremendo judicio. Quemadmodum autem terra bona ac bene elaborata semen percipit, affertque bonum fructum, alium quidem centesimum, alium vero sexagesimum, et alium trigesimum : ita et illi magna alacritate verba ejus suscipientes, libentissimeque doctrinam ipsius audientes, uberrimos inde fructus referebant. In conspectu autem ipsorum velut Angelus Dei videbatur, et quasi quædam firmi ac pulchri ædificii ligatura : sic quippe charitatis et amoris vinculo omnis anima colligata cum eo erat, ipsorumque mens consolatione fidei ac doctrinæ ejus illustrabatur. Totum porro annum egit apud eos vir beatus, postquam fidem susceperunt, docens eos indesinenter dies noctesque verbum Dei. Cæterum ubi jam studium eorum erga Deum, et fidei firmitatem perspexit, magnam quoque in ipsum charitatem, curam, honorem, ac reverentiam, veritus ne illorum occasione cogeretur religiosæ vitæ disciplinam relaxare atque dissolvere, et ne quocumque modo mens ejus terrenarum reum curis astringeretur, consurgens noctu, sic Deum precatus est : « Tu qui solus absque peccato es, qui solus sanctus, qui in Sanctis requiescis, qui solus clemens et benignus Dominus, qui e tenebris populum hunc revocasti, et in admirabili lumine cognitionis tuæ firmasti, Domine ; quique eos ab adversarii vinculis absolvisti, et ab errore convertisti, eisque in te fidem tribuisti, in finem usque conserva eos, Domine, et succurre huic gregi tuo, quem benignitate tua possedisti : eosque omnipotenti gratia tua communias, et semper corda ipsorum illumines, ut ea, quæ grata atque accepta tibi sunt, perficientes, æternam vitam consequi mereantur. Ac mihi

quoque infirmo auxilium impertire, et ne reputetur mihi hæc res in judicium, quia te desidero, ac sequi appeto. » Et completa oratione abiens, ter crucis signaculo vicum signavit, ac latenter in alium locum recessit.

IX. Mane autem facto, de more convenerunt, et requirebant eum; sed quod non invenissent, obstupuerunt; unde quasi oves errantes, diversa loca obibant, pastorem suum perquirentes, magnoque cum timore ac planctu nomen ejus inclamantes. Cum autem ubique perquirendo, eum invenire nequivissent, nimium contristati, e vestigio ad episcopum pergunt, et quod sibi acciderat, denuntiant. Qui cum hoc audisset, ipse quoque mœrore dejectus, confestim cum diligentia plures ad requirendum beatum virum emisit, præsertim propter lacrymas et consolationem gregis ipsius. Cumque ubique tanquam lapis aliquis pretiosus quæreretur, et minime reperiretur, illique qui ad eum perquirendum destinati erant, jam re infecta rediissent, episcopus cum toto clero ad vicum concessit, et consolatorium vitæ sermonem ad eos habuit, et ex ipsis presbyteros, et diaconos, lectoresque constituit: omnes enim in fide, et charitate Christi jam confirmati erant. Audiens vero beatus de incremento et profectu cleri, deque illorum statu, admodum gavisus est, et Deum glorificans, dixit: « Quid retribuam tibi, benignissime Domine, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Adoro, et glorifico salutarem dispensationem tuam. » Sicque orans, et exultans, ad pristinam suam cellam reversus est.

X. Fecit autem alteram parvam cellam extrinsecus, et semetipsum magno cum gaudio atque lætitia cordis sui conclusit in interiore, obstructis foribus. Quo intellecto, inhabitatores vici illius adventantes ad beatum Abrahamium, gavisi sunt gaudio magno, quod eum tanquam revera vitæ ducem nacti essent: accedebantque ad ipsum, quasi

ad patrem, ut docerentur et illuminarentur : et quia supra quam dici possit, ejus vitæ instituto ædificabantur, pro maxima gratia ducebant, si saltem eum videre, et verba salutis ab ipso audire possent. O miraculum, charissimi ! vere laudibus et gloria plenus est vir iste : quippe qui in tantis tribulationibus, quas in eo vico sustinuit, nunquam religiosæ vitæ suæ regulam infregit, neque ab ea ad dexteram vel sinistram declinavit. Gloria et magnificentia Domino Deo nostro, qui talem ei patientiam præstitit.

XI Videns igitur Satanas, qui ab initio virtutis ac salutis hominum hostis fuit, quod in tantis afflictionibus, quas illo in vico adversus eum excitaverat, non valuisset ipsum lædere, neque ad animi remissionem eum trahere, neque mentem ejus a proposito abducere, sed tanquam aurum in infundibulo, sic ipse magis resplendesceret, ampliusque ad multorum exemplar in patientia, et in Deum charitate atque alacritate proficeret, vehementer honestatis inimicus adversus beatum Abrahamium exacerbatus, venit ad eum magno cum phantasmate, ut terrorem ipsi incutiens, fallere eum posset. Cum igitur media nocte staret ac psalleret, repente lux sole splendidior refulsit, et vox quasi multitudinis audita est, dicens : « Beatus es, domne Abrahami, vere, inquam, beatus es : quoniam nullus in cunctis recte factis inventus est, sicut tu; nullusque ita omnes voluntates meas perfecit, ut tu : atque ideo beatus es. » Subito autem vir beatus dolum maligni cognoscens, elata voce dixit : « Tenebræ tuæ tecum sint in perditionem, plenus enim es dolo atque fallacia; ego vero homo peccator sum : quia tamen charitatem Dei mei habeo, et spem in ipsum, atque ejus auxilium, in nullo ego te timeo, neque plurima tua phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidèm munitissimo est mihi nomen Domini mei et Salvatoris Jesu Christi, quem dilexi, in quo

te nomine increpo, immundissime ac miserabilissime canis.» Quæ cum ipse diceret, illico instar fumi a conspectu ejus evanuit. Beatus autem multa cum alacritate tranquillo animo benedicebat Deo, tanquam qui nullum prorsus spectrum conspexisset.

XII. Rursus vero paucos post dies orante eo noctu, tenens securim Satanas, cœpit cellam ejus evertere: cumque jam eam videretur perforasse, magna exclamavit voce, dicens: « Festinate celeriter, o amici mei, festinate, et introeuntes cito eum suffocate. » Beatus autem contra ad illum. « Omnes, » inquit, « gentes circumdederunt me, et » in nomine Domini ultus sum eos[1]. » Ille vero protinus evanuit, cella interim integra atque illæsa permanente. Iterumque paucis interlabentibus diebus aliis, dum media nocte psalmodiæ vacaret, conspiciens stoream, super quam psallens consistebat, vehementi flamma comburi, ignem conculcans aiebat: « Super aspidem et basiliscum ambu» labo, et conculcabo leonem et draconem[2], » omnemque potentiam inimici in nomine Domini nostri Jesu Christi mihi auxiliantis superabo. » Diffugiens autem Satanas, exclamavit ac dixit: « Ego te devincam, improbe, artesque inveniam, quibus te conteram, qui me jam despectui habes. »

XIII. Quadam igitur die cum vir beatus, sicut consueverat, cibum sumeret, ingreditur in cellam ejus inimicus in forma ac habitu adolescentis, et propius accedens, catinum ejus nitebatur evertere. At ille cognoscens, manu illum retinebat, nihilque ejus insidias curans, comedebat. Cumque exiluisset, accessit ad eum, et candelabrum coram ipso statuens, ardentemque desuper candelam imponens, magna voce psallere incœpit, ac dicere: « Beati im» maculati in via, qui ambulant in lege Domini[3]. » Cumque

[1] Psal. CXVII, 10. — [2] Id. XC, 13. — [3] Id. CXVIII, 1.

plura ex eo Psalmo verba decantasset, nihil ipsi respondit, donec cibum sumpsisset. Qui ubi jam comedit, signo se crucis muniens, ait ad ipsum : « Canis immunde, ac ter miserande, insulsissime ac timidissime, si nosti quod beati sint, cur igitur molestas eos atque perturbas ? Etenim vere beati sunt omnes, qui toto corde Deum diligunt. » Cui respondens diabolus, dixit : « Ideo molestias eis ingero, ut eos superem, ipsosque ab omni opere bono impediam. » At beatus ad eum : « Non, inquit, bene tibi sit, execrande ac maledicte, quod tu quempiam timentium Deum impedire valeas, nisi forte eos, qui tui sunt similes, et propria voluntate a Deo recedunt, quos facile vincis ac decipis, quoniam Deus in eis non est. Ab iis vero, qui diligunt Deum, instar fumi a vento rapti, deficis atque evanescis. Una siquidem eorum oratio, lacrymis permixta, sic te persequitur, sicut pulvis a turbine agitatus dispergitur. Vivit Deus meus, qui est benedictus in sæcula, ipse gloria mea : quare non te reformido, etiamsi toto tempore tuo hic consisteris, nihilique te facio, canis impure. Sic autem te contemno, quomodo si unus catulus ab aliquo contritus sperneretur. » Quæ cum beatus diceret, subito ille evanuit.

XIV. Denuo post aliquot dies, cum psalmodiam suam perfecisset, venit ad eum inimicus cum phantasmate copiosæ multitudinis hominum, qui quasi conjectis in cellam funibus, illam trahere videbantur, et inter sese clamabant, dicentes : « Projicite illum in foveam. » Quos beatus vir conspiciens, ait : « Circumdederunt me, sicut apes favum, » et exarserunt, sicut ignis in spinis, et in nomine Domini » ultus sum eos[1]. » Tunc exclamans Satanas dixit : « Hei mihi ! hei mihi ! quid deinceps tibi faciam ignoro. Ecce enim in cunctis me vicisti ac superasti, et universis viribus meis despectis, me conculcasti : verumtamen nec sic

[1] Psal. CXVII, 12.

quidem a te recedam, donec superans, humilem te subjectumque mihi reddidero. » Ad quem vir beatus : « Anathema, inquit, tibi sit, et cunctis viribus tuis, scelestissime atque impurissime : gloria autem et adoratio Domino nostro, soli sancto Deo, qui te nobis amatoribus suis conculcandum tradidit. Quare agnosce, infelicissime atque infirmissime, quod nos neque te, neque tuas pertimescimus illusiones. »

XV. Per multum vero temporis quamvis variis tentationibus et imaginationibus atque insaniæ machinis beatum virum oppugnasset, nequaquam tamen potuit vel timorem aliquem menti ac cogitationi ejus incutere : quin potius ad majorem alacritatem, et in Deum charitatem ipsum excitabat. Cum enim Deum toto corde ac animo diligeret, suamque vitam ac conversationem secundum ejus voluntatem institueret, affluenter divinam gratiam promeruit : ideoque in nullo eum lædere diabolus valuit. Patienter enim pulsaverat, ut ei thesaurus gratiæ Dei panderetur, cujus cum jam ingressus patefactus esset, tres sibi inde lapides pretiosos elegit, fidem, spem et charitatem, quibus et reliquæ in eo virtutes exornabantur. Texens quoque pretiosissimam coronam, Regi regum Christo obtulit. Quis namque sic toto ex corde Deum dilexit, et proximum ut seipsum ? aut quis ita laborantibus compatiebatur, et misericordiæ viscera ostendebat ? Quem etiam aliquando monachum intelligens bonæ conversationis esse, non pro eo precatus est, ut a quocumque diaboli laqueo liber conservaretur, cursumque vitæ suæ irreprehensibiliter consummaret ? Aut quem peccatorem vel impium quandocumque audiens, non confestim pro eo, ut salvaretur, Deum obsecrabat ?

XVI. Per omne porro tempus religiosæ vitæ suæ nunquam a regula sui instituti deflexit : neque unquam iisdem

temporibus dies illum aliqua sine lacrymis præteriit : non facile sua labia in risum solvebat; sed ne subridebat quidem. Non appropinquavit corpori ejus oleum : neque faciem suam, aut pedes aqua unquam abluit. Sic autem se gerebat, quasi quotidie esset moriturus. O stupendum miraculum! In admirabili illa sua abstinentia ac continentia, assiduisque vigiliis, ac lacrymarum fluentis, humi cubationibus quoque, et corporis emaceratione, nunquam remissior aut imbecillior factus est, neque segnitie, vel tædio aliquo fatigatus; sed veluti esuriens quispiam aut sitiens, sic mens ejus, quæ divinæ gratiæ virtute nutriebatur, nunquam ascetici instituti dulcedine poterat satiari. Erat vero aspectus ejus tanquam flos rosæ, et corpus ejus, quasi nihil abstinentiæ egisset, sanum validumque apparebat : divina enim ipse gratia sustentabatur : qui et in hora obdormitionis suæ ita specioso vultu cernebatur, quasi Angelorum comitatu animam ejus stipatam intelligeremus. Sed et alia in eo admiranda Dei gratia visa est, quod totis quinquaginta abstinentiæ suæ annis vestem cilicinam, qua indutus fuerat, nunquam mutaverit : quæque ita ad finem usque vitæ ipsi servivit, ut etiam alii participes ejusdem vestis postea fuerint, quæ ei prius jam inveterata usui fuerat.

XVII. Volo autem, charissimi, aliam quoque rem admiratione dignissimam, quam in senectute sua gessit, charitati vestræ enarrare : est enim intelligentibus ac spiritualibus viris vere admirabile, et plenum utilitatis atque compunctionis exemplum. Habuit beatus vir fratrem unicum, quo defuncto, filia ejus orphana relinquitur. Quam quidem noti atque amici ipsius, septem annos agentem, ad patruum ejus adducunt. Ipse vero quia in interiore sua cella reclusus degebat, eam in exteriore collocari jussit. Erat autem perexigua inter utramque cellulam fenestra, per

quam edocebat eam Psalterium, et reliquas Scripturas. Cum ipso quippe in divinis laudibus vigilabat, Psalmosque concinebat : et sicut ille, ita et ipsa abstinentiam colebat, alacriterque in arrepto pietatis instituto proficiens, cunctas virtutes perficere nitebatur. Vir etenim beatus frequenter pro ea obsecrabat Deum, ut mentem in eum defixam retineret, neque rerum terrenarum curis implicaretur, eo quod pater ejus ex hac vita migrans, magnam pecuniarum vim ipsi reliquisset, quas illico vir Dei distribui pauperibus mandavit. Ipsa quoque assidue suum interpellabat patruum, dicens : « Pater, rogo atque obsecro sanctitatem tuam ut pro me depreceris Dominum, ut ab absurdis ac pravis liberer cogitationibus, cunctisque inimici insidiis, ac diversis diaboli laqueis eripiar. Sicque alacriter se exercens, servabat regulam ascetici sui instituti. Exultabat autem vir beatus, quod ita eam in optimo vitæ instituto, et alacritate, ac in mansuetudine, et erga Deum charitate cerneret proficientem. Viginti enim annis cum eo in abstinentia degens, velut optima agna, et immaculata columba, ei convixit.

XVIII. Vigesimo autem annorum tempore expleto, cernens eam fraudulentus ac callidus serpens in virtutibus solitariæ vitæ excellere, ac cœlestia duntaxat contemplari, vehementi invidiæ igne tabescebat, et insidias tendebat, ut illam irretiret, ac sic saltem beato viro mœstitiam anxietatemque incuteret, mentemque ipsius ob molestiam de ea conceptam aliquantulum a Deo averteret. Et quemadmodum in primis parentibus, livore incensa maligna ac callida bestia serpentem pro instrumento ad decipiendum apto invenit, ut eos, qui in felicitate degebant, terram spinosam atque laboriosam incolere curaret : ita et hic aliquandiu explorans, invenit sibi vas ad perditionem præparatum. Erat enim quidam nomine duntaxat monachus, qui

studiose admodum prætextu colloquii ad beatum virum concedere solebat : sed et beatam illam per fenestellam aspiciens, miser mente excæcatus, cum ea congredi cupiebat, insidiasque ipsi multo tempore tendebat, quasi ad unum usque annum, donec tandem inventa opportunitate, eam penitus a beata veri paradisi conversatione alienam reddidisset. Siquidem a serpente jam seducta atque decepta, januam cellæ suæ aperuit, et egressa est : fraude enim maligni draconis ab eminenti dilectæ Deo purissimæque virginitatis statu elapsa est. Et sicut primi parentes, ubi de fructu gustassent, apertis oculis, cognoverunt se esse nudos ; ita et ista, postquam peccatum admisit, mente obstupescens, in desperationem se conjecit : conscindensque cilicinam vestem, qua erat induta, faciem suam manibus verberabat, cupiens seipsam præfocare. Aiebat enim intra se, plangens : « Ego jam me mortuam sentio; dies enim meos, fructumque religiosæ exercitationis meæ et continentiæ, lacrymarumque laborem perdidi : Deum exacerbavi, meipsam interfeci, sanctumque patruum meum amarissimo mœrore affeci, et diabolo ludibrio facta sum. Quid est quod deinceps ego misera atque infelix vivam ? Hei mihi! quid feci ? Hei mihi! quid fieri mihi passa sum ? Hei mihi! unde excidi ? Quomodo mens mea obscurata est ? quomodo a maligno decepta sum ? Non intelligo quomodo elapsa sim : quomodo ceciderim nescio : quomodo contaminata sim ignoro. Cujusmodi nebula obtexit cor meum, ut quid egerim considerare nequeam ? Ubi abscondar ? quo me vertam ? in quam foveam meipsam præcipitabo ? Ubi sunt monita beati mei patrui ? ubi doctrina socii et amici ejus Ephræm ? quando mihi dicere solebat : Attende tibi ipsi, et animam tuam incorruptibili atque immortali Sponso tuo immaculatam conserva. Nam Sponsus tuus sanctus est et zelator. Non amplius in cœlum

respicere audeo: nam apud Deum pariter et homines me jam mortuam esse cognosco: neque fenestram illam fixis intueri oculis deinceps valeo. Quomodo enim ego peccatrix rursus cum sancto illo viro loqui tentabo? et si id ausa fuero, nonne ignis per fenestram erumpens illico me comburet? Satius igitur fuerit me hinc alio abire, ubi nullus sit, qui me agnoscat: quoniam semel jam mortua sum, nec ultra mihi spes salutis est reliqua. »

XIX. Consurgens ergo e vestigio, perrexit in aliam civitatem, pristinoque habitu mutato, se ibi in quodam diversorio constituit. Quæ ruina dum huic fœminæ accidisset, visio per somnium talis beato viro ostenditur. Conspexit siquidem draconem ingentem atque horribilem, et in fortitudine sibilantem, qui quasi ex loco suo egressus, devenit usque ad cellam ejus, ibique columbam repertam devoravit, et rursus ad suum locum reversus est. Expergefactus autem vir beatus, contristatus est vehementer, flevitque amare, veritus ne persecutionem aliquam Satanas adversus sanctam Ecclesiam concitaret, ac multos a fide averteret, aut ne schisma aliquod, vel hæresis in Dei Ecclesia exurgeret. Quare Deum precatus est, dicens: «Benignissime, qui universorum es præscius, tu solus nosti quid magna hæc sibi velit visio. Denuo autem post alios duos dies eumdem vidit draconem ex loco suo prodeuntem, et in cellam ad ipsum ingredientem, caputque suum sub pedibus ejus posuisse, ac diruptum fuisse, columbam vero illam adhuc vivam et absque læsione repertam. Protinus autem a somno experrectus, semel atque iterum Mariam vocabat, dicens: « Evigila, cur pigrescis atque torpescis? hodie enim duo sunt dies, ex quibus os tuum ad laudandum Deum non aperuisti. » Sed cum responsum ab ea nullum acciperet, totoque biduo eam non amplius psallentem more solito audiret, intellexit suam quam cons-

pexerat visionem, ad illam pertinere. Quare suspirans flevit amare, dicens : « Hei mihi ! agnam meam lupus crudelis rapuit, et filia mea captiva effecta est. » Extollensque vocem suam, dixit : « Christe Salvator mundi, converte agnam tuam Mariam in ovile vitæ, ut senectus mea cum mœrore ad inferos non descendat. Ne despicias deprecationem meam, Domine; sed velocius gratiam tuam emitte, ut de ore draconis eam incolumem evellat. » Duo itaque dies illi, quibus visionem vidit, duorum annorum curriculum significabant, quibus neptis ejus foris vitam egit. At ille diu noctuque pro ea Deum obsecrare non destitit.

XX. Duobus porro interlapsis jam annis, cum ubi esset, et quomodo se gereret intellexit, rogabat quemdam sibi notum ac familiarem, ut aliquem illuc mitteret, qui accurate omnia de illa cognosceret, locumque ac vitam ejus notaret atque observaret. Abiens igitur ille, qui missus fuerat, omnia certo compertoque cognovit, eique, quomodo ipsam vidisset, et qualem vitam degeret renuntiavit, locumque designavit. Ipse vero certior de ea factus, planeque edoctus illam ipsam esse, curavit sibi habitum militarem et equum deferri. Apertoque cellæ suæ ostio egreditur, et galerum longum atque profundum capiti suo, quo facies velaretur, imposuit : sed et unum nummum secum ferens, equumque conscendens, abiit. Quemadmodum autem explorator aliquis civitatem vel patriam quampiam explorare cupiens, habitum loci illius, ne facile ab incolis agnoscatur, assumit : sic quoque beatus Abrahamius in alieno peregrinabatur habitu, ut inimicum in fugam verteret. Vere igitur admiratione dignus est egregius hic secundus Abraham. Siquidem primus Abraham ad regum prælium exiens, percutiensque illos, Lot nepotem suum revocavit[1]; et hic similiter secundus Abraham contra dia-

[1] Gen. XIV, 16.

bolum ad bellum perrexit, eoque superato, neptem suam reduxit.

XXI. Postquam ergo ad locum appulisset, in hospitium divertit, ubi sollicitis curis huc illucque circumspiciens, ut eam videret annitebatur. Deinde cum jam multa hora præteriisset, videndique ipsam occasio non tribueretur, subridens dixit ad hospitem: «Audivi, o amice, quod hic pulchram habeas puellam, quam libenter perviderem.» Hospes autem cum ætatis ejus cerneret canitiem, ipsum coarguit: deinde sic ei respondit: «Est hic quædam, et quidem supra modum speciosa.» Erat quippe Maria hæc pene ultra quam natura fert, formæ pulchritudine decora. Cumque beatus nomen puellæ requireret; Mariam nuncupari ille respondit. Tunc hilari vultu: «Obsecro, inquit, mihi accersas illam, ut hodie cum ea epulari possim atque exhilarari; valde enim, vel ex auditu, amore ejus captus sum.» Quæ cum vocata jam adesset, atque in lascivo ornatu habituque meretricio eam conspexisset, parum abfuit quin totum ipsius corpus ac substantia in lacrymas solveretur: quas tamen sapienti ac forti consilio repressit, ne, si forte illum fœmina agnovisset, fugæ consilium illico captaret. Residentibus ergo illis, atque bibentibus, cœpit cum ea loqui vir beatus, tanquam amator quispiam inextinguibili amoris igne flagrans: sic enim sanctus ille fortiter se diabolo opponens, captivam eam accepit et in Christi thalamum restituit. Illo autem cum ea colloquente, ipsa consurgens, et complexa collum ejus, osculis eum excipiebat. Cumque jam inter osculandum odorata esset ejus corpus suavissimo angelici instituti odore fragrare, recordata est asceticæ vitæ suæ: quare vehementer ingemuit, dicens: «Væ mihi miseræ soli.» Hospes autem obstupefactus, ait ad eam: «Domna Maria, duorum annorum jam spatio hic degis, et nunquam talia tua suspiria, aut verba audivi: nunc

autem quid tibi accidit?» Ad quem illa: «Beata, inquit, essem, si ante triennium defuncta fuissem.» Confestimque beatus ille, ne austerior videretur, ait ad illam: «Modo, me præsente, tu peccata tua in memoriam revocare incipis?» Putas-ne puellam non dixisse in corde suo: quomodo aspectus viri istius formam refert mei patrui? Cæterum qui solus benignissimus et sapientissimus est Deus ita disposuit, ne ipsa illum agnosceret, timoreque perculsa fortasse aufugeret. Proferens itaque beatus senex mox nummum, dedit eum hospiti, dicens ipsi: «Para nobis bonam cœnam, ut cum hac puella hodie epulari ac lætari liceat: longo enim itineris intervallo, amore illius huc adveni.»

XXII. O vere secundum Deum sapientiam! O intellectum spiritalem! O astutam supplantationem diaboli, et reconciliationem animæ! O prudentiam draconi exitialem, et animæ illuminatricem! Qui totis quinquaginta suæ religiosæ exercitationis annis panem non gustaverat, nunc carnes, ut animam a diabolo captam revocaret, comedit. Chorus sanctorum Angelorum super hac beati istius indiscretione, aut potius magnanimitate solertiaque vehementer obstupuit; quod ita alacriter et sine ulla hæsitatione comedit et bibit, concludens et ipse dictum illud evangelicum: «Hodie lætari et gaudere oportet, quia hæc filia mea » mortua erat, et revixit; perierat et inventa est[1].» O sapientia sapientum, et intellectus intelligentium! O stupendum miraculum, et dignam admiratione indiscretionem, et quavis accurata discretione eminentiorem, qua ex venenatis draconis dentibus animam eripuit atque salvavit. Postquam igitur jam simul epulati sunt, ait puella: «Surge, Domine, et ad cubandum in cubiculum introeamus.» At ille: «Intremus,» inquit. Ingressusque videt lectum altum stratum,

[1] Luc. XV, 32.

ascendensque alacriter consedit super eum. Quo pacto te appellem, aut quomodo te nominem, o perfecte Christi vir, equidem ignoro. Continentem-ne te dicam, an incontinentem? sapientem, an insipientem? discretum, an indiscretum? qui per annos quinquaginta religiosæ conversationis tuæ super unam stoream dormivisti, quanta cum alacritate ad sedendum super lectum ascendisti? Hæc omnia ad laudem Christi, et gloriam venerabilis instituti tui fecisti: mansionum quippe iter prolixum arripuisti, carnes manducasti, vinum bibisti, et in hospitium divertisti, ut animam perditam salvares. At nos, quia pusillanimes sumus, si saltem verbum utile cum proximo loqui volumus, subito importune cuncta discernimus.

XXIII. Considente itaque ipso super lectum, ait ad eum puella: «Veni, ac permitte, Domine, ut calceamenta tibi extraham.» Ille vero ad eam: «Obsera ac muni, inquit, bene ostium; et tunc veni, eaque abstrahe.» Nitebatur autem illa prius discalceare ipsum: sed cum id ille non pateretur, tunc foribus diligenter obseratis venit ad eum. Beatus autem ad illam: «Domna, inquit, Maria, accede ad me.» Cumque accessisset ad ipsum, tenuit eam firmiter per manum, ita ut non posset eum effugere. Tollens quoque camelaucium, seu galerum, e capite suo, et in lacrymas prorumpens dixit ad eam: «Filia mea Maria, non me agnoscis? nonne ego sum pater tuus Abrahamius? numquid tibi notus sum, filia mea? Nonne ego sum qui te educavi? Quid tibi nunc accidit, o filia mea? Ubi est habitus ille angelicus, quem antea habuisti, o filia mea? ubi lacrymæ? ubi vigiliæ, quæ cum dolore animi et cordis contritione erant? ubi humi cubationes, et assiduæ genuflexiones? Quo pacto a cœli celsitudine in hoc perditionis barathrum præcipitata es? Cur non indicasti mihi, quando inferni procella invasit te? Et ego sane una cum Ephræmo clamassem ad eum,

qui potest ex morte salvare. Quare, tanquam omnino tuam salutem desperans, ita te diabolo tradidisti? Quare sic me deseruisti, et in hunc mœrorem intolerabilem deduxisti? Quis autem inter homines absque peccato est, o filia mea, nisi solus Deus? »

XXIV. Illa vero obstupefacta, obmutuit, nec vultum attollere poterat; verum lapidis instar immobilis, et veluti amens in manibus ejus remansit, confusione pariter atque timore oppleta. At beatus senex iterum cum lacrymis appellabat eam, dicens : « Non mihi loqueris, filia mea Maria? Nonne tua causa mœstus ac dolens huc adveni, o filia mea? Super me sit peccatum tuum, o filia. Ego pro te in die judicii Deo respondebo. Ego pro tuo hoc peccato pœnitentiam agam. » Sicque ad mediam usque noctem eam consolabatur, et admonebat. Illa autem cum parumper fiduciam accepisset, sic ad eum locuta est : « Si in te respicere ob confusionem vultus mei nequeo, quo pacto immaculatum Christi mei nomen, dum ita cœno immunditiæ contaminata sum, invocare audebo? » Et beatus vir ad eam : « Super me sit, inquit, peccatum tuum, o filia mea : ex meis manibus Deus peccatum hoc tuum requiret : tantummodo tu me ausculta, et veni, concedamus pariter in locum nostrum. Ecce enim et charissimus noster Ephræm vices tuas dolet ac plangit, et pro te Dominum deprecatur. Quare senectutis meæ miserere, et canitiei meæ compatere, filia mea, obsecro; et jam consurgens, sequere me, filia mea dilecta. » Illa vero ad eum. « Si pœnitentiam, inquit, meam suscipiet Deus, tecum veniam. Procido autem ac supplico sanctitati tuæ, sanctaque vestigia tua osculor, quod ita pietatis tuæ viscera in me demonstraveris, et huc, ut ex laqueo diaboli me eriperes, adveneris. » Ponensque caput suum ad pedes ejus, tota plangebat nocte, dicens : « Quid tibi, Domine, pro his omnibus retribuam? »

XXV. Diluculo autem jam facto, dicebat ad eam beatus senex : « Exurge, filia, et hinc abeamus. » Quæ respondens, aiebat ad ipsum : « Habeo hic aliquantulum auri, ac paucas vestes ; et quid de iis a me fieri jubes ? » Cui vir beatus : « Relinque illa hic : nam omnia ista pars maligni sunt. » Et surgentes confestim exierunt : illamque equo imponens trahebat, lætus præcedens. Et sicut pastor quando ovem perditam reperit, eam super humeros suos tollit : ita beatus iste gaudens in corde suo iter peragebat. Cumque ad proprium jam locum pervenisset, illam quidem in interiore cella reclusit; ipse vero in exteriore permansit. Ubi illa cilicio induta, in summa animi humilitate, et multis lacrymis persistebat : et seipsam assiduis vigiliis, arctissimisque continentiæ laboribus conficiebat, alacriter pœnitentiæ scopum persequens, et audacter Deo procidens, supplicansque. Vere hæc sincera erat pœnitentia; vere medicina, et reparatio animæ. Per ejusmodi certamen cunctos oporteret confiteri ac gratias agere Deo. Quis enim ita lapideo ac duro est corde, qui cum flebilem ac lamentabilem ejus vocem audiat, ipse quoque non compungatur ad laudandum Deum ? Siquidem nostra resipiscentia cum ejus pœnitentia comparata, umbra duntaxat quædam et imaginatio est. Tali namque patientia, et studio atque sollicitudine indesinenter recurrebat ad Deum, petens sibi signum dari, quod ejus pœnitentia accepta fuisset. Benignissimus itaque ac clementissimus Deus dona curationum ei ad certitudinem acceptæ pœnitentiæ ipsius concessit.

XXVI. Vixit porro beatus vir alios adhuc annos decem : cernensque sinceram illius pœnitentiam, et insignem animi alacritatem, glorificabat et magnificabat Deum : et sic in bona senectute quievit vere sanctus ac servus Dei, cursumque vitæ consummavit, cum esset annorum septuaginta : ex quibus, quinquaginta in ascetico vitæ instituto magna

cum alacritate, et certamine admirabili, in humilitate et charitate peregit, personam hominis non accipiens, sicut apud plurimos fieri est solitum, ut unum quidem honore præferant, alium vero contemnant. Et tanto quidem temporis intervallo nunquam prorsus in suo religioso instituto obtorpuit, segniusque egit, neque unquam regulam optimæ vitæ suæ mutavit : sed ita semper constitutus erat, quasi quotidie moriturus.

XXVII. Hæc fuit conversatio beati Abrahamii : hæc Deo acceptissima vitæ ipsius ratio : ista patientiæ ac tolerantiæ ejus certamina. Et sicut caprea ex laqueis, ita ille ex corruptibili thalamo excessit : neque prorsus unquam cogitationem mentemque suam in bono proposito firmatam atque corroboratam retrorsum converti permisit. Sed neque in tribulationibus, quas in vico ab hoste suscitatas perpessus est, animum suum relaxavit : neque in assiduo prælio contra dæmonum phantasmata consternatus est aliquando. Suum autem certamen in eo coronavit consummavitque, quod erga Beatam illam gessit : quomodo per sapientiam spiritalem, ineffabilemque prudentiam, per eam, inquam, quæ imperitia putabatur, sed intellectualis negotiatio erat, pedibus draconem conculcans, ex medio dentium ejus charissimam sibi columbam abstraxit, eamque ad verum sponsum Jesum Christum adduxit. Atque hi agones et sudores beati Abrahamii fuerunt : quos quidem hic nunc ita conscripsimus ob consolationem atque devotionem eorum, qui vitam consequi æternam volunt, ad laudem et gloriam Dei, a quo cunctis affluenter quæcumque opportuna sunt atque utilia suppeditantur. Reliquas porro virtutes ejus alibi descripsimus. Hora autem illa, qua ad Dominum migrabat, pene universa civitas congregata est cum finitimis vicis, et unusquisque eorum studiose charissimo sanctissimoque ejus corpori appropinquans, bene-

dictionem sibi ex vestimentis ejus diripuit; et si quemcumque languorem id quod direptum fuerat, contigisset, illico curabat.

XXVIII. Vixit autem Beata illa alios annos quinque, quibus in religioso vitæ instituto supra modum ita se exercuit, ut dies noctesque non cessarit cum lacrymis Deum deprecari : adeo ut etiam sæpe per locum illum prætereuntes, vocemque ejulatus ipsius audientes, commiseratione moti, gradum sisterent, fletumque suum cum ejus fletu conjungerent, ac propria peccata deplangentes, Deum glorificarent. Cum autem diem clausit, apparuit vultus ejus omnibus illum videntibus, gratia resplendens, ita ut sanctorum ibi Angelorum chorum adesse intelligeremus, Deoque gloriam daremus, qui per ineffabilem suam clementiam salvos facit sperantes in se, in Christo Jesu Domino nostro.

XXIX. Hei mihi! dilectissimi mei, quoniam hi quidem optimum finem consecuti dormierunt, et a terrenis rebus cum fiducia sunt abstracti, ei quæ erga Deum est charitati colligati : ego vero imparatus et impromptus in mea voluntate permansi. Et ecce comprehendit me hiemis infinita tempestas; et nudus atque expoliatus admiror in memetipso, quomodo quotidie pecco, et quotidie pœnitentiam ago. Per horam ædifico, et per horam constructa subverto. Ad vesperum dico : Sequenti die pœnitentiam ago : mane autem facto, acedia correptus, et animo elatus, diem prætereo. Rursus ad meridiem dico : Proxima nocte vigilabo, et cum lacrymis obsecrabo Deum, ut peccatis meis propitius fiat : cum autem nox advenerit, somno potius satior. Qui mecum acceperunt pecuniam, die ac nocte negotiari contendunt, ut laudem præconii consequantur, et decem civitatibus præsint[1] : ego vero ob pigritiam meam occul-

[1] Luc. XIX, 17.

tavi eam in terra. Dominus meus appropinquavit, et ecce contremiscit cor meum, et defleo dies negligentiæ meæ, non habens quales excusationes obtendam.

XXX. Miserere mei, qui solus sine peccato es : et salvum me fac, qui solus benignus et clemens es : quia præter te benedictum Patrem, et unigenitum Filium tuum, qui incarnatus est propter nos, et Spiritum tuum sanctum, qui vivificat omnia, alium non novi, neque in alium credidi. Et nunc memento mei, Domine, et educ me de carcere iniquitatum mearum : quia utrumque tuum est, Domine, et quando voluisti me in hunc mundum intrare, et quando migrare me ex eo præceperis. Memorare mei, qui defensione careo; et salva me peccatorem. Gratia tua, quæ mihi in hoc sæculo opitulatio, refugium, et gloratio est; ipsa me sub alas suas in illa die horrenda atque terribili protegat. Tu enim agnoscis, qui scrutator es cordis et renum, quod multos pravitatum et scandalorum tramites declinavi (pravos, inquam, tramites dogmatum hæreticorum, et inaniter ab eis factas expositiones). Et hoc non ex me, sed ex gratia tua, per quam illuminata est mens mea. Rogo te, sancte Domine, salva animam meam in regno tuo, et dignare mihi benedicere cum omnibus qui placuerunt tibi : quoniam te decet gloria, adoratio, et magnificentia, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVII.

DE JULIANO ASCETA.

I. Optimus hic inter ascetas, cum servus esset, antea quidem, sicut ipse nobis postea enarravit, vitam in multa intemperantia atque lascivia peregerat; tandem autem ad agnitionem veritatis deveniens, optime vitam suam traduxit. At multa in civitate Heliopoli apud Libanum a propriis dominis passus est: quippe qui cum idololatrarum insania participabant. Cæterum defuncto jam ejus hero, vitæ sæculari renuntians, effectus est monachus: Dominum autem tota anima ac corde diligebat, ita ut in omni pene virtutum genere se exercuerit, perfeceritque: magnam enim possedit compunctionem, et humilitatem eximiam: non tum ut quidam post vitæ abdicationem atque secessum facere solent, qui negligentiæ ac otio, contemptionique mandatorum Dei sese tradiderunt, lumbisque suis haudquaquam per continentiam ac pudicitiam præcinctis, in abyssum malorum suas ipsi animas defixerunt, ita ut aliqui nec res quidem ad suum institutum pertinentes curent, sed eas etiam respuere propter suas concupiscentias non dubitent, soloque pietatis atque religionis habitu amicti, seipsos domicilium phalangis dæmoniorum efficiant. Negligens quoque in iis, quibus residebat locis, quidam erat monachus, qui filium valde parvum habebat, et hunc tanquam inobedientem atque immorigerum, in sacrificium dæmoni propter suam avaritiam offerre non verebatur. Verum divino auxilio assumptus præservatusque est puer. Cum enim deduxisset eum miser et infelix homo

in quemdam subterraneum locum, ubi multum auri dicebatur reconditum ab iis, qui sacra sepulcra parabant, dæmon, conspecto crucis signo, quo puer amictus erat, non est ausus ei nocere : nam cum analabo adduxerat eum vir ille, quem patrem appellare piget pudetque. Sic igitur re explorata et ex eventu cognita, surgens abstulit a puero analabum. Rursusque vox ex locis abditis atque secretioribus audita est, cum omnino is sit Deo consecratus, frustra mali quid contra ipsum tentari. Puer igitur admirabiliter liberatus ac conservatus, enarravit quæ successerant omnia, simulque quomodo a Domino nostro Jesu Christo assumptus protectusque esset. Celebris quippe de eo increbuerat sermo ac rumor, ita ut etiam Concilium a sanctis Patribus occasione rei quæ acciderat, colligeretur.

II. Hæc porro, fratres, parat negligentia atque despicientia Synaxeos : et quod non continenter vigilanterque piis precibus quis insistat. Siquidem psalmodia, et oratio cum humili cogitatione mentem a vetitis atque illicitis passionibus sublevant, et animam inconsideratam ad desiderium cœlestium bonorum magis corroborant. Quemadmodum autem colloquium cum Deo per puram orationem, humilitatem producit animæ : ita sermocinatio atque confabulatio cum regibus, superbiam iis, qui non valde a validiore ac præstantiore timore incensi sunt, generat. Camini igitur et instar est frequens cum rege conversatio, probos ac reprobos eos, qui cum iis agunt declarans. At qui Dominum semper præ oculis habent, meliore timore mundi, inordinatas rerum earum quæ videntur affectiones expellunt fugantque. Beatus ideo ille, qui abdicata vita sæculari, in cœtu virorum sanctorum conversatur, et sub obedientia spiritualium Patrum, suamque in pura conscientia vitam traduxit : quoniam non confundetur in resurrectione Justorum. Væ autem illi, qui cum viris im

piis conjungitur atque inobedientibus, quoniam dies amaros videbit. Complacentia enim sui, propriæque potestatis amor, et singularitas, propriaque voluntas, hominem vastant ac perdunt, et spiritualibus eum fructibus gratiisque spoliant : cum discretione autem et judicio cuncta facere, beatum est.

III. Beatus vero Julianus, mortificans in se mundanas concupiscentias, quantum monastica vivendi exigebat ratio, in sua residebat cella : prope autem ejusdem cellam etiam mea cella sita erat : nam ejusdem eramus congregationis ambo. Accedebat igitur is ad cellam meam, et ego vicissim ibam ad ipsum : proficiebam enim ex colloquio ac conversatione viri : mirabarque, cum viderem tantam in homine barbaro cognitionem, quippe ex partibus occidentalibus oriundo : glorificabamque Deum, qui non vult quemquam perire, sed omnibus per pœnitentiam ignoscere; et illius dicti evangelici recordatus sum : « Amen dico vobis, quod » multi ab oriente, et occidente venient, et recumbent cum » Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii au» tem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus » et stridor dentium [1]. » Suspiransque dixi : « Libera nos, Domine, a tenebris exterioribus, et illo fletu ac stridore dentium : et « Memento nostri in beneplacito populi tui ; » visita nos in salutari tuo; ad videndum in bonitate Elec» torum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut laude» ris cum hæreditate tua [2]. » Memento nostri, Domine, sicut meministi latronis, « cum veneris in regnum tuum [3] : » et corpora nostra ex monumentis cum gloria resuscita, dignosque nos raptu Justorum redde in nubibus : ut et nos modicam hæreditatem montis sancti tui, precibus Sanctorum tuorum, accipiamus. Amen.

[1] Matth. VIII, 11, 12. Luc. XIII, 27-29. — [2] Psal. CV, 4, 5.— [3] Luc. XXIII, 42.

IV. Beatus ergo Julianus, corpore quidem erat robustus, sed nimio labore atque exercitatione conficiebatur, Patrum vestigiis insistendo; illitteratus autem cum esset, addiscere conabatur. Hic pietatem atque religionem colens, cellam habebat, in qua per se quietam atque tranquillam vitam ducebat, et cubile tenebat : sed cum illi non sufficeret angustia cubiculi, intus sibi illud in modum sepulcri ædificavit, angustissimum quoque ejus ingressum reddens, per quem cum introiret, in eo velut in monumento aliquo orabat lugens ac plorans. Operabatur autem et propriis manibus carbasa ac vela navium. Compunctionem porro et planctum amabat, si quis alius, ita ut prætereuntes cellam ipsius, vocem ploratus ejus audirent. Ejulabat enim, sicut solent qui filium aut filiolam sepeliunt unigenam, revocantque eum cantu : sua quippe peccata ipse sibi ante oculos constituens, anxie dies noctesque deflebat; ipsasque noctes brevissimo somno transigebat. Cura siquidem retributionis ipsum serio excitabat. Quam multas porro tentationes atque tribulationes sustinuerit propter negligentiores fratres, dici non potest : cunctas vero eas per humilitatem et patientiam absque detrimento præteribat.

V. Valde quoque erat pacificus, temperans ac continens, tolerans et constans, mansuetus et clemens, pius atque religiosus, et voluntariæ paupertatis amator. Qui enim cum pecuniis in eremo residet, omni in loco ingemiscet ac contremiscet, et ad extremum præda maleficis erit. Qui vero inopia laborat, insidiis carebit. Quin et impiger, et ad opera extraordinaria promptus et expeditus hic vir beatus erat, et a maledicentia convicioque omni alienus : humilis quoque in sermone, in opere, in vestitu, in incessu; neque enim, ut ego et mei similes pigri, in negligentia suos percurrit dies, sed in omni compunctione dies vitæ suæ perfecit. Et quemadmodum qui carcerali detinentur custodia,

dum coram tribunali judicis producendi sunt, præ timore et angore plorant : sic et beatus Julianus assidue tremendi tribunalis Christi recordabatur : quare et continenter flebat, judicium futurum cogitans. Ubi autem compunctio, et lacrymæ, et humilitas, ibi nequaquam instabilitas, et quæcumque res perversa ac improba regnat; sed optimus ordo viget, et omnis res bona. Ubi vero ista non adsunt, multum a scopo, qui quæritur, aberratur. Evitabat is quoque colloquia atque commercia mulierum, occasiones omnes inanium voluptatum amputans. Quando vero pulsus ad synaxim audiebatur, ante omnes alios fratres occurrere contendebat. Sic vero in synaxe consistebat, absque ulla oculorum distractione, quasi jam ipsi tribunali Domini nostri Jesu Christi assisteret.

VI. Quadam autem die ad ipsum dixi : « Quis, obsecro, hosce libros corrumpit? » quippe in quibus, ubi scriptum erat Deus, aut Dominus, aut Jesus Christus vel Salvator, litterarum elementa deleta reperiuntur. Beatus vero ad me : « Nihil, inquit, a te abscondam. Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens, « lacrymis pedes ipsius rigavit, et ca- » pillis capitis sui abstersit[1] : » et ego ubicumque nomen Dei mei scriptum comperio, lacrymis meis rigo, ut et ego remissionem ab eo peccatorum accipiam. » Ego vero gratiose ad eum dixi : « Deus qui benignus est et misericors, bonum illud tuum suscipit propositum : verumtamen libris parcas, obsecro. » At ille dixit : « Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo. » Ardenter porro in religione se gessit atque exercuit ultra viginti quinque annos, et interea moritur in Domino, in obedientia, et in persecutione quam passus est, dignus æterna factus beatitudine. « Beati » enim, inquit, pauperes spiritu : quoniam ipsorum est re- » gnum cœlorum. Beati qui persecutionem patiuntur prop-

[1] Luc. VII, 38.

» ter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1]. » Meis sane oculis excidunt lacrymæ super disjunctione ac separatione viri istius.

VII. Narravit Beatus hic cuidam aliquando fratri, dicens: « Frater quidam in interiorem vult ingredi eremum, ut ibi viros contemplativos investiget. Consilium igitur mihi suggere propter Dominum, expedit-ne ut cum ipso isthuc vadam, an non? » Frater autem sciens operarium eum esse, dixit ad ipsum : « Satius est quietam vitam ducere, et in quiete perfectionem quærere : nam de parvis et levibus atque instabilibus rebus inquirere, et illarum causa eremum circumire, minime necessarium est. » Dixitque vicissim Beatus : « Quid est perfectio? et quæ sunt res illæ exiguæ et instabiles? » Ad quem frater : « Perfectio est cujusvis sermonis et omnis actionis finis. Nam scriptum est : Finis verbi, omne ausculta. « Deum time, et mandata ejus ob» serva [2]. » Quæ autem accidunt unicuique nostrûm in hoc sæculo, sive tristia ac gravia, sive bona et læta, finem habent; quapropter etiam a tempore consumuntur atque delentur. At quæ post vitæ hujus exitum remanent, æterna sunt et immortalia. Diem ergo judicii in mente habeamus, ut voluntas nostra perfecta sit in Domino. Quemadmodum autem duobus aliquibus accidit in longinquam regionem peregrinantibus, quorum alter tædio itineris affectus incipiat interrogare adventantes, quidnam sibi obviam reperturi sint, quod viam indicet : illi autem responderint, viam esse asperam : et rursus is interroget : post asperam viam quidnam? Illi vero postea terram revirescentem dixerint ei apparituram. Cæterum itineris ejus comes cernens ipsum ita enixe ac studiose de via percontari, ait ad eum : « Desine, o comes, adeo curiose de via inquirere, quam pertransituri sumus, instar velocissimi cursoris. » Nam viæ si-

[1] Matth. v, 3, 10. Luc. vi, 20, 22. — [2] Eccle. xii, 13.

milis est humana vita : et ideo magis consideranda nobis sunt, non quæ in itinere occurrunt, sed quæ post viam confectam nobis eventura sunt. Quæramus ergo quomodo in requie nos oporteat versari ac demorari in regione illa, in qua perpetuo habitaturi simus post hujus vitæ viæque finem : ubi nimirum requies nobis in illo erit sæculo : tum etiam ubi portio nostra ibi futura sit, in profundo, an in excelso; in requie, an in doloribus; in tenebris, an in luce; in igne, an in refrigerio. Ista spiritus noster scarificet, ac perfodiat, et os loquatur. Ab ejusmodi cura atque sollicitudine non recedat cor nostrum, quandiu in caduca ac momentanea hac versamur vita : illosque, qui a tali nos cogitatione ac cura avertere, et impedire volunt, tanquam deceptores et perditores nostros contemnamus. Non enim licet cuiquam post suam hinc migrationem, iterato ad hanc vitam redire.

VIII. « Solliciti igitur simus, o fili, quomodo cum fiducia coram Rege gloriæ apparituri sumus : et nos ipsos benignitati ejus commendare studeamus, ut nostræ infirmitati succurrat, et tunc maxime, quando omni humano amictu auxilioque destituti reperiemur : omnibus siquidem prorsus hic relictis, nos illuc abire oportebit. Si ergo non semper futurum judicium in mente habuerimus; nihil nobis rerum occultarum et incertarum proderit declaratio. Audivit olim Jeroboam filius Nabath, qui peccaverat in Israël, superventuram ipsi iram a Domino : et super malo pœnitentiam non egit [1]. Reprehensus quoque est Giezi super delictis suis occultis, et mores suos non emendavit : nam alioquin non esset a magistro suo in turpi lepra derelictus [2]. Nam qui Naaman principem militiæ regis Syriæ in verbo Domini ab ejusmodi verbo purgaverat, longe facilius ipsi fuisset proprium discipulum a tali calamitate liberare.

[1] 3 Reg. XII, 21. — [2] 4 Reg. V.

IX. « Hæc igitur mente revolventes, et præsentis vitæ finem considerantes, mentem nostram obdormiscentem in timore futuri sæculi ad exercitium custodiamque operum excitemus. Nam vita nostra quovis levior atque celerior est cursore. Quando enim in magna hic existimatione fuerimus, et regnaverimus in hac vita; quod autem gesserimus, non fuerit ex ejus voluntate, qui judicaturus est vivos et mortuos; nihil sane nobis illuc abituris proderit gloria momentaneæ vitæ hujus. Ploremus igitur qui caducarum jam rerum affluentia insolescimus : ne forte ob negligentiam vitæ hic peractæ, sub indignatione ibi reperiamur Regis gloriæ, et in tenebras mittamur exteriores. Non conceditur illuc abeuntibus, ut a tormentis liberentur. Non permittitur illic ob peccata concluso ut ex vinculis illis indissolubilibus dimittatur. Ibi enim ignis est inextinguibilis, et vermis nunquam moriens, et profundum inferni tenebrosum, ululatus, et ploratus incredibilis, et stridor dentium. Non habent finem mala istorum intoleranda : non est post mortem ulla liberatio, neque consilii alicujus excogitatio, neque remedium vel artificium evadendi acerbissima ea tormentorum genera, quæ fugere nunc licet, si vocem Domini et Dei nostri audierimus, qui pro summa sua clementia per seipsum prædicavit et docuit filios hominum omnis sermonis omnisque operis perfectionem : ut eidem nos obtemperantes, a tormentis quidem liberemur, bona vero promereamur æterna. Necessarium igitur fuerit sermones Domini omni cum humilitate servare : nam observatio mandatorum Dei ipsa est perfectio : et qui præceptorum Dei æmulatores facti sunt, hi fortiter perfectionis semitam ingrediuntur, expectantes ipsum in rectitudine cordis, quotidieque gloriosum ejus adventum contueri sibi videntur, ac ipsum in throno majestatis suæ sedentem : quando Justos segregabit a peccatoribus, et reddet unicuique

secundum opera sua. Servemus igitur, o fili, charitatem sincere ac vere : et in ipsa virtutes excolentes, digni reddamur qui a dextris unigeniti Filii Dei statuamur, et gaudebit cor nostrum, gaudiumque nostrum nemo tollet a nobis. » Frater porro, qui accurate monita suscepit, constanter in tranquillitate perstitit, gratias agens Domino nostro Jesu Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI TRIGESIMI SEPTIMI.

ANNOTATIONES.

ANNOT. (1), pag. 197.

Comparatio, hic a sancto Doctore allata, principiis fidei non satis accommodata videtur; divisam enim supponit Virginem, et rursus ad suum sigillum reversam, quod quidem momentaneam ad minus corruptionem ingerit, cum fides catholica nullam, ne momentaneam quidem, corruptionis maculam in beata Virgine admittat, nullam divisionem sigilli, nullum virginitatis detrimentum.

ANNOT. (2), pag. 316.

Alludit ad Zaram Thamaris filiam, Christi omonymon. Zara enim oriens, notum Messiæ nomen.

ANNOT. (3), pag. 327.

Respicit ad Ecclesiæ suæ liturgiam, in qua jubetur celebrans, intincta in calicem consecrati panis particula, reliquas tingere.

ANNOT. (4), pag. 364.

Cætera consulto omittimus, quia pene ad verbum leguntur in sermone de secundo adventu Domini, cui initium: « Fratres mei, Deo dilecti, audite quæ dicturus sum de » secundo et terribili Domini nostri Jesu Christi adventu; » et quem in nostra collectione reperies, tom. XXXVIII, classis VII, serm. IV, in secundum advent. II, pag. 246.

ANNOT. (5), pag. 471.

Ex his verbis intelligitur sermonem de sancto Basilio scriptum fuisse ante sermonem de quadraginta martyribus, licet hic propter temporis rationem inferius habeatur, pag. 489.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ GALLICÆ CUM LATINA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Classis III. Sermo CLVI, de libero humanæ voluntatis arbitrio I, p. 257.	Ejusdem fragmenta, tom. VIII p. 246.
— Sermo CLXII, de sacerdotio, p. 258.	Ejusdem fragmenta, p. 308.
Classis V. Sermo II, in Abraham et Isaac, p. 376.	Ejusdem fragmenta, p. 307.

INDEX

TOMI TRIGESIMI SEPTIMI.

SANCTI EPHRÆM SYRI OPERUM CLASSIS III, DE FIDE.

SANCTI EPHRÆM SYRI OPERUM CLASSIS IV, DE MYSTERIIS.

SANCTI EPHRÆM SYRI OPERUM CLASSIS V, DE SANCTIS.

EXPLICIT INDEX.